
DEO REIPUBLICÆ ET AMICIS
ESTO SEMPER FIDELIS

Witsius, Herman

55

HERMANNI WITSII
MELETEMATA LEIDENSIA.

Quibus continentur

PRÆLECTIONES DE VITA ET REBUS GESTIS

PAULI APOSTOLI.

Nec non

DISSERTATIONUM EXEGETICARUM.
DUODECAS.

Denique

COMMENTARIUS IN EPISTOLAM
JUDÆ APOSTOLI.



CUM PRIVILEGIO S. REG. MAJ. POL. & ELECT. SAXON.

BASILEÆ.
Apud JOH. RUDOLPHUM IM-HOFF.
M DCC XXXIX.

GENEROSISSIMIS ATQUE ILLUSTRISSIMIS VIRIS, ACADEMIÆ LUGD. BATAVÆ

CURATORIBUS,

D. JACOBO BARONI WASSENARIO, Dynastæ in Wassenaer, Obdam, Hensbroek, Wochmeer, Spierdijk, Zuydvvyk, Kernchem, Tvvickeloo, Lage, &c. Illustris in Hollandia Nobilium Ordinis Primo, Aggerum Rhenolandicæ Præfecturæ Assessori, &c. Supremo Equitum Fœd. Belgicæ Magistro, Sylvæducis Gubernatori &c. ad Potentissimos Poloniæ & Borussiæ Reges, ac Serenissimum Electorem Hanoveriensem, & alios Germaniæ Principes, Legato nuper Extraordinario, &c. &c.

D. HUBERTO ROSEBOOM, Toparchæ in 'sGervelsrecht &c. JCto, Supremæ Batavorum Curiæ Præsidi, &c. &c.

D. HENRICO à BLEYSWYK, JCto, Consulari apud Delphenses Viro, Præpotentium Fœderatæ Belgicæ Ordinum, ut & Societatis Indicæ Orientalis Assessori, &c. &c.

EORUMQUE COLLEGIS,

NOBILISSIMIS & AMPLISSIMIS

CIVITATIS LUGDUNENSIS

CONSULIBUS,

D. JOHANNI VANDEN BERG, JCto, Consulum Præsidi.

D. CONRADO RUYSCH, JCto, nuper ad Collegium Illustr. & Præpot. Hollandiæ Ordinum Deputatorum Delegato.

D. ABRAHAMO VAN ALPHEN, JCto, Societatis Indicæ Orientalis apud Amstelodamenses Assessori.

D. PETRO VAN DORP.

MELETEMATA HÆC

SACRA FACIT

HERMANNUS WITSIUS.

DEDICATIO.

ANnus nunc labitur quintus, ex quo Vestri Juris homo factus, Inclutæ, cui præestis, Academiæ quantulacunque portio sum. Ad quam, post exactam alibi maximam florentioris ætatis partem, serius accessi. Non pari, quod fateor, facultatum alacritate, & ingenii vigore, aut eloquii promtitudine, laterumque firmitate, qua me Frisia olim & Ultrajectum sex ferme lustra docentem audiverunt: attamen eodem de egregio publico, & imprimis de Re Teologica, bene merendi animo ac studio. Ita quidem, ut pro ætatis ac valetudinis ratione (præfiscine dixerim) nunquam partibus meis publice privatimve defuerim; neglective ignaviter officii meruerim notam. Quod quamvis ex bonæ conscientiæ fiducia apud homines prædicare ausim; quotiescunque tamen in Dei me conspectu excutio, & singulorum dierum acta ad eam quam ipse præscripsit accurationis normam examino, toties me pudore suffundi oportet, calidisque lacrumis non melius neque exactius collocati temporis jacturam deplorare. Instat interim urgetque fatalis hora, qua vitæ meæ arbitro ac statori actionum omnium reddenda erit ratio. In qua ut clementem eum judicem, ac propitium in Christo patrem experiar, ductis ex imo pectore suspiriis sedulo veneror. Sed & vobiscum mihi ILLUSTRES PROCERES, antequam ex hac vitæ statione demigravero, agendum, & rationes quodammodo componendas esse, existimavi. Profiteri ergo liceat, quod in demandati mihi muneris functione Dei ante omnia gloriam, tum & veritatis Evangelicæ integritatem, pietatis, sine qua vana omnis scientiæ jactatio est, promotionem, & Ecclesiarum pacem, Fratrumque concordiam, præ oculis semper habuerim. Discipulos fidei meæ concreditos filiorum dilexi loco; nihilque antiquius habui quam ut dignos Deo fingerem: non ad calidarum disputationum rixas instructos, non novarum inventionum opinione turgidos, non tumidi sermonis ampullis, & sesquipedalium verborum inaniis, se apud plebem juveniliter jactantes, non ambitionem vitæve fastum simplicitati Apostolicæ & cruci Christi anteponentes: sed humiles, modestos, mansuetos, pacificos, simplices, at sapientes tamen, prudentes atque efficaces Evangelicæ fidei ac pietatis præconse, Dei reverentes, Magistratum honorantes, fraternæque unionis studiosos. Cujus institutionis depositum in animis suis servaturos, & diu etiam post excessum meum rememoraturos esse spero,

quotquot me unquam audivere. Si quid autem passus sum humani, quod aliquoties accidere potuisse non inficior, ut neque perspecta satis habuerim omnia de quibus differendum tamen erat; neque affectibus ita uti par est moderatus sim, & ab illo quod Professionis meæ initio mihi præformaveram *Veri Theologi exemplo* declinaverim; ejus deviationis a Deo primum, tum & a VOBIS, qui studiorum nostrorum PRÆSTITES estis, denique ab omnibus auditoribus meis, supplex peto veniam. Quoniam vero oralis Institutionis hujus ratio intra solam auditorum conscientiam continetur, neque facile, aut commode satis, ad Vestram cognitionem devenit, nisi diditâ magis loquacium chartarum famâ aliquanto se latius diffundat: hinc specimina quædam meorum in Academia Vestra conatum in publicum prodire passus sum. Ante triennium, & si quid excurrit, edidi Exercitationes de Gloria Messiæ Regis in demonstratione Justitiæ & Gratiæ, revelata Jesaiæ, ad Caput sextum. Ut & de Votivo Pauli Anathemate. ad Rom. IX: 3. Itemque de Monte Agar. ad Gal. IV: 21 — 26. Denique Prælectiones de Vita Johannis Baptistæ, observationibus Historicis & Criticis illustrata. Nunc vero exhibeo Vobis Prælectiones de Vita & rebus gestis Pauli Apostoli, & Selectarum Dissertationum Exegeticarum Duodecada, cum Commentario in Epistolam Judæ: pleraque intra biennium in Academia aut Collegio Vestro disputata. Non eam profecto ob caussam, quod id genus Meletemata, publica luce, aut Vestris, ILLUSTRES PROCERES, oculis usque adeo digna esse arbitrer. Absit ab homine suo se pede metiri gnaro tam inepta atque absurda præsumtio. Sed ut constaret Vobis, CURATORES, quos eâ cura propius tangit; ut constaret etiam aliis, si quibus tantum abs re sua otii est ut in nostram inquirere ament, qua ratione pauxillum illud quod mihi restat vitæ transigam. Non aliquam hic abstrusioris eruditionis singularitatem vendito; cujus quam curta mihi, si vel ulla, suppellex sit, omnium optime novi. Neque unquam animum induxi, ut existimarem ea solummodo cujuscunque sapientiæ Professoribus, sive voce, sive calamo, docenda esse, quæ decessorum sagacitatem fugientia, vix alibi inveniantur. Nam præterquam quod ea perpauca sint, & pauciora sæpe quam illi αὐτοδίδακτοι & δοκησίσοφοι arbitrantur; plerumque etiam exigui sunt momenti, neque iis æquiparari merentur quæ publica se utilitate cunctæ studiosorum genti commendant. Ego me non hominibus eruditissimis & literarum nostrarum veteribus, sed juventuti erudiendæ

diendæ, commentari profiteor; meaque non raritate, sed usu æstimari cupio. Idcirco auctores meos, per quos profeci, & alios proficere posse credo, ingenue soleo laudare. Uti laudatos hic videbitis Erasmos, Calvinos, Bezas, Causabonos, Drusios, Cappellos, Grotios, Heinsios, Usserios, Gomaros, Cloppenburgios, Coccejos, Altingios, Lightfootos, Spanhemios, Cavios, Pearsonos, Dodvvellos, similesque heroas: à quibus qui discere dedignatur, eum vel oppido doctum esse oportet, quod ego non sum, vel perquam fastidiosum, quod à tenuitatis ac penuriæ meæ conscientia valde remotum est. Tantumque abest ut aliquid mihi arrogem, ut facile in aliorum laudes transscribi patiar, si quid hic occurrat, quod vel acute inventum, vel erudite observatum, vel scite dictum esse videatur. Neque quidquam tribui mihi postulo, nisi fortassis, si ita benevoli lectores velint, collectionem rerum haut indiligentem, dispositionem non inconcinnam, & aliquam orationis non salebrosæ perspicuitatem. Non dissimulo interim, mea me judicii libertate usum (qua fraudari hominem ingenuum nefas foret) ab eruditissimis quandoque interpretibus dissentire sive ausum sive coactum fuisse. Sed sine cujusquam insectatione aut convitio, sine fastu & contemtu aliorum, sine calumnia, sine acrimonia. Quarum ego rerum caussas procul habeo. At quorsum plura? Vos ipsi, PROCERES, pro Insigni Sapientia Vestra arbitremini

Opera nobis hæc inanis, an in usum impensa sit

Vobis sane hoc quidquid est libri inscribendum esse censui; ut quibus auctoribus opimo hic fruor otio, iis etiam & otii mei fructus offerantur, & negotiorum deferatur arbitrium. Valete, VIRI ILLUSTRISSIMI, Sago & Toga Incluti, &, quod in Vestra quisque statione facitis, Batavam Rempublicam, pari Fortitudine, Prudentia, ac Fide, difficillimis hisce temporibus, tuemini ac fulcite. Ita scribebam ac vovebam Lugduni in Batavis. Anno æræ Christianæ M D CC III. die XXVIII. Februarii. Quo mense ingressus sum annum ætatis meæ LXVIII.

Series

Series eorum, quæ hoc volumine continentur.

PRÆ-



PRÆLECTIONES
DE
VITA
PAULI APOSTOLI.

SECTIO I.
De Natalibus Pauli & vita in Judaiſmo.

BREVIARIUM.

I. *Operis inſtitutum.* II. *Et partitio.* III. *Patria Pauli, Tarſus.* IV. *Urbs multis nominibus incluta.* V. *Unde majores Pauli in Cilicia?* VI. *Quomodo, Tarſenſis quum eſſet, Romanus eſſe potuerit.* VII. *Proſapia Pauli.* VIII. *An ad Paulum pertineat Jacobi de Benjamine oraculum Gen.* XLIX. 27. IX. *Non videtur.* X. *At probabilius eo refertur Pſ:* LXVIII. 28. XI. *In vita Pauli quæ ſpectanda ſint.* XII. *Ex more gentis ſuæ didicit opificium.* XIII. *Sed & Gamalielis, primum quidem æqui, dein inquiſiſſimi Apoſtolis, diſciplina uſus eſt.* XIV. *Ad pedes ejus enutritus.* XV. *Ad exemplum Præceptoris, & ipſe Phariſæus: quæ ſecta omnium credebatur eſſe accuratiſſima.* XVI. *Ingenio præclarus, moribus probus.* XVII. *Sed Chriſtianis, ex ignorantia, infenſiſſimus.* XVIII. *Carcerum apud antiquos ratio & uſus.* XIX. *Non debet incredibile videri, Chriſtianos in Synagogis eſſe flagellatos.* XX. *Quippe quod & ſuo tempore factum eſſe Epiphanius memorat.* XXI. *Et Patrum noſtrorum ætate ſibi in Synagoga Amſtelodamenſi accidiſſe flebiliter narrat Uriel Acoſta.* XXII. *Qua ratione Paulus Chriſtianos ad blaſphemandum coegerit.*

PAULI Apoſtoli, qui & SAULUS dictus eſt, vitam ac res geſtas, libera commentatione illuſtrare animum induxi: futurum eſſe ſperans, ut tot mirabilium eventuum inſigniumque actionum meditatio non mihi ſolum, ſed & iis qui mecum amant proficere, magnam cum voluptate utilitatem allatura ſit; facemque aliquam multis difficilibus ſcripturæ locis accenſura luculentam. Equidem non lubet per ſingulos apices, tenuioreſque, ſi ita loqui fas eſt, minutias, lentis ire paſſubus; multo minus prolixis diſſentientium Chronologorum diſputationibus liberalia vexare ingenia. Summa duntaxat rerum veſtigia ſequar: ibi potiſſime pedem fixurus, ubi talis occurret meditationis materia qua paſci poſſit animus, & ad contemplationem mirabilium Dei viarum ſancte erudiri. I. Operis inſtitutum.

II. Ita vero ea quæ dicenda ſunt partiemur, ut tota hiſtoria TRIBUS comprehendatur PERIODIS. *Prima* complectetur NATALES Pauli & VITAM in JUDAISMO. *Altera* CONVERSIONEM AD CHRISTIANISMUM, ET VOCATIO- II. Et partitio.

NEM AD APOSTOLATUM. *Tertia* RES A PAULO JAM APOSTOLO GESTAS. In prima periodo distincte rursus observanda veniunt I. PATRIA. II. PROSAPIA. III. VITÆ INSTITUTUM.

III. Patria Pauli, Tarsus.

III. De PATRIA dubitare non sinunt Sacræ Literæ, quæ constanter docent, non modo *civem* fuisse *Tarsensem*, sed & *Tarsi natum*. Act: IX. 11. XXI. 39. XXII. 3. Fallit igitur traditio *Hieronymo* memorata, *de Script. Ecclesiast. cap: V.* Natum fuisse Saulum nostrum *Gischali*, oppido Judææ; quo a Romanis capto, totaque Provincia vastata, quum dispergerentur Judæi, cum parentibus suis *Tarsum Ciliciæ* commigraverit. Quæ profecto putidissima fabula est. Constat quidem, Judæam Pompejo duce subactam fuisse, Antonio & Cicerone consulibus: rursumque Judæis sub Nerone rebellantibus, eandem a Vespasiano & Tito fuisse deletam. Pariter constat, intermedio tempore, quando Romanis suberant omnia, & ad eorum nutum gubernabantur, nullam a Romanis provinciæ factam vastationem esse, nullam Judæorum dispersionem. At in neutram vastationem incidit pueritia Pauli: quem natum esse oportet circa mortem Herodis. Quod ita conficitur: ipse se *senem* fuisse docet, quando Evangelii caussa vinctus Romæ detinebatur a Nerone. Philem. com: 9. Neque tamen admodum senex eo tempore fuit; quum νεανίας dicatur in martyrio Stephani. Act: VII. 58. Unde necesse est, ejusdem propemodum cum Christo ætatis fuisse. Adeo sublæsta sæpe antiquissimarum etiam quæ jactantur traditionum fides est. Maneat ergo *Tarsi* natum esse Paulum.

IV. Urbs multis nominibus incluta.

IV. Circa cujus vocis etymon Græcorum qui volet ineptias apud *Stephanum* videat. Quanto credibilius est, *Tarsisem*, *Javanis* filium, genti, regioni, urbi, & vicino mari nomen dedisse? urbem istam ὐκ ἄσημον fuisse, ut noster ait Act: XXI. 39. imo ἐπισημοτάτην τῆς Κιλικίας *totius Ciliciæ illustrissimam*, uti eam describit *Stephanus*. Adeo quidem ut & Græcos & Argivos, & his ipsis præstantiores, dici se Tarsenses postularent; neque ad heroas modo, sed & Titanas ipsos, generis antiquitatem referrent, teste *Dione Chrysostomo in Tarsica priore*. Illustrissima sane fuit, non solum antiquitate, situ, incolarum frequentia, mercaturæ industria; sed, quod omnibus hisce præstat, philosophiæ ac literarum studiis. Quæ adeo ibi floruerunt, ut, si *Straboni* fides *Libr: XIV*, cum Athenis & Alexandria certare potuerit, ipsaque Roma celeberrimos professores suos debuerit Tarso. Ita Deus in urbe gentili, sed erudita, eum nasci voluit, qui magnus olim gentilium futurus esset doctor; & quem Roma aliquando cum stupore audiret.

V. Unde majores Pauli in Cilicia?

V. Mirum oppido videri non debet, Pauli majores in *Cilicia* potius quam *Israëlitide* rerum suarum sedem fixisse. Etenim quamvis Cyrus universo Dei populo facultatem in patriam suam redeundi concesserit: multi tamen ex qualibet tribu, novam patriam, in qua nati atque educati erant, antiquæ, cujus eos ceperat oblivio, prætulerunt. Hinc incredibilem Ju-

dæorum

dæorum multitudinem cernere licuit in omnibus propemodum ditionibus Persarum, Græcorum, Romanorum, & Parthorum; uti colligitur ex Act: II. 9, 10. Sed & aliæ fuerunt dispersionis Judæorum occasiones, vel caussæ. Ptolomæus Lagi filius, captis dolo Hierosolymis, multos ex montano Judææ tractu, Samariaque & Garizim monte in Egyptum traductos sedem ibi figere jussit; & postquam eis apud Alexandriam pari cum Macedonibus conditione jus civitatis dedisset, non pauci reliquorum sponte in Ægyptum migraverunt, partim terræ ubertate, partim Ptolomæi erga suam gentem liberalitate, allecti. *Joseph. Antiq. XII. Cap:* I. Deinde Antiochus Magnus, circa trigesimum principatus sui annum, ducentis præter propter ante æram Christianam annis, duo familiarum Judaicarum millia ex Babylonia eduxit, quas in Phrygiam Lydiamque mitteret, cum amplissimis privilegiis: ut propendentes ad defectionem Græcorum animos in officio continerent. *ibidem Cap: III.* Hi ab Asia minore diffusi sunt in loca circumjacentia, intra mare Mediterraneum, Euphratem & Amanum montem, qui in Cilicia est. Accessit etiam, quod alii, ut Antiochi Epiphanis sævitiem effugerent, alio se quantum pote contulerint; ubi quum non incommode sibi vivere viderentur deinceps cum suis manserunt. Imo & multi mercaturæ caussa, vel ob alias vitæ commoditates, voluntaria discessione, uti *Philo* testatur, ex Israëlitide in alias migraverunt regiones; unde factum ut totus fere orbis Judæorum coloniis repletus fuerit. Jac: I: I, I Petr: I: I. Sic & Tarsus suos habuit, ex quibus Paulus.

VI. Quomodo, Tarsensis quum esset, Romanus esse potuerit.

VI. Id notatu dignum, quod, quum *Tarsensis* esset, *Romanum* se civem dixerit, & quidem natalium jure. Act: XXII. 28. Cæterum dubitari video, an *commune* id cum *Tarsensibus* omnibus habuerit, an *familiæ* suæ *proprium*. Interpretes plerique prius secure statuunt. *Beza*: *Romanum se dicit, non patria, sed civitatis jure; quum Tarsus esset Colonia.* & mox: *Tarsenses civitate donavit M. Antonius Triumvir.* Sic & alii sine numero. Ulterius procedit *Baronius ad An.* LVIII. *Num.* CXLVII. contendens, *Tarsum jus municipale a Romanis consecutam esse*; quandoquidem Paulus se *municipem Tarsensem* esse profitetur. Act: XXI. 39. Præstabant autem *Municipia Coloniis*. *Municipes* enim non tantum, ut *Coloni*, dicebantur cives Romani, sed etiam, *Ulpiano* teste, munerum honorariorum participes esse poterant. Accedit, quod *Coloniæ* legibus Romanorum cogerentur vivere; *municipia* vero legibus suis antiquis patriisque moribus agere sinerentur. Ut autem Tarsus *municipium* diceretur Romanorum, eam dignitatem cives promeruisse creduntur, quod in bello civili Cæsari primum, dein & Octavio studuissent, multaque ea de caussa passi essent. Adeo enim Cæsarianis partibus addicta civitas ista fuit, ut, narrante *Dione Cassio*, pro *Tarsio Juliopolim* se dici postulaverit, in Julii nimirum memoriam, & Augusti gratiam: eamque ob caussam coloniæ aut municipii jure donatam esse tradunt. Cujus rei testes laudantur

dantur *Plinius* & *Appianus*. Sed nimis liberaliter ista a doctissimis viris asserta esse, magnis contendunt argumentis *Heinsius* & *Grotius*. Vix enim ullum apud veteres locum invenias ubi Tarsus *Colonia*, nedum *Municipium*, dicatur. *Et quo modo Colonia*, rogat *Heinsius*, *quum duas tantum in Cilicia Jurisconsultus agnoscat? Ulpianus* ff. de *Censibus* L. 1. *Est & in Bythinia Colonia Apamena, & in Ponto Sinopensis: est & in Cilicia Selinus & Trajanopolis. Cur autem Tarsum* sive *Juliopolim omisit, si & ea locum inter illas habuit?* Municipium fuisse, non aliunde probat *Baronius*, quam ex Latina versione Actuum. Atqui in Græco est *πολίτης*, quæ vox *civem* notat. *Plinius* vero Tarsum, non municipium, non coloniam, sed *Liberam urbem* nuncupat. *Lib: V. Cap. XXVII. Appianus Civilium Lib: V.* concessam Tarsensibus ab Antonio *libertatem* dicit, jus coloniæ aut municipii, non dicit. Quam ob rem id unum restare vult *Grotius*, ut aliquis majorum Pauli, bellis civilibus quæ inter Cæsarem Augustum & Brutum Cassiumque, aut etiam inter eundem Cæsarem & Antonium intercessere, jus illud sibi comparaverit. Unde colligit, ex opulenta familia fuisse Paulum. Adeo Grotiana ista *Joh. Cler.* placuerunt, ut non sine supercilio *Hammondum* in alia euntem increpet. Meo tamen animo necdum satisfacere potuerunt. Nam quod alii de Tarso parcius, dum *liberam civitatem* nuncupant, id magnificentius exsecutus est *Dion Chrysostomus*, *in Tarsica posteriore* omnium liberalissime declamans. Verba ejus sunt: *Vobis, Viri Tarsenses, obtigit ut primi sitis in hac gente: non solum quod maximam omnium in Cilicia habitetis civitatem, & metropolim ab initio; sed etiam quod Cæsarem secundum habuistis optime vobis faventem, & familiarem. Infortunium enim quod civitati illius caussa acciderat, merito eum vobis benevolum fecit, utque daret operam quo majora in vos sua apparerent beneficia, quam calamitates propter eum acceptæ.* Τοιγαροῦν ἅ τις ἂν φίλοις καὶ συμμάχοις, καὶ τηλικαύτην προθυμίαν ἐπιδειξαμένοις, κἀκεῖνος ὑμῖν παρέσχε, χώραν, νόμους, τιμὴν, ἐξουσίαν τοῦ ποταμοῦ τῆς τε θαλάσσης τῆς κατ' αὐτήν. *Itaque omnia quæ quis amicis vere ac sociis, quique tantam exhibuere benevolentiam, præstare posset, & ille* (Augustus) *vobis contulit: terram, sive agrum, leges, honorem, potestatem fluvii, marisque vicini.* In quæ verba sic commentatur *Heinsius*: *Agrum*, liberum videlicet, ac sic immunem. *Leges*, quæ de Libertate, municipiis conferri solitæ. *Honorem*, ipsum Civitatis nempe jus, eximium imprimis ac præclarum. Quæ interpretatio si obtineat, confecta res est. Neque video cur non obtineat. Qui enim eximia quæque pro tantis meritis urbi alicui concedere animum induxit, quid ni is, si in sua id sit potestate, uti certe in potestate Augusti erat, jus civitatis Romanæ concedat? quod ob longe minores caussas aliis urbibus sæpenumero concessum esse constat. Et mirum profecto foret, si in tantis quos *Dion* prædicat honoribus jus illud non comprehenderetur. Huc sane non *Dionis* solum, sed & *Pauli* verba aurigari videntur; qui non aliunde civem se *Romanum* probat nisi

nisi quod *Tarsensis* esset: nihil quod familiæ suæ speciale fuerit memorans. Hoc autem ad fidem assertioni suæ faciendam omnino fuisset necessarium. Unde arguo, consultum non esse, ut præter omnem historiæ auctoritatem singularia majorum Pauli erga Romanos merita, ob quæ familiæ Judaicæ tantum decus concessum sit, temere fingamus.

VII. Prosapia Pauli.

VII. Sed his omissis ad PROSAPIAM Pauli accedamus. Eam ipse magnifice edisserit Philip: III. 5. *Ex genere Israel.* cujus posteros sibi Deus præ cæteris mundi nationibus in peculium selegit. Videtur ἀντίθεσις esse ad *Idumæos*, qui ea ætate etiam habebant περιτομὴν ὀκταήμερον. *Ex tribu Benjamin.* Hoc amplius est. Joseph & Benjamin maxime legitimi & genuini filii Israelis fuerunt. Attamen tribus Benjamin, quamvis in aliis minor, eximium aliquid præ tribu Josephi habuit. Illam enim attingebat sanctuarium, in Benjaminis solo situm. Deut: XXXIII. 12. Ephraim cum cæteris tribubus defecit, imo & defectionis auctor fuit. Benjamin constanter adhæsit domui Davidis, atque ita promissioni quæ Davidi facta erat, ac templo. *Hebræus ex Hebræis.* Non tam genus hic intelligendum esse arbitror (hoc enim satis indicatum esse videtur in antecedentibus) quam distinctionem eorum qui Hebræa lingua in sacris utebantur ab iis qui dicuntur ἑλληνισταί. Magnum enim erat, uti præclare observavit *Coccejus*, non esse Barbarum legi & Prophetis; atque ita cum lacte materno accepisse non ab homine factam versionem, sed ipsius Dei vocem. Nescio an hic memorare debeam quæ *Petitus* annotavit *Variarum Lectionum Cap. XXIV.* Judæos qui in Cilicia erant ἑβραΐζοντας fuisse, qui Biblia Hebraice legerent. Quippe qui attributi fuerint τῇ μετροπόλει Hierosolymis, non Babyloni. Quod ex eo colligit, quia post excidium Hierosolymitanum, quando Patriarchæ sunt instituti, attributi sunt Patriarchæ Palæstinæ Tiberiadensi. At vereor ut universa hæc collectio satis solida sit. Utilius monuero, quod alibi se Paulus *virum Judæum* dixerit. Act: XXI. 39. XXII. 3. Quæ vox ob ὑπεροχὴν tribus Judæ, maxime post reditum ex captivitate Babylonica, Israelitis omnibus communis facta est. Sic & *Mardochæus*, qui *Benjaminita* erat, *Judæus* vocatur. Esth. II. 5.

VIII. An ad Paulum pertineat Jacobi de Benjamine oraculum Gen. 49. 27.

VIII. Non grave neque ingratum Lectori futurum esse spero, si hac occasione excursum aliquem fecero, inquisiturus an in veteribus monumentis oracula quædam exstent quibus prædictum sit, Apostolum aliquem ex tribu Benjaminis proditurum esse. Duo possimum sunt quæ ab Doctissimis Interpretibus, tam Veteribus quàm Recentioribus, huc referri video; paullo pressius examinanda. Eorum alterum exstat Gen: XLIX. 27. his conceptum verbis: *Benjamin est lupus qui discerpit, mane comedit prædam, & ad vesperam dividit spolium.* Hic post *Tertullianum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum*, *Coccejus* Paulum invenit; quamvis diversa a priscis ratione. Veteres enim utramque vaticinii partem Paulo applicatum eunt; hoc fere

ſenſu: quod primo *mane*, hoc eſt *junior*, tanquam lupus vaſtaverit eccleſiam; & *veſperi*, hoc eſt *ſenior* jam, ſpolia gentium Diabolo detracta, Chriſto & eccleſiæ diviſerit. *Coccejus* haut paullo concinnius: obſervat tempus regni, & Reipublicæ Iſraeliticæ habere *auroram*, & *occaſum*. In utroque inſignem eſſe *Benjaminem*. *Saulem* quippe incepiſſe regnare in Iſraële, & hoſtes profligare. Alterum vero *Saulem*, circa Reipublicæ veſperam, noſtrum hunc, diviſiſſe ſpolia, erepta Satanæ, ex Judæis, & gentibus, quod ipſum de Chriſto quoque dicitur. Jeſ. LIII. 12. Conf: Matt: XII. 29, 30.

IX. Non videtur.

IX. Sed vereor ne hæc ſubtiliora, & præter mentem grandævi vatis ſint. Etenim quum *falſi Doctores luporum* nomine paſſim deſignentur Matt. VII: 15. Act. XX: 28. non videtur conveniens ut eodem emblemate fidus præ aliis Chriſti miniſter repræſentetur. *Lupus* certe fuit, quando oves Chriſti immani furore diſperdebat, & dilaniabat. At *lupum* manſiſſe, poſtquam in ovem manſuetiſſimam, & tenerrimi affectus paſtorem, mutatus erat, dictu oppido durum eſt. Nimia ſubtilitas ſæpe nocet in expoſitione Scripturarum. Non agitur hic de una ſolum alterave perſona ex tribu, ſed de indole integræ tribus: nec de Reipublicæ Iſraeliticæ aurora, & veſpera, ſed alluditur potius ad genium luporum. Credibilius itaque eſt ſub typo *lupi*, quem Poëtæ quoque *Marti ſacrum* fecerunt, & quem *Martium* dixerunt ac *Martialem*, Benjaminitarum robur, ac *fortitudinem* ſignificari: cujus ſpecimina egregia ediderunt in bello Gabaitarum cauſſa ſuſcepto. In quo Benjaminitæ ſoli reliquas undecim tribus intrepide aggrediuntur, & viginti ſex millia hominum adverſus quadringenta millia in acie ſtare audent. Jud: XXI. At non ſola *fortitudo bellica* ſpectatur, ſed conjuncta cum ea *rapacitas*, &, quæ rapacitatem felicem ſequitur, opulentia. Conf. Ezech. XXII.27. Hoc quoque complementum ſuum in Benjaminitis habuit, non tam quando Siluntinas ſibi puellas in uxores rapuerunt, quam quando Saul Benjaminita, cum contribulibus ſibi heroibus, uberrimam de Amalecitis prædam retulit: & præcipue quum Mardochæus, ex eadem tribu, ſub auſpiciis Reginæ Eſtheræ, cognatæ ſuæ, ſpolia Hamanis, & filiorum ejus, omniumque adeo hoſtium, non ſibi ſolum ſuæque tribui, ſed & omnibus quaquaverſum Iſraelitis diſtribuit. Porro ſub *veſperam* prædatum eunt lupi. Jer. V: 6. Hab. I: 8. Soph. III. 3. Nonnulli quidem ſolitarii; ſed & alii gemini.

Statius: —— *procedunt gemini ceu fœdere juncto*
Hyberna ſub nocte lupi.

Tum vero prædam communi labore partam inter ſe dividunt; & quiſque partem ſumit, quam, ſi poteſt, illico vorat, aut bene paſtus in poſterum ſeponit quidquid ſupereſt. Huc alludit Jacobeum oraculum. Cujus ſenſus eſt: Benjamin eſt inſtar lupi rapacis, qui prædam uſque ad matutinum tempus comedendam habet, poſtquam eam diviſit veſperi. Vide ſis *Bochart. Hieroz. Part. I. Lib. III. Cap. X.*

X. Ali-

X. Aliquanto fortasse felicius Paulum quærunt *Hieronymus*, *Theodoretus*, *Nicolaus a Lyra*, *Pellicanus*, aliique, in Psal. LXVIII. commate 28. Quod ob duas voces, nusquam alibi occurrentes, diversimode redditur. Juniana versio sic habet: *Illic sit Binjamin, parvus & dominator eorum; principes Jehudæ & cœtus eorum, principes Zebullunis, principes Naphtali.* Veterum sententiam novis nuper tibicinibus fulcivit Vir Clarissimus, *Jacobus Altingius*. *Schilo Lib: V. Cap. XX. & commentario in hunc Psalmum Oper. Tom. II. Part. III. p.* 112. ex quo præcipua ad institutum nostrum facientia excerpam. Prophetico hoc Psalmo describitur gloriosa Christi in cœlos adscensio, cum iis quæ eam sunt consecuta. In quibus est benedicto Domini ממקור ישראל facienda vel *ab iis qui sunt*, vel *ei qui est*, *ex scaturigine Israelis*. במקהלות *In Panegyribus*, magnis non unius populi cœtibus. Porro designantur ii, qui laudum divinarum futuri erant præcones: iique denominantur a *tribubus Israëlis*, unde ortum ducturi erant. Et primo quidem ordine collocatur *Benjamin*, designaturque *Paulus* ex ista tribu oriundus, diciturque הצעיר, Græcis νεώτερος, *Minor*. Conf. Gen. XLIII: 33. quia sicuti Benjamin postremus filiorum Jacobi fuit, ita ipse postremus omnium ad Apostolatum vocatus est: unde se *minimum*, & *abortivum* dicit. I Cor. XV. 8, 9, 10. Vel si צעיר de conditionis & animi humilitate interpreteris, qua notione venit Ps. CXIX. 141. id ipsum quoque ad Paulum optime refertur. Eph. III. 8. Additur vox רודם nuspiam alibi repetita. Ea vel simplex est, ἐκστατικὸν notans (Græci ἐν ἐκστάσει) & sane a רדם est נִרְדָּם *Sopore ecstatico obrui*. Et tum exactissime delineat Pauli *vocationem*, quæ facta in *ecstasi*. Act. IX. 3 - & 12. & *confirmationem* in munere; pariter in *ecstasi* factam. Act. XXII. 17. 2 Cor. XII. I. Vel est composita; & significat *qui dominatur iis*, imperio non herili, sed paterno, & doctoris. I Cor. XV. 15. prærogativa non dominationis, sed laboris supra conservos. I Cor. XV. 10. 2 Cor. XI. 5. 23. *Theodotion*, observante *Drusio*, vertit παιδευτὴς αὐτῶν *præceptor ipsorum*. Huic adduntur שָׂרֵים *Principes* προεστῶτες, ἡγούμενοι. Et quidem *Principes Judæ*, רִגְמָתָם. Vox ἅπαξ λεγομένη. secundum quosdam *acupictos*, id est *excellentes*, & *ornatissimos*, secundum alios *acervum lapidum* designans. *Lapis* autem *stator*, & *conservator* rei alicujus dicitur. Sic Joseph Gen. XLIX. 14. אבן ישראל *Lapis Israelis*. *Acervus lapidum* plures ejusdem tribus notat, in eodem opere collegas. Ex *Judæ* tribu Apostoli fuere *Jacobus minor*, frater Domini. Gal. I. 19. filius *Alphæi*, & *Mariæ* Marc. XV. 40. quæ soror fuit Mariæ matris Jesu Joh. XIX. 15. *Judas*, Jacobi hujus frater. Judæ I. I. *Jacobus Major*, & *Johannes*, filii Zebedæi, & Salomes (quod colligitur ex Matt. XXVII. 56. col: c. Marc. XV. 40.) quam sororem dicunt Josephi, sponsi Mariæ. *Simon Zelotes* aut *Kananites*; quem fratrem uterinum Jacobi minoris, & Judæ credidit antiquitas. *Judas Iscarioth*. Cujus patria *Kerioth* inter urbes Judæ tributas numeratur.

X. At probabilius eo refertur Ps. 88. 27.

Jos.

Jos. xv. 15. Mentio deinde fit *Principum Zebulonis*. Huc referendi *Petrus*, *Andreas* frater ejus, *Philippus*; omnes nati *Betsaida*, urbe *Galilea*, tribus *Zebulun*. Joh. 1: 45. *Bartholomaus*, qui multis idem esse creditur cum *Nathanaele*, tum propter familiaritatem cum Philippo Joh. 1: 46. collato cum Matt. x: 3. tum quia *Nathanael* inter Apostolos nominatur. Joh. xxi: 2. *Nathanael* autem ex Cana Galileæ, Zebulonita fuit. *ib*. Denique *Principes Naphtali*. *Matthæus Capernaita*, ut videtur ex Matth. ix: 9. quæ urbs in ista tribu. Restat *Thomas*, sive *Didymus*; de cujus prosapia nihil liquet. Hæc cum aliis *Altingius*. Neque existimo interpretationem hanc, si rei summa spectetur, spernendam esse. quum & verbis conveniat, & nexui, & sensum fundat uberrimum, nec quidquam a quoquam allatum viderim, quod illi refellendæ sit idoneum; aut ullam huic substitutam meliorem. Præcipue me movet, quod, si ab hac interpretatione recesseris, vix commoda dari queat ratio, cur hæ tribus, nominatim illa *Zebulunis*, & *Naphtali*, quæ nihil notabile habuerunt, præ cæteris hic laudentur. Quod enim plerumque dicitur, has a Templo fuisse remotissimas, & per harum præsentiam omnium significari consensum, nescio an sit solidum. Cur enim omittitur *Aser*, *Zebulune* aliquanto remotior?

XI. In vita Pauli quæ spectanda sint.

XI. Hactenus de Prosapia Pauli. Nunc *vitam* ipsius consideremus. Ubi observanda. I. *Institutio* juvenilis. II. *Secta*. III. *Ingenium* & *mores*.

XII. Ex more gentis suæ didicit opificium.

XII. In *educatione* filii sui hanc sibi operam datam essePauli parentes judicaverunt, ut,ex more gentis, non *animum* solum liberalibus studiis imbuendum, sed & *manus* utili alicui opificio assuefaciendas accurarent. Fuit enim σκηνοποιὸς τὴν τέχνην *tabernaculorum conficiendorum artifex*. Act. xviii: 3. opificio isto studiis per vices interposito. Id enim Judæorum studiosissimis in usu fuisse,tam ut otium & ignaviam effugerent, quam ut de victu sibi felicius prospicerent,pridem a doctis observatum est. Crediderunt Judæi ad parentum officia pertinere,ut filium *circumcidant*,*redimant*, *legem* & *opificium doceant*, eique *de uxore prospiciant*. Atque id quidem de *opificio* tam esse necessarium arbitrabantur, ut Rabbi Juda dixisse memoretur: כל שאינו מלמד את בנו אומנות כאילו מלמדו ליסטנות *Quicunque filium suum non docet opificium perinde est ac si eum doceret latrocinium*. Hinc est quod sapientes Hebræorum honori sibi duxerint ab officiis cognomenta sumere. R. *Nahum* & *Meir* dicti sunt *Librarii*, R. Jochanan *Calcearius*, R. Juda *Pistor*, R. Jose *Coriarius* aut *pellium confector*. Quæ ex *Drusio* omnibus fere nota. Mera itaque ærugo est quod *Orobius*, Judæus, Paulum nostrum *coriorum sutorem* contemtim nominaverit,indeque collegerit, quamvis Pharisæus ex Pharisæo esset, fuisse *ex infima plebe hominem*. Oblitusne est suæ etiam nationis sapientibus probatum fuisse Hesiodeum illud, ἔργον δὲ ὐδὲν ὄνειδος?

XIII. Sed & Gamalielis, pri-

XIII. Cæterum ad sublimiora natus erat Paulus quam ut in vili opificio miseram ætatem transigeret. Solemne Tarsensibus fuisse *Strabo* memorat

Lib.

Lib. XIV. ut postquam literarum ac philosophiæ fundamenta in patriis scholis bene locassent, exteras ad majorem ingenii cultum capessendum impigre frequentarent, nullis literariæ peregrinationis molestiis aut sumtibus deterriti. Idem Paulo factitatum. Qui liberalibus disciplinis ac Judaismi principiis, pro ætatis ratione, in patria probe tinctus, Hierosolymam se contulit, *Gamalielis* disciplinæ initiandus. Credibile est, hunc fuisse *Gamalielem Seniorem*, quem הזקן nuncupant, nepotem *Hillelis*, filium *Simeonis* (an illius qui puerulum Jesum ulnis excepit?) patrem alterius *Simeonis*, cujus ætate destructa fuit ædes. Successit iste Gamaliel patribus suis in ea dignitate, quæ tunc pro summa habebatur. Fuitque ראש הישיבה, *caput Academiæ*, נשיא בכל מקום *Princeps Senatus Judaici*: maxime apud suos existimationis, τίμιος παντὶ τῷ λαῷ. Act. v: 34. Unde & *Onkelosum*, celebrem illum Paraphrastem Chaldæum, in funere ipsius LXX minas resinæ, ad defuncti honorem, combussisse narrant. Initio non iniquus in Apostolos fuit, quos suo permittendos esse fato opinabatur. Act. v: 35. forsan quia Sadducæos, quos oderat, præcipue tunc iis adversari deprehendebat. Postea autem mutavit: si vera sint quæ de ipso tradit *Maimonides*. Nimirum quum videret in diebus suis multiplicari, quos מינים *hæreticos* dicunt, qui Israelitas ad defectionem a Mose sollicitare credebantur, obstitit ipse, & בית דינו *Senatus* cujus præses erat; composuitque formulam orationis, qua a Deo hæreticorum istorum exterminium petebatur: suetis precum in Liturgia Judaica formulis adjungendam. Quæ *Maimonidis* traditio bifariam cum Lucæ commemoratione in gratiam redigi posse videtur. Primo, si credamus hanc fuisse Gamalielis mentem, Apostolos, eorumque successores, utut hæreticos, non humana vi, aut humanæ prudentiæ consiliis esse opprimendos, sed Dei arcanæ providentiæ totam eam rem committendam esse, eorundemque exterminium a Deo precibus esse impetrandum. Sive, quod simplicius & probabilius videtur, statuamus, eum Apostolorum παῤῥησίᾳ, & patrati ab ipsis miraculi evidentia confusum, mitius de ipsis eo tempore censuisse; deinceps vero in duriorem concessisse sententiam, quum præter spem incredibilia Christianismi incremanta cerneret, & Stephani gravissimam increpationem cum indignatione audivisset. Vide sis *Altingii Schilo Lib: IV. Cap: XXV.*

mum quidem æqui, dein iniquissimi in Apostolos, disciplina usus est.

XIV. Ad hujus Gamalielis *pedes enutritus* est Paulus. Act. XXII: 3. Passim ab eruditis observatum est, respici ad morem discipulorum, qui, doctore in altiori loco considente, ad pedes ipsius prostrati, in solo mattisve jacebant. Et profecto tot sunt moris istius in Hebræorum monumentis vestigia, ut in dubium vocari non posse videatur. Præter ea quæ Illustris *Scaliger* in *Elencho Trihæresii* protulit, notissima sententia est ex *Pirke Aboth*, pridem *Drusio* landata. הוי מתאבק בעפר רגליהם *Esto pulverans in pulvere pedum ipsorum*, scilicet sapientum; id est, assiduus esto ad pedes ipsorum auditor.

XIV. Ad pedes ejus enutritus.

auditor. Quibus addi potest quod *Buxtorfius* in recensione operis Talmudici p. mihi 224 ex codice *Berachot* addidit: מנעו בניכם מן ההגין והושיבום בין ברכי תלמידי חכמים *Avertite libros vestros a studio Biblico, & collocate eos inter genua sapientum.* In ipsa etiam Evangelii historia Mariæ exemplum habemus, *ἡ παρακαθίσασα παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ ἤκουε τὸν λόγον αὐτοῦ.* Luc. x: 39. Adde Marc. III: 32. *Καὶ ἐκάθητο ὁ ὄχλος περὶ αὐτόν.* Exstat equidem Hebræorum traditio *Maimonidi* laudata, in hunc sensum: *A diebus Mosis usque ad Rabban Gamaliel non didicerunt legem nisi stantes; verum a quo mortuus est Rabban Gamaliel, descendit morbus in mundum, & didicerunt legem sedentes.* Tanti traditionem istam Doctissimus *Petitus* fecit, ut alia prorsus mente Pauli de se *ῥῆσιν* exponendam pugnet. Quippe quæ non ad animi cultum pertineat, de quo verbis sequentibus, *πεπαιδευμένος κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου*, sed ad contubernium cum Gamaliele, apud quem fuerit educatus, quocum quotidie cibum ceperit, pedibus ejus assidens, in eodem lectulo accumbens; aut, si admodum puer domum Gamalielis deductus est, ad lecti tricliniaris, in quo accumbebat Gamaliel, fulcra assidens, uti tunc moris erat. Cæterum ignoscat mihi Præstantissimus *Petitus*, & qui cum eo sentiunt viri eruditissimi, si flocci non faciam futilem istam de novo morbo qui mundum inde a Gamalielis morte invaserit næniam, quo standi facultas discipulis ademta, & sedendi necessitas introducta sit. Nam sedendi ad pedes doctorum morem antiquiorem esse, ante dicta evincunt. Idcirco facile iis conscisco, qui huc quoque Pauli verba pertinere autumant.

XV. Ad exemplum Præceptoris, & ipse Pharisæus: quæ secta omnium credebatur esse accuratissima.

XV. Uti Pauli præceptor Gamaliel, ita & ipse, SECTA fuit PHARISÆUS. Quod, tanquam rem quæ in Judaismo honorifica habita fuit, frequenter de se ipso commemorat. *Κατὰ νόμον Φαρισαῖος* Phil, III: 5. Ubi *νόμος* vel certam aliquam *sectam* notat, suis legibus ab aliis distinctam; vel *rationem* singularem *explicandæ legis Mosaicæ.* Confer Act. XXII: 3. *πεπαιδευμένος κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου.* Quam ob rem & *ἀκριβεστάτη αἵρεσις τῆς Ἰουδαϊκῆς θρησκείας* dicitur Act. XXVI: 5. Phrasi quæ *Josepho* etiam placuit de *Bel. Jud. Lib. I. C. IV.* *Τάγμα τῶν Ἰουδαίων δοκοῦν εὐσεβέστερον εἶναι τῶν ἄλλων, καὶ τοὺς νόμους ἀκριβέστερον ἀφηγεῖσθαι.* Et *in sua vita.* *Τῆς δὲ Φαρισαίων αἱρέσεως, οἱ περὶ τὰ πάτρια νόμιμα δοκοῦσι τῶν ἄλλων ἀκριβείᾳ διαφέρειν.* Qua singulari accuratione se ab aliis distinguentes, *Pharisæos* se dici valde amarunt: quippe quo nomine פרושים, pro quo Græci *ἀφωρισμένους* dicunt, *separatio* & *secretio* ab aliis innuitur. Notantibus Rabbinis, Pharisæum פרוש ita vocari, שנפרש מדרכי העולם לשרת בשם בתפלה והודות לשם: *Quod separatus sit a viis mundi ad serviendum in nomine Jehovæ, precibus & celebratione Divinarum laudum.* Consistebat autem *ἀκρίβεια* ista, partim in *Dogmatibus*, partim in *Vitæ instituto.* In *Dogmatibus* optima quæque ex lege Mosis amplectebantur, ea-

qui

que quæ Deo glorificando, & pietati hominum animis ingenerandæ maxime credebantur idonea atque efficacia: quales sunt articuli de animarum spirituali natura, & extra corpus existentia, de resurrectione corporum, de præmiorum ac pœnarum post hanc vitam distributione, & quæ hisce sunt connexa. Quo sane nomine insignem præ Sadducæis laudem merentur. Act. XXIII: 6, 7, 8. In *vitæ instituto* incredibilem fere σκληραγωγίαν, &, ut *Epiphanius* nuncupat, ἐθελοπερισσοθρησκείαν sectabantur. Cujus specimina extant Luc. XVIII: 11, Mat. XXIII: 5, 23, 25. Huc pertinent dodrantales tabulæ super quibus somnum capere solebant, quo in pavimentum delapsi mox ad preces excitarentur. Ob eandem caussam quandoque sibi calculos substraverunt, interdum & spinas; somno vel omni vel longiori arcendo. Verbo ut absolvam, segregabant se a promiscua hominum turba, & caverunt sibi ab immunditia omnibus diebus suis; quod *Moses Maimonides* ut *caput sanctitatis, & viam purissimæ religionis* prædicat, apud *Lightfootum ad Mat. XV: 2.*

XVI. Restat ut de Pauli INGENIO & MORIBUS dicamus. *Ingenio* sane præclaro fuit, multarum magnarumque rerum capaci; unde factum est ut in patriarum legum peritia coætaneos suos longo intervallo anteverterit, in Gamalielis Academia juventutis Judaicæ facile princeps. Gal. I: 14. Neque umbraticis duntaxat studiis idoneus, sed & iis instructus dotibus quæ ad res caute & fortiter agendas requiruntur. Ita vero ut eximium in modum eluceret generosi animi alacritas, fervor, atque intrepiditas, nulli cedens difficultati ac periculo. *Moribus* purus castusque fuit, in ipsa juventute contra juventutis vitia probe munitus, & si ea solum attendantur, quibus se civilis honestas, & avitæ religionis tenax professio, commendare solent, vix quidquam erat quod in ipso carperes. Phil. III: 6. Κατὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ γενόμενος ἄμεμπτος. Hinc est quod tanta cum fiducia ad anteactam etiam in juventute vitam provocare, atque in omnibus bonæ sibi conscientiæ studium vindicare ausus fuerit. Act. XXIII: 1. XXIV: 16. 2 Tim. I: 3.

XVI. Ingenio præclarus, moribus probus.

XVII. Fatendum tamen quod fervor iste, qui Paulo quasi innatus fuit, aliquoties eum ultra æqui justique limites abripuerit; præsertim ad dira quæque adversus Christianos patranda. Sed vel in ea ipsa exorbitantia, non malo agebat animo, & odio molestæ sibi veritatis, quod multorum erat Pharisæorum ac sacerdotum scelus; verum conscientiæ non recte informatæ & præjudiciis occupatæ dictamen cæca religione sequebatur: & ex animo ita agendum existimavit, uti egit. Act. XXII: 20. Primum inconsiderate bullientis zeli specimen edidit in morte Stephani, quam cum voluptate spectabat, lapidantium vestes servans. Act. VII: 58. Huc pertinere arbitror, quod de se confitetur Act. XXVI: 10. Ἀναιρουμένων τε αὐτῶν κατήνεγκα ψῆφον, *& quum interimerentur tuli suffragium.* Quum ante Pauli con-

XVII. Sed Christianis, ex ignorantia, infensissimus.

conversionem nemo præter Stephanum Christianæ religionis nomine interemtus sit, oratorie numero plurali usus esse videtur, quamvis solius Stephani cædem designet. Et quum nunquam Paulus pars Judaici Senatus fuerit, neque suffragium inter Judices tulerit, significare vult, se Stephani interfectionem toto animo, verbis, gestibus approbasse. Quo sensu *Æschines* quoque, *Grotio* notante. phrasin istam usurpavit. Hoc est quod dicit Act. XXII: 20. Συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει αὐτῦ. Fuit hoc initium furoris; mox vehementius sævituri. Act. VIII: 3. nam potestate impetrata a Pontifice, totoque Senatu Judaico, *persecutus est* fideles, in *vincula* & *carceres conjiciens viros ac fœminas* Act. XXII: 4. *faciens eos flagris cædi per Synagogas*, ℣. 19. *cogens blasphemare*, & *persequens ad mortem usque; non in Judæa solum, sed & in exteras usque civitates*, Act. XXVI: 11, 12. *ipsamque adeo Damascum*. Act: IX: 1. In quibus nonnulla sunt, uberioris explicationis indigna.

XVIII. Carcerum apud antiquos ratio & usus.

XVIII. *Carcerum* geminus antiquis usus fuit: alter ad reorum *custodiam*, cujus intuitu vocatur משמר, Gen. XL: 3. מטרה Jer. XXXVIII: 28. & φυλακὴ; alter ad *pœnam*: cui inservivit aliquando *fovea cœnosa*, uti illa in quam demissus est Jeremias Cap. XXXVIII: 6, aliquando *arctior* in interiori carcere *locus*, quem מהפכת dicunt. Quomodo Asa, non ferens justam sacri vatis increpationem, præter fas & æquum conjecit ipsum in בית המהפכת *carcerem cippi*. 2 Chron. XVI: 10. Eadem mente Semajas, Jeremiæ hostis infensissimus, Zephaniam cæterosque sacerdotes, præfectos domui Jehovæ, acri oratione stimulat, ut Jeremiam ponerent אל המפהכת ואל הצינוק *in cippo & in scapha* Jer. XXIX: 26. Mitto illud scapha, quod nostræ nunc considerationis non est; vox Hebræa, quam *cippum* vertunt, a *curvitate* & contorsione corporis nomen habet, eique respondet vox Chaldæa כיפא cujus frequens in Talmude usus est. Ejus hanc ex Rabbinis definitionem tradit *Coccejus*, in *notis ad Sanhedrim*, *Cap. IX. p.* 74. מושב מאסר שעושים בבית הסוהר גבהו כשיעור קומת האדם שכרת בשברת ואין לו שם מקום להתפשט ולא לישן: *Est claustrum in carcere, altitudine æquans hominis mensuram, examussim, ita arctum ut porrigendi se ad somnum capiendum facultas nulla sit*. In talem carcerem secundum Hebræorum instituta compingebatur qui ob peccatum sub excisionis pœna vetitum bis flagris cæsus tertia id vice commiserat. *Talis*, inquiunt, *non amplius verberatur, sed includitur caveæ ad id factæ, qui est locus angustus humanam staturam æquans, qui sedendi facultatem non præbet; ibi sustentatur pane afflictionis & aqua pressuræ: usque dum affligantur intestina ejus & ægrescat. Deinceps cibant eum hordeis, donec venter ejus disrumpatur*. Vide sis *Schickardum de Jure Regio Cap. II. Theorem: VII.* Qua mente furens Paulus fidos Jesu discipulos in carcerem compingi curaverit; an ad custodiam, an ad pœnam, an ad utramque, historia tacente equidem definire non ausim.

XIX. Alienum quibusdam videtur, quod Paulus *per Synagogas flagris cædi*

cædi Christianos curaverit. Ecquid in domo precibus ac religioni dicata forensia judicia executioni mandata, & supplicia de reis sumta sunt? Tanti ea difficultas *Bezæ* visa est, ut locum Mat. x: 17. ubi idem dicit Christus, contra codicum omnium fidem mendi suspectum habuerit. Quæ profecto commentandi ratio a nostro ingenio perquam aliena est. Quid ergo fiet Mat. XXIII: 34. ubi hisce extat geminum? *Grotius* per συναγωγὰς non *proseuchas* intelligi vult; sed *civiles* ac *juridicos conventus*. Sed & id oppido durum est: quum illius significationis nullum, quod sciam, ex Novo Testamento producatur exemplum. Quid ergo? Tam disertis historiis non sunt nobis opponendæ ratiocinationes quas ipsi a decori aliqua specie fabricamus. Fac non extare nunc in aliis scriptoribus flagellationis quæ in synagogis facta sit mentionem; ideoque dubium esse debet id quod Christus & Paulus, ut rem sua ætate notissimam, apertis verbis memorant? Neque caussa est cur flagellatio in synagogis adeo nobis mira videatur, quum pars sit disciplinæ, excommunicatione minor, atque honestior. Illa enim castigatos fuisse volunt illustrissimos quosque sapientum, ubi in legem deliquissent; ne principe quidem senatus, aut pontifice exemto.

XIX. Non debet incredibile videri, Christianos in Synagogis esse flagellatos.

XX. Sed & exempla flagellationis in synagogis alibi inveniuntur. Ipse *Grotius* ex *Epiphanio* notavit, Judæum quendam, quum ad Christianismum deficere vellet, in synagoga flagris cæsum. Historia extat *Adversus Hære. Libri I. Tomo II. Cap. XI.* & huc fere redit. *Josephus* quidam, Patriarchæ Judaici *Apostolus* (de cujus vocis significatione commodior dicendi occasio deinceps dabitur) in Ciliciam Patriarchæ jussu profectus ut decimas ac primitias a provincialibus Judæis exigeret, in domo aliqua Ecclesiæ vicina diversabatur. Exinde contracta cum Episcopo familiaritate clam ab eo Evangelicorum librum postulat ac legit. Quod odorati Judæi cæteri, pessime ipsi cupientes, ex improviso impetum in ædes faciunt, atque in ipsa Evangeliorum lectione *Josephum* opprimunt. Heic libro e manibus erepto hominem corripiunt, & ad terram allisum vociferantes, maximisque contumeliis vexantes, ἀπάγουσι μὲν εἰς τὴν συναγωγὴν καὶ μαστίζουσι τοῦτον *in synagogam abducunt virgisque cædunt.*

XX. Quippe quod & suo tempore factum esse Epiphanius memorat.

XXI. A quo non multum abludit recentior historia *Urielis Acostæ* ab ipsomet descripta in libello cui titulum fecit *Exemplar humanæ vitæ*, quem suæ cum Orobio collationi subjunxit *Limborgius*. Res ipsa Amstelodami contigit circa annum trigesimum proxime elapsi seculi. Erat autem ille *Uriel Acosta* natione Judæus, at de plerisque fidei Judaicæ articulis prave sentiens, revera *Epicuræus*: citatus eo nomine a prefectis synagogæ judicio se stitit. Ubi prælectus ei libellus, quo continebatur, debere eum veste lugubri indutum synagogam intrare, cereum nigrum in manu tenentem, & certa quædam verba per illos scripta, fœda satis, palam coram concione evomere, quibus iniquitates quas commiserat usque in cælum efferebant. Post

XXI. Et Patrum nostrorum ætate sibi in synagogæ Amstælodamensi accidisse flebiliter narrat Uriel Acosta.

hæc debere ipsum *publice in synagoga flagellari flagello coreaceo*, ceu ligaculo; deinde in synagogæ ipsius limine se prosternere, ut omnes super ipsum transirent. Quæ quomodo exsecutioni tandem mandata sint, suis ipsum verbis narrantem audiamus. *Intravi synagogam, quæ hominibus & mulieribus plena erat, convenerant enim ad spectaculum, & quando tempus fuit adscendi suggestum ligneum, quod est in medio synagogæ ad concionandum, & clara voce prælegi scripturam ab ipsis exaratam, in qua continebatur confessio, me scilicet dignum esse millies mori propter ea quæ commiseram, nempe violationem Sabbati, fidem non servatam, quam in tantum violavi, ut etiam aliis suasissem ne Judaismum intrarent &c. Peracta lectione descendi a suggestu, & accessit ad me sacratissimus præses, susurrans mihi in aurem ut diverterem ad angulum quendam synagogæ. Contuli me ad angulum, & dixit mihi janitor, ut me nudarem. Nudavi corpus ad cincturam usque, linteum capiti subligavi, calceos deposui, & brachia erexi, manibus tenens quandam quasi columnam. Accessit janitor ille, & manus meas ad columnam illam quadam fascia colligavit. His ita peractis accessit præcentor, & accepto corio percussit latera mea triginta & novem percussionibus, secundum traditionem.... Inter percutiendum Psalmus decantabatur. Hoc impletur, humi sedi, accessit concionator, seu sapiens, qui me ab excommunicatione absolvit: & ita jam porta cœli mihi erat aperta, quæ antea fortissimis seris clausa me a limine & ingressu excludebat. Post hæc indui vestes, abii ad limen synagogæ, prostravi me, & custos ipsius sustentabat caput meum. Tunc omnes qui descendebant transibant super me, scilicet elevabant pedem unum, & transibant ad inferiorem partem crurum meorum, quod omnes tam pueri quam senes fecerunt. Quando jam nullus restabat, surrexi e loco, & mundatus a pulvere per illum qui mihi assistebat, domum me contuli.* Quæ, quamvis prolixiora, exscribere non piguit, quod prorsus existimem priscum in synagogis flagellandi morem nova hac scena ad vivum repræsentatum esse.

XXII. Qua ratione Paulus Christianos ad blasphemandum coegerit.

XXII. Porro quod *coactos ad blasphemandum* Christianos esse narret, id quoque ex Hebræorum Antiquitatibus elucidandum est. Tempore Gamalielis conceptam esse adversus hæreticos precandi formulam, supra memoravimus. Illius auctorem perhibent fuisse *Samuelem* quendam, cognomento *Exiguum*, fervidum Gamalielis Discipulum. Formula apud *Maimonidem* ita habet: למשומדים אל תהי תקוה וכל המינים כרגע יבאדו *Apostatis non sit spes, & omnes in universum hæretici veluti momento disperdantur: regnum superbiæ eradices, & confringas cito in diebus nostris. Benedictus esto tu Domine, frangens impios, & humilians superbos.* *Samuelem* istum Exiguum Jacobus Altingius *Paulum* nostrum esse contendit *Schilo Lib: IV. Cap: XXXVII.* Sed, quod pace Viri Doctissimi dictum sit, tenuibus admodum argumentis. Suffecerit observasse, orationculam hanc blasphemias continere, adversus Christianos & regnum Dei in Christo. Porro credibile admodum est; Paulum mandatis Gamalielis ac Senatus instructum, per synagogas

nagogas obiviſſe, orationem iſtam cum iis communicaſſe, atque ad illius recitationem obligaſſe. Conſtat autem eos qui nomen Jeſu profitebantur ſynagogas etiam frequentaſſe, ut lectioni legis ac prophetarum, & communibus precibus intereſſent. Hos neceſſe fuit, vel contradicere iſti formulæ, atque ita ſe *Minæos* confiteri; quomodo mox diſcerni ab aliis, in cuſtodiam rapi, & pœnis affici potuerunt; vel conſentientes una blaſphemare, & novum dogma exſecrari. Utcunque caderet, voti ſe ſui compotem factum eſſe furens Saulus ſibi gratulabatur. At nunquam propius a ſui converſione abfuit, quam quando inſaniſſime ferociebat. Cui hiſtoriæ ſequentem exercitationem dabimus.

SECTIO II.

De vocatione Pauli ad Chriſtianiſmum & Apoſtolatum.

BREVIARIUM.

I. *Vocationis Pauli ad Chriſtianismum.* II. *Occaſio. Ubi multa de Damaſco.* III. *Quid juris Hebræorum Pontifici aut Senatui in Damaſcenos fuerit.* IV. *Hieronymi circa Damaſcum obſervatio.* V. *Jeſus ipſe Paulo in fulgidiſſima luce viſus.* VI. *Sed quo modo,* VII. *& ubi?* VIII. *Audita quoque Jeſu compellatio.* IX. *Quæ de Sauli pervicacia inſigniter triumphavit.* X. *Quomodo Sauli comites viderint, & non viderint; audiverint, & non audiverint.* XI. *Triduana Sauli cæcitas, non carens myſterio.* XII. *Cui ſimile aliquid Iberorum Regi accidiſſe memoratur.* XIII. *An triduo illo cæcitatis & jejunii, obtigerit Paulo raptus in Paradiſum.* XIV. *Non videtur.* XV. *Commercium Pauli cum Anania.* XVI. *Spanhemii Diſſertatio de Apoſtolatu laudata.* XVII. *Quinam Apoſtoli dicti ſint Græcis.* XVIII. *Qui, Hebræis.* XIX. *Qui, Chriſtianis.* XX. *Apoſtoli κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dicti, cum ſuis prærogativis.* XXI. *Quæ omnes Paulo eminentiſſime competunt.* XXII. *Æra converſionis ipſius.*

VOcatio Pauli ad Chriſtianiſmum tria imprimis notabilia habet. I. *Occaſionem* antegreſſam. II. *Vocationem ipſam.* III. *Proximas illius ſequelas.* I. Vocationis Pauli ad Chriſtianiſmum.

II. OCCASIO hæc fuit, quod minas ac cædem contra diſcipulos Domini ſpirans, literis à Pontifice Maximo Hebræorum impetratis, Damaſcum profectus ſit, ut, quoſcunque Chriſtianæ ſectæ inveniſſet, ſine ſexus diſcrimine, vinctos Hieroſolymam abduceret, ex Senatus ſententia gravibus afficiendos pœnis. *Damaſcus* urbs eſt antiquiſſima, quam veteres conſenſu tradidere conditam eſſe ab *Utz*, Arami filio, Semi nepote. Fuit metropolis Syriæ illius, quæ *Aram Dammeſec*, ſive *Syria Damaſcena* dicitur, quæ eſt inter Libanum & Antilibanum. Aſſidet monti *Hermoni*, ex quo deſcendunt inſignes fluvii *Abana* & *Pharphar*; quorum hic urbem alluit, II. Occaſio. Ubi multa de Damaſco.

ille

ille mediam secat. Urbs fuit frequentissima, amœnissima, opulentissima. Sed quæ, uti varias experta rerum vicissitudines, ita & sæpe mutavit dominos. Ante Christi tempora victo *Tigrane*, armis *Pompei* capta *Romanis* cessit. Pauli ætate *Aretam* Regem Arabiæ, socerum Herodis Tetrarchæ, dominum habuit. 2 Cor. XI: 32. Magna tunc ibi Judæorum frequentia; quæ vel ex eo colligi potest, quod sub Nerone decem millia ejus gentis, a Damascenis inermes circumventi, & in publicis thermis trucidati sint: teste *Josepho, de Bello Jud. Lib. II. Cap. XXV.* In Judæis autem Damascenis aliquammulti inveniebantur Christiani: in quorum perniciem furens animi Saulus, Pontificis Hebræi literis & mandatis instructus, veluti accipiter in columbas advolabat.

III. Quid juris Hebræorum Pontifici aut Senatui in Damascenos.

III. At quid juris, inquias, vel Pontifici, vel Senatui Hierosolymitâno in Damascenos, prorsus ad alterius ditionem pertinentes? Enim vero tanta erat Synedrii Hierosolymitani auctoritas, ut non solum qui in vicinia terræ Israëliticæ habitabant Judæi, sed Babylonii, & Alexandrini, statuta ejus venerarentur ac jussa capesserent; magnum illum Senatum agnoscentes pro firmissima arce totius legis oralis. Præsertim quando agebatur de crimine hæresios, & judicio capitali in falsos prophetas; quod unice huic Senatui competiisse volunt. Romani, quorum imperio cum Arabia sua universa Aretas ipse tunc suberat, permittebant etiam Synedrio jus prehensionis & verberum, non in Judæos Palestinæ tantum, sed & in alias quascunque synagogas, quæ sponte sua Synedrii jurisdictionem in re religionis agnoscerent.

IV. Hieronymi circa Damascum observatio.

IV. Hebræorum nonnulli Damascum interpretantur *Sanguinis poculum*, vel *sanguinem bibens*, quasi esset vox composita ex דם & שקה. Adduntque, eo in tractu fuisse campum, ubi a parricida *Caino* interfectus est *Abel*. Quod Hieronymo occasionem dedit observandi, sapienti Dei providentia factum fuisse, ut eodem in loco Christianos persecutum veniret Paulus, *erga Abelis imitatores Caini opera imitans.* Sed hæc apocrypha, & nullius rei sunt. Satius est ut attendamus memorabilem Divinæ gratiæ triumphum; quæ immanissimum hostem, in medio furoris impetu, non modo repente prostravit, sed & mox sibi vindicavit: tum servavit, quum se & alios perditum iret: ad Christianismum convertit, quum & ipse longissime ab eo aversus videretur, & alios averteret. Adeo Deo suæ agendi oportunitates optime semper constant. Sed nec illius sine animadversione transmittendum est, quod Paulus, cui destinata gentilium conversio erat, ad Christianismum conversus, & ad Apostolatum vocatus sit, in regione & tantum non in urbe gentili.

V. Jesus ipsi Paulo insulgidissima luce visus.

V. Modus vocationis prodigiis ac miraculis scatet. Christus enim, vocationis auctor, repente se & *videndum* & *audiendum*, insolita prorsus ratione, præbuit. Visa primum Paulo *Lux* est, *veluti fulgur e cœlo* Act. IX: 3. quæ

quæ *splendorem solis superans*, & *ipsum & eos qui cum ipso iter faciebant, suo fulgore circumfudit.* Act. XXVI: 13. Qua luce significabatur gloria apparentis Christi, qui est stella illa matutina, oriens ex alto, sol justitiæ, lux ad illuminationem gentium, & gloriam populi Israëlitici; & qui se luce veluti amictu operit. In ea luce, ipse se conspiciendum præbebat *Jesus.* Sic enim Paulo Ananias: Act. IX: 17. *Jesus qui visus est tibi in via qua veniebas.* Rursus XXII: 14. *Datum tibi est, ut videres Justum illum, & audires vocem ex ore ipsius.* Et Jesus ipse Act. XXVI: 13. εἰς τοῦτο ὤφθην σοι.

VI. Sed *quo modo* visus est Jesus? An *per angelum*, vices ejus sustinentem? Nequaquam. Neque enim angeli est ea sibi verba sumere quæ propria sunt Jesu. An in *Symbolo*, quo modo Israëlitæ Deum viderunt ad montem Sinai? Non sufficit. An in *visione*, ut Jesaias? Nec hoc satis facit. An *oculis corporis*? Sic arbitror. Debuit enim Paulus hoc quoque Apostolatus sui argumentum habere, quod Christum, in persona, quod ajunt, oculis suis conspexerit. Qua de re plura suo loco. VI. Sed quo modo?

VII. Cæterum *ubi* tunc Christus? An in cœlo? an in aëre viciniore? Equidem nescio. Nam quod Act. III: 21. dicitur, *quem oportet cœli capiant usque ad tempora restitutionis omnium*, intelligi potest de ordinaria Jesu in cœlis mansione: qua non impeditur tamen quo minus per extraordinariam aliquam œconomiam, in aërem terræ viciniorem ad exiguum tempus descenderit. Sed & in cœlis manens videri Paulo potuit, per miraculosam facultatis elevationem, remotisque Dei virtute omnibus impedimentis, quo modo Stephanus nuper in terra positus, cœlis apertis, vidit Jesum stantem ad dexteram Patris. Act. VII: 55. Neque enim incredibile censeri debet, quod is, qui dedit homini artem longinqua tanquam propiora, & parva tanquam longe majora oculis sistendi, Stephano eam oculorum aciem dederit, ut e terra quæ in cœlis gererentur perspicere potuerit. VII. & ubi?

VIII. Cæterum & vocem se compellantis *audivit* Paulus. *Saul, Saul, quid me persequeris?* Ingeminatum *Sauli* nomen, & persecutionis exprobratio, in mentem ipsi revocare poterat, quod *Saul* olim *Davidi*, id *se* nunc *Davidis filio* ac *Domino* facere. Sed non norat se compellantem miser. Nec speciei suetus, quæ se oculis, nec vocis sono, qui se auribus ingerebat. Neque tamen stupebat prorsus; sed attonitus rogat, *Quis es Domine?* Nec moratur rogantem Dominus: *Ego*, inquit, *sum Jesus, quem tu persequeris.* Ego sum Jesus ille, tot olim miraculis inclutus, tam proterviter a Judæis rejectus, a proceribus ad necem expetitus, a Pilato, ipsorum rogatu, cruci affixus: qui mortuus sum, sed ecce vivo, & regno in cœlis, & triumpho de hostibus meis. Ego sum ille Jesus; quam spretum & exosum olim, tam tremendum nunc tibi nomen. Ego sum ille Jesus, quem tu tam ferociter insaniens persequeris. Nam, ne nescias, tam arcta inter me & discipulos meos necessitudo est, ut quod illis infertur mali mihi inferri judicem, & VIII. Audita quoque Jesu compellatio.

qui eos tangit oculi mei pupillam tangat. *Durum tibi fuerit contra stimulos calcitrare*: pervicacia tua nulli ægrius facturus es quam ipsi tibi.

IX. Quæ de Sauli pervicacia insigniter triumphavit.

IX. Quæ compellatio Jesu eam in animum Pauli vim habuit, ut repente in alium mutatus hominem tremens pavensque dixerit: *Domine, quid me vis facere?* Scilicet pro Domino agnoscit, cujus Majestatem incomparabilem ex visis & auditis perceperat. Persequendi animum deponit; intellecto Regi fieri quod fiebat subditis, omnemque persecutionis diritatem recisuram denique in caput persequentis. Et quod rei caput est, toto animo ad objurgantis se offert obsequium. Hic est triumphus ille gratiæ, quem grato dein animo prædicavit 2 Cor. II: 14. τῷ δὲ Θεῷ χάρις τῷ πάντοτε θριαμβεύοντι ἡμᾶς ἐν τῷ χριστῷ. Quod verti posse autumo: *Deo autem habeatur gratia qui semper nos triumphat, sive in triumphum abducit, in Christo.* Hoc enim significat vox θριαμβεύειν, tam in sacris quam prophanis literis. Hac mente Paulus noster Col. II: 15. θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ. Sic & βασιλεῖς θριαμβεύειν *Reges in triumpho circumducere* dixit *Plutarchus in Romulo*: & *Virgilius*, *gentes triumphatas*; & *Plinius*, *Achæos triumphandos.* Nimirum Christus Deus victor adscendit in cœlum; nec tamen cœlo includitur, sed vehitur per campestria, sternit hostium ferocissimos. In illo triumpho circumduxit imprimis Paulum, tanquam castrorum hosticorum non modo insigne spolium, sed & fortissimum antesignanum. Eum itaque ostentavit mundo plane καταδεδουλευμένον, ut nullum mancipium magis domini sui esse possit quam Paulus Christi.

X. Quomodo Sauli comites viderint, & non viderint; audiverint, & non audiverint.

X. At tollendum hic restat aliquod ἐναντιοφανές. De comitibus Pauli narratur Act. IX: 7. quod *audiverint quidem vocem, sed neminem conspexerint.* Paulus autem de iis qui secum erant testatur, Act. XXII: 9. quod *lucem quidem conspexerint, & expavefacti sint, vocem vero non audiverint ejus qui loquebatur cum Paulo.* Ubi gemina videtur esse contrarietas: quarum altera ad *visum*, altera ad *auditum* pertinet: At prior nullo fere negotio removetur. Optime enim consistunt hæc duo, quod *lucem* quidem fulgentissimam *viderint*, *Jesum* autem in luce *non viderint.* Hoc Lucas dixit, illud Paulus. Major difficultas est in altero. *Beza* expeditam se conciliandi rationem invenisse putat; scilicet uno loco agi de voce Pauli, quam audiverint, alio de voce Christi, quam non audiverint. Sic ut stuporis ipsorum duplex assignetur caussa; una, quod repentino fulgore prostrati essent in terram; altera, quod Paulum audirent cum alio loquentem, & neminem tamen viderent quicum loqueretur. Quibus hanc observationem Doctissimus interpres addit: *Fiebant hæc omnia unius Sauli caussa. De comitibus nusquam narratur, eos Christum amplexos esse: quod tamen verisimile est fuisse facturos si vocem loquentis Christi audivissent. Sed putarunt nimirum Saulum, repentino fulguris metu percussum, existimasse se audire quæ non audivisset: ita disponente Divina providentia, ut qui postea suæ gentis hominibus ista narrarent minus suspecta

spectæ fidei essent. Quæ erudita sane & pia observatio est. Duæ tamen aliæ conciliationis viæ sunt, ista fortasse commodiores: ut utrobique quidem de *Christi voce* sermo sit, sed alter locus de *sono confuso* & voce ἀσήμῳ, alter de *articulato sermone* sit accipiendus. Fere uti Joh. XII: 28, 29. ubi solus Jesus vocem respondentis sibi e cœlo Patris distincte audiebat; *turba autem, quæ adstabat & audierat, dicebat tonitru esse factum*. Eodem ferme modo Hebræi distinguunt apud *Ligtfootum*, לא היו שומעים את הקול sed לא היו שומעים את הדבר *Audiverunt vocem, at non audiverunt verbum*. Vel, quod *Ludovicus Capellus* addit, uterque locus de *articulata voce* explicari posset: verum ita ut alter intelligatur de *sermone*, cujus *sensus* & mens ab audiente *percipitur*, alter de *sermone*, qui ab auditore *non capitur*. Pone Christum Hebraica dialecto Paulum compellasse; quod & factum: pone item quod comites illi Hebraicæ linguæ fuerint ignari, quod facile fieri potuit; dici potest, quod audiverint, quoad sonum; quod non audiverint, quoad intellectum. Ita sane explicandum est quod purpurati Ezechiæ Regis Rabsaki dicebant Jes. XXXVI: 11. *Alloquere quæso servos tuos Syre*, כי שומעים אנחנו *quia nos audimus*, id est intelligimus. Eademque mente Paulus noster scribit 1 Cor. XIV: 2. *Qui enim loquitur lingua*, aliis incognita, *non hominibus loquitur, sed Deo*: οὐδεὶς γὰρ ἀκούει *nemo enim audit*, id est intelligit.

XI. Sed ad Paulum redeamus, ea nunc consideraturi quæ hanc ipsius vocationem proxime CONSECUTA sunt. Ubi primo loco occurrit *triduana* illius *cæcitas*. Act. IX: 8, 9. ἀπὸ τῆς δόξης τοῦ φωτὸς ἐκείνου. Act. XXII: 11. perstrictis oculis fulgore tantæ lucis, ac splendore nimio debilitatis; quo modo ad speculi ardentis, ad multæ nivis, ad solis adspectum, ad faces oculis admotas, aut repentinam e tenebris lucem, cæcitas in multis successit. Fuit hic non *obscuratio* quædam oculorum ad breve tempus, sed *facultatis videndi ablatio*; fortasse talis quæ nisi miraculo curari non potuerit, certe non debuerit. Nec *mysterium* abesse videtur. Ita edoctus fuit, lætis tristia a Deo misceri, & salutem animæ quandoque cum dispendio corporis esse conjunctam: impares esse mortalium oculos ferendo splendori Divinæ Majestatis: primum cœlestis luminis hunc esse effectum ut redigatur homo ad spiritualis suæ cæcitatis, cujus symbolum illa corporalis est, agnitionem ac sensum: ideoque lucem rationis corruptæ abnegandam, ut succedat lux gratiæ: nihil videre mundum quamvis apertis oculis, quales sibi tribuebat Bileamus Num. XXIV: 15. contra oculis corporis clausis apertissimos quandoque esse illos fidei & gratiæ: Christo semel conspecto, ab aliarum rerum contemplatione avertendos aliquantisper oculos, ut huic soli incumbatur: dum sodales suos non videt amplius, a priori se sodalitio segregandum, & cæcis dehinc oculis eundum in mandata Christi.

XI. Triduana Sauli cæcitas, non carens mysterio.

XII. Affinitatem aliquam cum hac Pauli historia habet quod de *Hero-*

XII. Cui simile aliquid Iberorum Regi accidisse memoratur.

rum Rege narrat *Theodoretus Hist. Lib. I. Cap. XXIV.* Ejus uxor captivæ mulieris precibus a gravi morbo repente curata, & ad Dei Christique cognitionem conversa, maritum quidem rei admirabilitate valde perculit, sed ad Templum Deo ædificandum non permovit. Brevi de hinc tempore Rex ad venandum egressus est: sed Clementissimus Dominus, ut olim Paulum, sic & illum est venatus. Nam caligo repente oborta eum ulterius progredi vetuit. Ac venationis quidem comites solaribus radiis more solito fruebantur. Ipse vero solus relictus cæcitatis vinculis constrictus tenebatur. In has redactus angustias viam salutis invenit. Statim enim recordatus incredulitatis suæ, & captivæ mulieris Deum adjutorem sibi invocans, cæcitatis tenebris liberatus est. Et ad mirabilem illam captivam profectus, rogavit ut extruendi templi formam ostenderet &c. Sed certiora sunt quæ de Pauli triduana cæcitate in sacris traduntur, & conjuncto ei triduano jejunio. Quod partim quidem naturale esse potuit, cibi appetitu ex vehementi mœrore, corporis debilitate, & animi consternatione, prostrato; sed potissimum voluntarium fuit atque religiosum, quale ab Esthera in triduum protractum est. Est. IV: 16. Conjunctum enim fuit cum precibus adeo ardentibus, ut suis eas apud Ananiam laudibus ipse dignatus sit Deus.

XIII. An triduo illo cæcitatis & jejunii, obtigerit Paulo raptus in Paradisum.

XIII. Non desunt Viri eruditissimi qui hoc *cæcitatis* & *jejunii triduo raptum* illum *in Paradisum* de quo 2 Cor. XII. Paulo contigisse opinantur. In iis præter alios quamplurimos sunt *Ludovicus Cappellus* & *Cevius*. Eo argumento, quod sententia ista & *rei* consentanea esse videatur, & *tempori*. *Illi;* constat enim ex Gal. I: 12. quod eo triduo non ab homine acceperit neque edoctus sit Evangelium, sed ex revelatione Christi. Quando autem illustrior ei facta est revelatio, quam quo tempore in supremum cœlum raptus vidit & audivit ἀνεκλάλητα & ἄῤῥητα? *Huic* etiam: nam inter Pauli conversionem & scriptam eam ad Corinthios epistolam quatuordecim annos intercessisse in *historia Apostol. characterismo VI.* probare nititur *Cappellus*.

XIV. Non videtur.

XIV. Sed meo judicio parum feliciter. Nam, ut a *tempore* ordiar, anno a conversione XIV profectus est Paulus cum Barnaba ad Synodum Hierosolymitanam, ut viri summi consentiunt. Posterior ad Corinthios epistola Synodo Hierosolymitana plus quam quinqennio senior est, scripta aliquot mensibus ante ultimam Pauli in Judæam profectionem, maturandæ eleemosynæ quam secum Hierosolymam asportaturus erat, 2 Cor. VIII: & IX: referturque ad annum a conversione XIX. At nec *res ipsa* suadet ut hic de raptu Pauli cogitemus. Non ob eam solum rationem, quia Lucas eum hic silentio transmittit, qui visionem Ananiæ oblatam, & Ananiam Paulo in ὁράματι conspectum refert. Nam multa alia Lucæ indicta ex Paulinis Epistolis supplenda esse, prosecutio historiæ docebit. Neque alibi in isto libro raptus hujus mentio deprehenditur; quamvis certum sit eum intra

tempus

tempus illius historiæ contigisse. Sed neutiquam probabile mihi videtur, raptum illum obtigisse Saulo nondum baptizato, nondum Apostolo, nondum munus suum aggresso, secus ac Prophetis, & Petro, Johanni, Stephano, aliis accidit; quibus pridem vocatis cœlestes illiusmodi visiones concessæ sunt. Nec desunt alii divinæ ἀποκαλύψεως modi præter raptum tam extraordinarium. Tum & ἀποκάλυψις facta Paulo, & plena institutio, ad Apostolatus functionem necessaria, fuit de Evangelii mysteriis, quæ & viva voce & scripto ubivis gentium publicavit. In raptu autem suo audivit ἄῤῥητα ῥήματα, quæ evulgare nefas erat. Hæc faciunt ut ad aliud tempus, de quo suo tempore, raptum illum Pauli referendum esse putem.

XV. Itaque commercium hic potius attendamus quod ad finem hujus tridui Paulo cum *Anania* fuit. Anania, inquam, *discipulo* Jesu Christi com: 10. perspectæ apud suos probitatis viro Act. XXII: 12. Dei amico & familiari, Divinisque visionibus assueto. An & Evangelista & doctore? Non admodum liquet. Eum certe destinaverat Deus, per quem declaranda Paulo Jesu voluntas erat. Eundem etiam Paulo ostenderat ἐν ὁράματι, nimirum quoad vultum, staturam, totamque reliquam corporis habitudinem, prorsus qualem deinceps post redditum sibi oculorum usum deprehendit. Ita pensavit Deus cæcitatem corporis longe potiori visione prophetica. Ananias iste Divino obsequens mandato ad Paulum accessit, blande eum compellavit, & fata sua edocuit, *manus* denique *imposuit*, ut, faciente Jesu, visum recuperaret, simulque impleretur Spiritu Sancto. com. 17. *Impositio manuum* aliis quoque occasionibus usurpata, geminum usum symbolicum habuit. I. Ad *Sanationem miraculosam* Mat. IX: 18. Marc. XVI: 18. II. Ad *collationem* extraordinariam *donorum Spiritus Sancti*. Act. VIII: 17. & XIX: 6. Utrumque obtinuit Paulus. Nam mox *ceciderunt ab oculis ipsius veluti squamæ*, adumbrantes velum illud de quo 2 Cor. III: 14. & e vestigio recuperavit visum; sensitque se virtute Divini Spiritus in alium hominem esse transformatum. Denique jubente Anania BAPTIZATUS est, in remissionem peccatorum, & obsignationem suscepti *Christianismi*.

XV. Commercium Pauli cum Anania.

XVI. Quocum individuo nexu conjunctus fuit APOSTOLATUS. Ad cujus intelligentiam necessum erit quædam generatim præfari, ut nihil eorum quæ ad Apostolatum requiruntur Paulo defuisse appareat. Exstat equidem Celeberrimi SPANHEMII, heu nuper nostri, diserta, elegans & quæsitissimæ eruditionis plena, de *Apostolatu & Apostolis Dissertatio*, qua reliquis omnibus de eodem argumento scribere cupientibus otium fecisse censeri queat. Verumtamen ne nostra hæc Exercitatio aliqua, eaque necessaria, sui parte mutila esse videatur, quædam hic inserenda omnino sunt: sed plenius ac eruditius a Viro incomparabili pertractata, ideoque apud ipsum legenda. Primum itaque de *nomine Apostolorum* quædam præcognoscamus, felicius deinceps *rem* ipsam explanaturi. *Nominis*, pro gen-

XVI. Spanhemii Dissertatio de Apostolatu laudata.

tium diversitate diversus est usus, *Graecorum*, *Judaeorum*, *Christianorum*.

XVII. Quinam Apostoli dicti sint Graecis. XVII. *Graecis* Ἀπόστολος dicebatur. I. Generatim πρεσβευς, ἀποσταλμένος, μεσίτης εἰρήνης ἕνεκα, qualiscunque *Legatus*, maxime *pacis faciendae* firmandaeve gratia. II. Specialius, ὁ στρατηγὸς κατὰ πλοῦν πεμπόμενος, interprete *Hesychio*. *Strategus*, qui cum classe dimittebatur ad navalem expeditionem. III. Νυμφαγωγὸς, qui *a sponso mittitur*, sponsae à domo patris educendae; apud *Phavorinum*. Negari non potest, quin omnes hae significationes eleganter iis applicari possint, quos Apostolos suos Christus nuncupavit. Nam fuerunt *Legati pacis*. 2 Cor. v: 19, 20. Et praefecti sacrae illius expeditionis, quae Imperatore Christo ad insulas maris peracta est, quaque tot gentes, quae mari turbido ac sterili frequenter comparantur, perdomitae, ac regno Christi subjectae sunt. Fuerunt denique a Christo missi, ut *sponsam* suam a familia paterna avocarent. Ps. XLV: 11. & rite ornatam domum deducerent. 2 Cor. XI: 2. Non tamen est credibile, Christum aut sacros Novi Testamenti scriptores ad hos *Atheniensium Apostolos* respexisse.

XVIII. Qui Hebraeis. XVIII. De *Hebraeis* hic potius cogitandum. Hi geminam vocem habent, cui respondet vox Ἀπόστολος, alteram מלאך, alteram שלוח vel שליח. Nam מלאך non de *Angelis* solum, sed & *Prophetis* & *Sacerdotibus* usurpata, proprie dicit ἀπόστολον, πρεσβέα *nuncium*. Hag. I: 13. Mal. II: 7. Hinc Christus, qui toties מלאך, ἀπόστολος Paulo dicitur Heb. III: 1. excellenter talis, ratione mittentis, missi, & finis missionis. Et ut distingueretur a reliquis Apostolis, additur & ἀρχιερεύς. Utque discrimen esset a Pontificibus Judaeorum, opponitur τῆς ὁμολογίας ἡμῶν, id est *conventionis nobiscum factae*, vel cui nos adstipulamur fide & obsequio. Quomodo autem Christus *Apostolus Patris*, ita alii *Apostoli Christi*. Joh. XVII: 18. Succedit vox שלוח, quam sibi attribuit Ahias 1 Reg. XIV: 6. אנכי שלוח אליך ubi LXX Ἀπόστολος vertunt. Habebant etiam שליחי צבור vel קהל, ἀποστόλους τῆς ἐκκλησίας, nuncios *coetus*, qui mandata deferrent ad synagogas Hierosolymam, vel victimas & decimas ad sacerdotes: maxime qui δίδραχμον, semisiclum, tributum quotannis ex lege in sacrarium deferendum, exigerent. Dein collapsis Judaeorum rebus retenta tamen in synagoga vox Ἀποστόλων est; talesque signate dicebantur, qui Patriarchae assessores & legati erant, ejusque ἐγκύκλια γράμματα *circulares literas* ad synagogas deferebant pecuniis per capita colligendis, speciatim auro coronario, coronae scilicet Patriarchali ornandae, quod loco didragmi exigebant Patriarchae in partibus tam Orientis quam Occidentis. Qua de re vide prolixe *Petitum Var. Lect. Cap. XXIV*. Talis fuit *Josephus* ille, de quo Sectione praecedente N. XX. Et hac quoque allusione ministri Christi *Apostoli* dici potuerunt: quippe qui mandata ejus detulerunt ad coetus electorum per totum orbem dispersos, gentesque veluti sacram victimam una cum oblationibus munificentiae

misericentiæ ipsarum obtulerunt Deo. Con. Jes. LXVI: 20. Rom. XV: 16. & 25, 26.

XIX. Qui, Christianis.

XIX. Ex usu *Christiano* Apostoli dicti I. *Septuaginta discipuli*. Luc. X: 1, 3. Sic passim apud Graecos Latinosque Patres, LXX *Apostoli*. II. Qui *eleemosynas* Ecclesiarum *deferebant* 2 Cor. VIII: 23. Phil. II: 25. *Ignatius* eos modo θεοδρόμους, modo θεοπρεσβεύτας appellat. III. *Duodecim* illi quos præ cæteris eximios Christus habuit. Mat. X: 1–5.

XX. Apostoli κατ' ἐξοχὴν sit dicti, cum suis prærogativis.

XX. De his nunc potissimum nobis sermo est: eosque ita describimus. APOSTOLI sunt *publici mundi Magistri, immediate a Christo vocati, & edocti, donis plane extraordinariis instructi, ut testes Christi essent ubivis gentium.* Horum *prærogativæ* erant: I. Quod *immediate* per Christum essent *vocati*. Joh. XX: 21. XVII: 18. Adde Act. I: 24, 25. II. Quod *Christum* in carne *conspexerint*, testes αὐτόπται. Act. I: 8. 1 Joh. I: 1. etiam *resurrectionis* ipsius. 1 Cor. XV: 5, 7. III. Ab ipso *immediate edocti*. Luc. XXIV: 45. Joh. XX: 22. Act. II: 4. IV. *Spiritu ἀναμαρτησίας infallibilitatis in docendo* prædití. Joh. XIV: 26. XVI: 13. Luc. XII: 11, 12. Mat. X: 19, 20. Deo ipso doctrinæ ipsorum perhibente testimonium. Heb. II: 2. Unde non minus infallibilis ea haberi debuit, quam sermo per Angelos prolatus. Ita tamen ut id non sit extendendum ad *singula facta*: sed pertineat ad *summam doctrinæ*; neque ut omni tempore omnia sciverint, sed Spiritus iis revelaverit prout ratio temporum & Ecclesiæ profectus exigebat. Unde non nisi post idoneum spatium de gentium vocatione, & rituum abolitione, admoniti sunt. Act. X. & XV. Id pro certo tenendum, ipsos ex revelatione Divina Ecclesiam docuisse, quam revelationem ubi præ se ferebant, fidem omnem prorsus merebantur: imo & hoc habuisse, ut in prædicatione Evangelii ducem comitemque semper haberent Spiritum Sanctum, qui non patiebatur ipsos ullum errorem pro cœlesti veritate populis proponere. V. Communes *Mundi doctores* constituti. Mat. XXVIII: 19. Mar. XVI: 15. Quamvis singuli suum sibi pensum sumserint. Gal. II: 9. VI. Ipsi Spiritu Sancto pleni per impositionem manuum illius latices in alios derivarunt. Act. VIII: 6, 7, 15, 16, 17. Quod nulli veterum, imo nec ipsi Mosi, fuit concessum. VII. Dono miraculorum prædití. Mat. X: 1. Act. III: 6. - IV: 16. VIII. Etiam Auctoritate miraculosa ad compescendos improbos. Act. V, 8, 9. IX. Ex his omnibus prædicationis incredibilis efficacia. Act. II: 41, - IV: 33. Notandum tamen non omnia hæc Apostolis ita propria esse, quin & aliqua aliis extraordinariis ministris fuerint communicata.

XXI. Quæ omnes Paulo eminentissime competunt.

XXI. Quo tempore ad *Christianismum* eodem etiam ad *Apostolatum* vocatus est Paulus. Act. IX: 15. XXIII: 15. XXVI: 17. Ut τοῖς δώδεκα non insereretur, sed adderetur, futurus ἐθνῶν ἀπόστολος. Rom. XI: 13. Nulla in re minor τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων. 2 Cor. XI: 5. Nam I. Et ipse *immediate a Christo vocatus* est. Gal. I: 1. & quidem *glorificato*, nec voluntatem

suam

suam per sortem indicante, ut Act. I: 26. sed gloriosam præsentiam suam luculentissime demonstrante. Non repugnat χειροθεσία Ananiæ Act. IX: 17. quippe quæ non fuit *ordinationis* aut *consecrationis* ad munus; sed *symbolum* cum *donorum S. S.* tum miraculosæ *sanationis*: quod & nuper monui. II. Et ipse *Christum conspexit*. I Cor. IX: I. non modo ex morte *suscitatum*. I Cor. XV: 8. sed & *glorificatum*: non in *præludio* solum aliquo, uti tres illi Mat. XVII: 12. qua de re tantopere gloriatur Johannes Cap. I: 14. & Petrus 2 Epist I: 16. sed & in rei *consummatione*. III. Et ipse immediate a Christo edoctus. Gal. I: 12. Quod enim illi cum Anania intercessit commercium, eo servivit ut cognosceret quid se fieri vellet Jesus; non ut doceretur fidei Christianæ mysteria. IV. Et spiritu ἀναμαρτησίας in docendo præditus. 2 Cor. XIII: 3. I Th. II: 13. IV: 8. V. Communis *mundi doctor*. Act. IX: 5. I Tim. II: 7. VI. Abundantiam *Spiritus* cum aliis *communicans*. Act. XIX: 6. I Tim. IV: 14. VII. *Dono patrandorum miraculorum præditus* eximium in modum. Act. XIX: 11, 12. adeo ut & *mortuum excitaverit*, non minus quam Petrus. Act. XX: 9. VII. Vix in ullo Apostolorum magis emicuit *miraculosa* ad compescendos immorigeros *auctoritas*. 2 Cor. X: 3-6. Act. XIII: 8. IX. Fortasse nullius *prædicatio* tam *efficax* fuit ad multorum conversionem. Act. XXVI: 18. I Thess. II: 5. Rom. XV: 17-19.

XXII. Æra conversionis ipsius. XXII. De *æra conversionis Pauli* multa Chronologis inter se lis est. Aliis enim conversus esse censetur anno a morte Christi proximo, æræ vulgaris XXXIV. Aliis anno XXXV, secundo a morte Christi, Tiberii XXII. sic cum aliis multis Reverendissimus *Pearsonus*, *in Annalibus Paulinis*. Aliis, anno sequente, Tiberii XXIII. sive ultimo. Ita *Eusebius in Chronico*. *Ludovicus Capellus* refert ad annum æræ vulgaris XXXVIII. quintum a morte Christi, Caii Caligulæ secundum. Aliis tandem signatur annus a morte Domini VI, vel etiam VII. Caligulæ III. vel IV. Æræ vulgaris XXXVIII. vel XXXIX. Præcipuas doctissimorum hominum disputationes collegit, & suis singulas ponderibus, solita sibi accuratione libravit modo nobis laudatus, nunquam satis laudandus, ὁ πάνυ SPANHEMIUS, integra de hac ipsa materie *Dissertatione*. Mihi non lubet in Chronologicas istas me induere difficultates, vix habituras exitum. Cæterum in tanta sententiarum discrepantia, quod sine cujusquam fraude aut invidia sit, liceat mihi SPANHEMII mei hypotheses sectari: quæ, si non semper invictis argumentis demonstratæ sint, quod in tali caussa nemo æquus a quoquam mortalium exigat; saltem valde probabilibus nituntur collectionibus: & si non singulæ ἀναντιῤῥήτως veræ, certe vero proximæ & ἀγχίθυραι sunt. Summa sententiæ ipsius huc fere redit: Christum crucifixum esse anno ætatis XXXIII. Stephani martyrium contigisse V ferme a crucifixione anno, Pauli profectionem Damascenam, & quæ tunc ei contigit vocationem ad Christianismum

mum & Apostolatum, annum, si non verius biennium, a cæde Stephani distare. Unde consequeretur eam incidisse in annum a nativitate Christi XXXIX. vel XL. a morte VI. vel VII. Caji Caligulæ IV. sive ultimum.

SECTIO III.

De rebus gestis Pauli, a vocatione ad Apostolatum usque ad Synodum Hierosolymitanam.

BREVIARIUM.

I. *Paulus mox a conversione Evangelium Damasci & in Arabia triennium prædicat.* II. *Dein Hierosolymæ ad dies quindecim cum Apostolis moratus, salutata Tarso, a Barnaba accitus est Antiochiam.* III. *Ubi per Cyprios quosdam ac Cyrenenses primum omnium gentibus publice prædicatum est Evangelium.* IV. *Florenteque sub Pauli ac Barnabæ ministerio Ecclesia discipuli cœperunt dici* Christiani. V. *Cur id factum sit Antiochiæ.* VI. *Fames ab Agabo prædicta.* VII. *Antiochenorum liberalitas.* VIII. *Paulus & Barnabas Spiritu Sancto jubente ad insigne opus separantur.* IX. *Eoque tempore accidisse ipsi videtur memorabilis ille in paradisum raptus.* X. *Uberiori commentario illustratus.* XI. *Ex quo ne nasceretur superbia datus est ipsi surculus in carne.* XII. *Paulus & Barnabas Antiochia profecti peragrarunt Cyprum.* XIII. *Et Paphi converterunt Sergium Paulum, cæcitate percusserunt Elymam Magum.* XIV. *Quam ob rem qui hactenus Saulus dehinc Paulus dictus sit.* XV. *Quid apud Antiochiam Pisidiæ gestum sit.* XVI. *Nortoni Knachtbul commentatio in Act.* XIII. 48. XVII. *Excussione pulveris de pedibus suis, quid notare voluerint Paulus & Barnabas.* XVIII. *Ea quæ gesta sunt Iconii.* XIX. *Et Lystræ.* XX. *De* χειροτονίᾳ *Presbyterorum.*

EXpositis iis quæ ad conversionem Pauli, illiusque ad Apostolatum vocationem pertinent, juvat nunc reliquam vitæ ipsius historiam, suis iterum periodis distinctam, quanta fieri poterit accuratione prosequi. Paulus itaque post susceptum baptismum, Spiritus Sancti plenus, Jesum, quem tam fervide fuerat persecutus, pari zelo in Judæorum synagogis *Damasci* prædicare cœpit, magno cum audientium tantæque mutationis caussam ignorantium stupore. Nimirum alio donatus Spiritu, aliis instructus e cœlesti curia mandatis, & solius nunc Jesu auctoritatem agnoscens, ubi ut piorum latro accesserat, ibi beatæ vitæ internuncium apud ipsos quoque impios egit: & tyrocinia Apostolatus sui in ea deposuit urbe, quam lanienæ suæ speraverat fore theatrum. Cæterum quum non oppido diuturna sibi mora Damasci daretur, alioque proficiscendum foret, non existimavit mox sibi conferendum esse *cum carne & sanguine*, id est hominibus sui similibus, neque eundum *Hierosolymam*, ut frueretur institutione atque consilio eorum qui ante ipsum fuerant Apostoli; ne quid

I. Paulus mox a conversione Evangelium Damasci & in Arabia triennium prædicat.

iis debere videretur: sed relicta *Damasco* in *Arabiam* vicinam profectus, triennium prædicando ibi Evangelio impendit Gal. I: 16, 17. Quo exacto *Damascum* rediit, multa rationum vi contendens *Jesum esse Christum*. Sudes id erat in obstreperorum Judæorum oculis, qui conspiratione facta pacis præconem violatæ tranquillitatis publicæ reum apud *Aretam Arabiæ* Regem, in cujus tunc ditione *Damascus* erat, peregerunt. Tantumque suis effecerunt calumniis, ut *Ethnarcha Aretæ*, militaribus copiis urbis portas cingeret, Paulum, si pote, comprehensurus. Quod tamen periculum, in tempore monitus, caute evasit, per urbis mœnia sporta demissus. 2 Cor. XI: 32.

II. Dein Hierosolymæ ad dies quindecim eum Apostolis moratus, salutata Tarso a Barnaba accitus est Antiochiam.

II. Hac ratione *Damasco* elapsus, quarto post conversionem anno, *Hierosolymam* proficiscitur, ἱστορῆσαι Πέτρον, Gal. I: 18. Quia vero fideles Hierosolymitani ab eo sibi metuebant, quod historiam conversionis ipsius ignorarent, vel certe animi ipsius sinceritatem suspectam haberent; quippe qui triennium in Arabia exegerat, apud illos populos quibuscum Hierosolymitanis parum erat commercii; a *Barnaba* ad *Apostolos Petrum* & *Jacobum* deductus est. Hi ex Barnaba totam conversionis tam mirabilis rationem probe edocti, lubentes eum in societatem receperunt, cæterisque fidelibus commendarunt, ut libere iiscum versaretur: in nomine Jesu loquens, & disceptans cum *Judæis Hellenistis*, diebus non plus quindecim. Gal. I: 18. Nam neque Judæi diutius eum Hierosolymis morari patiebantur, sed, disceptationes quibus obsistere non poterant ægerrimo animo ferentes, in necem ipsius clandestinis consiliis, at Divina Providentia detegendis, nefarie conspiraverunt. Et ipse dum in templo orabat, in ecstasin raptus, & a Christo monitus fore ut Judæi sermonem ejus non reciperent, jussus est Hierosolymis excedere, & Evangelium longinquis, ad quas mittendus erat, gentibus annunciare. Huc enim retulerim quod exstat Act. XXII: 17. nisi fortean, de quo disputari video, ad alteram Hierosolymæ moram pertineat, quæ describetur infra §. VIII. Cui oraculo parens, citius quam animo suo destinaverat, Hierosolymam reliquit, & a fratribus Cæsaream deductus est, non maritimam illam, quæ & *Turris Stratonis* dicta, de qua supra Cap. VIII: 40. sed *Cæsaream Philippi*, quæ sita erat circa montem Libanum, ad confluentem Jor & Dan, unde Jordanes originem ducit, quæ olim Lachis, deinde Dan appellata fuit, de qua Jud. XVIII. Cujus pomœria quum rex Agrippa protulisset, mutato nomine in honorem Neronis vocavit *Neroniada*. *Josephus Antiq.* XX. *Cap.* VIII. Cæsarea mox *Tarsum* patriam suam navigavit, brevi a Barnaba arcessendus *Antiochiam*. Act. IX: 30. Hoc voluit, quum narrat se post excessum Hierosolymis venisse in partes Syriæ & Ciliciæ. Gal. I: 21.

III. Ubi per Cyprios quosdam

III. Accidit eo tempore res valde memorabilis. *Stephani* mors conjuncta fuerat cum ingenti persecutione, indeque orta dispersione Ecclesiæ Hierosoly-

rosolymitanæ; quæ tamen dispersio, ut frequenter, in rei Christianæ augmentum cessit. Nam dispersorum aliqui diffusi per *Phœniciam*, *Cyprum*, & *Antiochiam*, ubicunque locorum venerunt, ibi prædicaverunt Evangelium. Et hi quidem solis Judæis. Sed alii, Cyprii quidam ac Cyrenenses, *Antiochiam* ingressi ἐλάλων πρὸς τὰς Ἑλληνιστάς. *Grotius* certo legendum, inquit, πρὸς τὰς Ἕλληνας, quomodo habet ille in Anglia M.S. Et ita legit, vel interpretatus est Syrus, Arabs, Latinus. Vel si omnino recepta lectio tenenda sit, laudem *Drusii* observatio meretur, *Hellenistarum* vocem alio hic significatu sumi. Nam ut Judæi qui Græca lingua in Synagogis utebantur Hellenistæ dicuntur, sic forte & Gentes illæ quæ primæ Christo nomen dederunt. Ut ut sit, *Gentiles* hic intelligi res ipsa clamat. Atque hoc primum exemplum est Evangelii *publice gentibus* prædicati. Nam alterum illud Cornelii non nisi *domesticum* fuit. Quum vero Dei favorem in sancto hoc opere insigniter experirentur fideles isti *Cyprii* ac *Cyrenenses*, multusque Græcorum numerus fide ipsis habita converteretur ad Christum, non potuit tantæ rei fama Hierosolymitanæ Ecclesiæ proceres diu latere. A quibus mox missus est Barnabas, ut opus Dei tam feliciter inchoatum in celeberrima ac frequentissima totius orientis civitate stabiliret ac perficeret. Sed Pauli hic imprimis opera desiderabatur, cui gentium magisterium singulari ratione concreditum erat. Id quum probe intelligeret Barnabas, Tarsum proficiscitur; ubi quæsitum eum inventumque secum *Antiochiam* ducit.

ac Cyrenense primum omnium gentibus publice prædicatum est Evangelium.

IV. Florente vero & crescente sub tam sedulorum doctorum ministerio Ecclesia, contigit, ut qui discipuli olim dicti fuerant, Antiochiæ primum CHRISTIANI vocarentur. Act. XI: 25. Quod nomen, Latina non Græca forma a Christo deflexum, a Romanis Antiochiæ tunc agentibus impositum illis fuisse, conjectat in *Annalibus* suis *Usserius*. Nec desunt qui emphasin quærant in voce χρηματίσαι, qua Lucas utitur. Scilicet talem volunt nominationem eo vocabulo designari, quæ publico edicto, & jussu Reipublicæ fit; uti & Imperatores dicebantur ἑαυτὰς χρηματίζειν, quum publice in provinciis proclamari curabant, quo se nomine nuncupari vellent. Quo tempore munificentiam simul suam urbibus aut populis demonstrare solebant, libertatem, jura, dignitates iis dando, aut confirmando: qui in illius rei memoriam epocham inde suam æramve amabant inchoare. Certe nova *Antiochenorum æra* χρηματισμὸς Ἀντιοχέων dicebatur. Lucas itaque, quum Antiochenus esset, significantissima hac voce in prima Christianorum denominatione usus fuerit. Non invideo sane observationes istas doctissimis auctoribus suis: modo mihi dubitare liceat an tam solidæ quam subtiles sint. Simplicior videtur annotatio *Grotii*: *χρηματίζειν pro nominari est vox melioris Græcitatis, quam & Polybius non semel usurpat: & Paulus Rom.* VII: 3. ἄρα οὖν ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς μοιχαλὶς χρηματίσει. Ubi hic jactata vocis emphasis?

IV. Florenteque sub Pauli ac Barnabæ ministerio Ecclesia discipuli cæperunt dici Christiani.

V. Cur id factum sit Antiochiæ.

V. Satius eſt ut agnoſcamus ac celebremus Sapientiam Dei, qui *Antiochiam* præclari nominis hujus natalibus nobilitavit. Erat enim urbs *Gentilis*, & Eccleſia ibi collecta omnium prima quæ partim *Judæis* partim converſis *Gentilibus* conſtabat: ne ſcilicet *Hieroſolyma* illuſtri Chriſtianorum nomine, quaſi ſuis civibus aut privo aut præcipuo jure dato, ſuperbiret. Deinde fuit Antiochia *metropolis Syriæ*, ſedesque primaria terribilis iſtius *Antiochi*, qui in veterem Meſſiæ populum nefandis ſtragibus graſſatus, illius temporis Antichriſtus dici meruit. In ea autem urbe trophæa ſua erexit Chriſtus, ubi Satanæ hoſtiſque ſui thronus fuerat: atque inde regni & populi ſui nomen exire juſſit, qua patet orbis, extra anni ſoliſque vias, unde diriſſima quondam populi ſui perſecutio, & ſanctuarii ſui profanatio exorta eſt. Denique fuit Antiochia eo tempore civitas *maxima*, potentiſſimaque totius *Aſiæ*; uti *Alexandria Africæ*, & *Roma Europæ*: non ſolum ut urbis ſplendor magnificentiam aliquam huic nomenclationi conciliaret, ſed præcipue ut eo volocius ac majori compendio tantæ ἐμφάσεως nomen per orbem inclareſceret. Neque abs re fuit quod *Flavianus*, Antiochiæ Epiſcopus, ad *Theodoſium* Imperatorem, pro civitatis ſalute orans, utroque hoc eam argumento commendaverit, quod & ipſa eſſet frequentiſſima, & in ea primitus natum Chriſtianorum nomen. Ἐννόησον, inquit, τὸ τῆς πόλεως μέγεθος, καὶ ὅτι οὐ περὶ μιᾶς καὶ δύο, ἢ τριῶν, ἢ δέκα ψυχῶν ἐστιν ἡμῖν ἡ διάσκεψις νῦν, ἀλλὰ περὶ μυριάδων ἀπείρων, περὶ τοῦ κεφαλαίου τῆς οἰκουμένης ἁπάσης. Αὕτη ἡ πόλις ἐστὶν ἐν ᾗ πρότερον ἐχρημάτισαν χριστιανοί. Τίμησον τὸν Χριστὸν, αἰδέσθητι τὴν πρώτην ἀνακηρύξασαν τὸ ποθεινὸν τοῦτο καὶ γλυκὺ πᾶσιν ὄνομα. *Cogita civitatis magnitudinem: neque de una, duabus, tribus aut decem animabus quæſtionem nunc haberi, ſed de myriadibus infinitis, de* TOTIUS ORBIS COMPENDIO. *Hæc eſt civitas in qua primum vocari cæperunt Chriſtiani. Honora Chriſtum, reverere eam quæ prima nomen hoc omnibus deſiderabile ac dulce prædicavit.*

VI. Fames ab Agabo prædicta.

VI. Sed e diverticulo in viam. Dum *Antiochiæ* morabantur *Paulus* & *Barnabas*, Hieroſolymis eo deſcenderunt prophetæ aliquot, in quibus erat *Agabus*. cujus nomen Hebraice ſcribendum חגב notione *Locuſtæ*, conjicit *Druſius*. At vero propior *Grotii* conjectura eſt, ſcribendum eſſe עגב, unde forſan ἀγάπη, nam & Hebræa vox *amare* ſignificat. Is prædixit, famem magnam futuram in toto Romani Imperii orbe; quæ etiam fuit ſub Claudio Cæſare; teſtibus etiam, ut multi opinantur, *Dione Lib. LX.* & *Suetonio*, *Claudii cap: XVIII.* Cæterum intercedit *Uſſerius*, affirmans famem illam quæ ſecundo Claudii contigit, de qua Dio agit, ſicut & alteram undecimo illius anno, cujus præter *Suetonium* & *Tacitus* meminit *Annal. XII. Cap. XLIII.* particularem & Romæ propriam fuiſſe; non univerſalem illam ab *Agabo* prædictam, quam quarto Claudii anno cæpiſſe, ex tempore mortis Regis Agrippæ, cum eadem fame conjunctæ, Act. XII: 23, 25. mani-

manifestum esse putat: & assentientes sibi hic habet *Eusebium*, *Orosium*, *Scaligerum: Spanhemium*, alios, ad IV Claudii annum famem de qua agitur pariter referentes. Atque huc potissimum pertinere putant historiam *Josepho* memoratam *Antiq. XX. Cap. II.* de *Helena* Adiabenorum Regina, quæ cum Rege *Izate* filio suo fidem Judaicam amplexa, & desiderio capta videndi Hierosolyma, & quod ibi erat templum toto celeberrimum orbe, copioso instructa viatico in urbem venit. Accidit autem peroportune ejus adventus civibus. Quam enim per id tempus civitas gravi fame premeretur, multique alimentorum inopia perirent, regina Helena ex suis alios misit Alexandriam, comparaturos vim magnam tritici, alios in Cyprum qui copiam ficuum passarum inde adveherent. Quibus omnibus brevi reversis, cibos egenis distribuit, atque hoc beneficio sibi memoriam immortalem apud Judaicam gentem peperit. Hæc quidem Josephus: sed observandum est, I. Josephum ea non connectere neque cum anno Claudii IV, neque cum anno emortuali Agrippæ: nam Cap. III. sequenti expresse dicit famem istam Judææ incubuisse *tempore Cuspii Fadi & Tiberii Alexandri*, qui Fado in procuratione Judææ successit; uterque autem non nisi post Agrippæ mortem in provinciam a Claudio missus est. II. Imo nec Lucam annum Agrippæ emortualem describere uti tanta penuria notabilem: innuit enim eo ipso tempore Tyriorum Sidoniorumque regionem alimenta sua ex Agrippæ ditione accepisse Act. XII: 20. διὰ τὸ τρέφεσθαι αὐτῶν τὴν χώραν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς. Quod copiæ potius quam inopiæ in Judæa argumentum est. III. Neque adeo Lucam profectionem Pauli Hierosolymitanam conjungere cum fame jam grassante; sed cum prædictione Agabi de fame futura, Act. XI: 28, 29. IV. Denique, nec Josepho memoratam famem eo tempore fuisse ἐφ' ὅλην τὴν οἰκουμένην, quod prædixerat Agabus, & de omnibus terris Romano subjectis imperio intelligendum esse videtur. Satis enim frumenti in Ægypto fuit, unde petitum misit Helena. Quid ergo? Dubito an necesse sit de uno aliquo Claudii anno cogitare, qui universali ista fame ab Agabo prædicta notabilis sit (qualem nulla, quod sciam, exotica historia memorat) quum vaticinium illud commode intelligi queat de omni illa frumenti penuria, quæ durante Claudii Imperio, quod non nisi XIV annorum fuit, nunc huic nunc illi maxime regioni incubuit, donec omnes propemodum suam in ea partem habuerunt.

VII. Ut ut sit, fideles Antiocheni de penuria ista, Judææ potissimum incubitura, præmoniti, communi consensu decreverunt, ut quisque pro facultatibus suis aliquid conferret, quo tenuiorum apud Hierosolymam fratrum inopia sublevaretur. Cujus liberalitatis suæ dona in Judæam per *Paulum* & *Barnabam* ad *Presbyteros*, sive seniores Ecclesiæ, deferri voluerunt. Act. XI: 28, 29, 30. Primam *presbyterorum* in Ecclesia Christiana heic loci mentionem esse annotavit *Grotius*: dictione a Judæis transsumta; quibus

VII. Antiochenorum liberalitas.

quibus זקנים *Seniores* erant, non solum qui judiciis publicis, sed & qui synagogis singulis præerant; eademque fere significatione in Christianismo retenta, cujus totum regimen ad Synagogarum exemplar conformatum fuit. Expleto hoc ministerio, Paulus & Barnabas Antiochiam reversi sunt (adducto secum *Johanne Marco*, ἀνεψιῷ *cognato Barnabæ*) indubie rationem creditorum sibi nummorum reddituri. Act. XII: 25.

VIII. Paulus & Barnabas Spiritu Sancto jubente ad insigne opus separantur.

VIII. Gaudebat eo tempore Ecclesia Antiochena insignibus Prophetis ac doctoribus: in quibus præter Saulum nostrum erant *Barnabas*, & *Simeon* cognomento *Niger*, & *Lucius Cyrenæus*, & *Menahem* qui fuerat una educatus cum Herode Tetrarcha: an filio *Herodis Magni*, illo qui Johannem Baptistam concionantem audivit & necavit, quod *Lightfootus* suspicatur; an filio *Herodis Agrippæ*, tam notabili nuper fato functi, quod *Grotio* videtur; eruditis arbitrandum relinquo. Accidit autem ut illis ministerium suum Domino obeuntibus, orantibus ac jejunantibus, & Ecclesiæ caussam Deo commendantibus, Spiritus Sanctus, messis Dominus, pro arbitrio suo de ipsis quoque Apostolis disponens, *Barnabam* ac *Saulum* separari sibi jusserit ad opus ad quod ipse sibi eos advocaverat. Quod mandatum tanta se virtutis Divinæ demonstratione animis ipsorum insinuavit, ut dubitare non potuerint, quin a Deo profectum foret. Nulla igitur tergiversatione molestiis se ac discriminibus subducunt qui designati erant. Nulla etiam æmulatione tam notabilis missionis honorem designatis invident cæteri. Sed uno omnes animo ad iteratas conversi preces, & hi profecturis imponunt manus, & illi a Spiritu Sancto emissi itineri se accingunt. Act. XIII: 1—

IX. Eoque tempore accidisse ipsi videtur memorabilis ille in paradisum raptus.

IX. In hunc annum, & fortasse ad hoc ipsum tempus, probabiliter referri posse puto, quæ de suo in Paradisum & cœlum raptu narrat Paulus 2 Cor. XII: 1-5. Quum enim eum sibi contigisse memoret quatuordecim annis ante scriptam secundam illam ad Corinthios epistolam, ab eo tempore retrogradiendo ad hunc annum deveniemus. Hæc enim gesta esse videntur anno a conversione Pauli IV ad finem vergente, vel V. Secunda ad Corinthios scripta esse putatur anno a conversione XIX. Neque improbabile est, animum Pauli eo potissimum tempore cœlestibus visionibus insigniter fuisse demulsum, quando ad tam molesta plenaque discriminum itinera, pro Evangelio suscipienda, amandabatur.

X. Uberiori commentario illustratus.

X. Sed omissa nimia circa temporis determinationem anxietate ipsam breviter percurramus historiam: prout eam Paulus non sine insigni verborum apparatu describit. *Novi hominem in Christo ante annos quatuordecim (an in corpore, nescio: an extra corpus, nescio, Deus novit) raptum in tertium usque cœlum. Et novi ejusmodi hominem (an in corpore, an extra corpus, nescio, Deus novit) raptum fuisse in Paradisum, & audiisse ineffabilia verba, quæ non liceat homini loqui.* Non puto quenquam esse qui dubitet, quin hæc de se ipso

narret

narret Apostolus: quamvis in tertia persona scribat, & eum hominem de quo agit a se ipso distinguere videatur vers. 5. Cuivis enim patet, hoc modestiæ caussa ab Apostolo fieri, vitante quasi, quantum pote est, ac trepidante dicere, quæ sibi evenerunt. Sed & agnoscente tale id tantumque fuisse, ut humanam sortem ac conditionem servorum Dei in hac terra propemodum superaret. Nam *raptus* fuit, virtute Dei præter naturæ ordinem ita elevatus, ut homine sublimior ea quæ mortalem conditionem superant oculis, auribus, animo hauserit. Raptus autem in *tertium usque cœlum*, in *Paradisum*. Hoc post Veteres quosdam *Drusius* & *Grotius* ex Hebræis ita distinguunt, ut *cœlum* significet id quod promittitur piis post resurrectionem; *Paradisus*, quod post mortem ante resurrectionem. Ut dicat Paulus, primum sibi ostensa esse gaudia, quæ resurrectionem consequentur: dein ne tam longa exspectatione nimium cruciaretur animus, ea etiam solatia, quæ ipsis mox a morte concedentur. At quidquid Hebræi sentiant, non didicimus illam distinctionem ex scripturis. In quibus Paradisus typus cœli est: unius illius, ubi primum justorum animæ colligendæ, dein & corpora. Porro tanta fuit rapientis Spiritus vehementia: ut dubium ipsi fuerit, an sola *ecstatica repræsentatione* in cœlum fuerit translatus, sine ulla loci mutatione, tam quoad corpus quam quoad animam; an vero relicta terra ad superas sedes fuerit transvectus: atque id si factum sit, an contigerit sibi *corpore & anima junctis*, quoad totum ὑφιςάμενον, an quoad *solam animam*, tantisper a corpore separatam. Apostolo nihil definiente, neque nos definiamus, Sufficiat observasse, tantam fuisse revelationis hujus claritatem, ut ipse sibi visus sit rebus illis cœlestibus *præsens* interfuisse. Cæterum cum nihil eorum memoret quæ *viderit*, fibulam quidem imponit nimiæ curiositati; narrando tamen quæ *audiverit*, generatim saltem, de rebus magnis nos edocet. Narrat autem, audivisse se ἄῤῥητα ῥήματα ἃ ὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. Multum hæc sententia torsit Interpretes. Si *dici* non possunt hæc verba, quomodo *audiri* potuerunt? Nam quod auditur, id utique dicitur. Tum si non possunt dici, cur additur, *fas non esse*, ut ab homine dicantur? frustra enim vetes ea renunciare, quæ dici non possunt, Confugiunt hic viri eruditi ad doctas subtilitates. Mihi simplicitas placet. Non puto necessariam hic esse confessionem ταυτολογίας. Quæ evitari potest bifariam. Verba ἄῤῥητα dicuntur, respectu ejus qui audiverat. Ei enim qui loquebatur, erant utique ῥητά. Sed qui audiverat is sibi ea ἄῤῥητα dicit, non quod omnino ea repeti non possent, sed quod majorem haberent vim & significationem, quam quibus ad plenum explicandis humanus sermo sufficiat. Addidit: *quæ homini loqui non licet*, scilicet familiari sermone inter homines in terris commorantes; partim ne sui sermonis humilitate tantæ rerum majestati detrahat, partim quod ea verba in Paradiso solo audiri conveniat: quippe quæ reserventur futuro seculo. At neque temnen-

temnendam esse arbitror Clarissimi *Cocceji* interpretationem: qua non modo omnis ταυτολογίας species tollitur, sed & magna sermoni Apostolico emphasis additur. Is putat hanc pericopæ partem, *quæ homini loqui non licet*, ad eum referendam esse qui Paulo loquebatur: hoc sensu, fuisse verba tantæ majestatis, ut, homine majora, Deum auctorem arguerent. Sunt quædam verba, quæ Angeli, quæ Prophetæ Dei nomine, dicere possunt. Sunt alia, quæ Deo ita sunt propria, ut transferri in creaturas nulla ratione queant. Innuit ergo Paulus, se quod audivit ex ipsius Filii Dei ore audivisse. At quorsum audivit, si cum Ecclesia communicare non liceat? Nonnullis respondere libet, quod ea quibusdam, arcaniori sapientiæ initiatis, quasi in aurem dixerit. Verum id non liquet. Satius est ut statuamus, I. Paulo hæc patefacta ad sui privatam consolationem, adversus ministerii labores, neque continuisse aliquid de communi doctrina, quam Ecclesiam scire intereret. II. Id ipsum maxime facere ad utilitatem Ecclesiæ, & confirmationem nostræ fidei, quod audiamus Apostolum in Paradisum raptum, & ex eo reversum, testem factum esse, dari locum beatitudinis, ubi & Christum viderit, & præclara, prorsusque admirabilia ex ore ejus audiverit. III. Ea quæ in Paradiso geruntur adeo esse eximia, ut neque humano sermone exponi queant, & captum humanarum mentium in hac seculi nostri caligine superent; quam ob rem hoc potius agendum esse ut ad eorum fruitionem suo tempore immittamur, quam ut nil profutura curiositate in ea inquiramus. IV. Ex Christi ore verba audiri, quibus comprobetur homine major esse, Deus benedictus in secula.

XI. Ex quo ne nascere-tur super-bia datus est ipsi sur-culus in carne.

XI. Cæterum nec illud silentio transmitti debet, quod ipse Paulus nos ignorare noluit. Nimirum, ad retundendam superbiam quæ ex supereminentia revelationum oritura fuisset, datum sibi fuisse *surculum infixum carni*, *angelum satan*, *qui colaphis eum cæderet*. Quæ locutiones quantopere tam veterum quam recentiorum ingenia fatigaverint, referre longum esset. Mihi non improbabile videtur, per *surculum in carne* designari morbum aliquem dolorificum, quo per intervalla fuerit vexatus, quique tantam *carni*, id est *corpori*, ipsius creaverit molestiam, quantam creare solet infixa carni *spina*. Hoc morbo quotiescunque Apostolus infestabatur, satan incumbebat presso, ut intenderet dolorem, sive *colaphis* proprie sic dictis, sive alio quocunque modo qui *symbolica* dictione exprimatur. Cujusmodi vexationis diabolicæ, in morbis per intervalla recurrentibus, exempla habemus in Lunaticis: qui quum pleniluniis affictarentur, idque ex naturalibus caussis, dæmon observatis paroxysmis instabat male affectis, augens cruciatum. Neque nova res est, Deum aliquando uti opera Diaboli ad affligenda piorum corpora; quum Jobo, viro sanctissimo, idem acciderit. Ut ut sit, tam molesta afflictio ea Paulo fuit, ut semel, iterumque & tertio Deum rogaverit, quo abscedere eam juberet. Sed a petitione absistere jusso re-

sponsum

sponsum est, *sufficere ipsi gratiam Dei, cujus potentia per infirmitatem consummatur.* Visum enim esse Deo infirmi hominis opera ad promovendum Evangelium uti, ut tam incredibilis successus gloria non homini tribuatur, sed illibata Deo maneat. Et profecto magna res fuit, quod dolor iste corporis neque retuderit alacritatem patientis in opere Evangelii, neque sufflaminaverit industriam, neque impediverit successum. Vide *Molinæi Vatem Lib. II. Cap. XII.*

XII. Nunc Pauli Barnabæque iter prosequamur. Hi ergo precibus & manuum impositione Deo commendati, Antiochia in *Seluciam*, comite & ministro *Johanne Marco*, descenderunt, inde *Cyprum* abnavigaturi: ut aliquantulum *Salamine* subsisterent, quæ est urbs Cypri ad latus Orientis, Syriæ, unde solverant, opposita; hodie *Famagusta* dicitur. Ibi, quum ingens esset Judæorum multitudo, in eorum synagogis annunciarunt τὸν λόγον τῦ Θεῦ *sermonem Dei;* non multum refert an *hypostaticum* illum, ipsum Jesum, intelligas, an *Evangelium*, quo patefit. Mox peragrata insula *Paphum* appulerunt, ad littus insulæ occidentale sitam; ubi inclutum illud *Paphiæ Veneris* templum, cujus cultum destructuri veniebant. Sed quæ & ipsa *Hieronymi* temporibus frequenti terræ motu sic destructa fuit, ut vestigiis duntaxat quid aliquando fuisset ostenderet.

XII. Paulus & Barnabas Antiochia profecti peragrarunt Cyprum.

XIII. Ibi inciderunt in *Sergium Paulum*, multæ apud suos dignitatis & existimationis virum; quem ἀνθύπατον *Proprætorem*, vel, ut alii, *Proconsulem*, Lucas vocat; more istius ætatis. Proprie enim qui *Cypro* præerat, ἀντιςρατηγὸς, *Grotio* observante, dicebatur. Sed mirum non est, Græcos, ut egregii erant adulatores, nomen quam honorificentissimum provinciarum rectoribus dedisse. Huic *Sergio* familiaris erat *Pseudopropheta* aliquis Judæus, cui nomen erat *Barjesus*, etiam *Elymas*, quod, Arabice עלים *Alim*, *Magum* notat, nisi fallant doctissimorum hominum observationes. Hostis infensissimus Christo & Evangelio; cui, a *Paulo* apud *Sergium* prædicato, proterviter obtinebatur. At procacem superbiam repentina cæcitate, ad Apostoli increpationem sibi inflicta, luit. Quo miraculo perculsus præses, simul ad obsequium fidei permotus est.

XIII. Et Paphi converterunt Sergium Paulum, cæcitate percussérunt Elymam Magum.

XIV. Ab hoc tempore is qui hactenus SAULUS vocatus est, PAULUS Lucæ dicitur. Non facile iis assentior, qui ab initio binominem fuisse opinantur; sic ut *Saul* gentilitium nomen fuerit, a patre inditum, quod religionem & genus indicaret; additumque alterum *Pauli*, quod jus civitatis Romanæ attestaretur. Hactenus enim constanter *Saul* aut *Saulus* appellatus est; dehinc vero quum semel *Paulum* dixisset Lucas, *Sauli* nomen ita obliteratum est, ut nec Lucas, nec Petrus, nec Paulus ipse in suis epistolis, illud deinceps unquam usurparint. Sed nec illud a me impetro ut huic nominis mutationi magna credam subesse mysteria, quæ pro suo singuli ingenio Interpretes aliqui finxerunt. *Ambrosius* nominis mutationem a baptismo

XIV. Quam ob rem qui hactenus Saulus dehinc Paulus dictus sit.

arcessit. *Ubi pluvia*, sic loquitur sermone XXXI. editionis Romanæ a Baronio laudatæ, *super eum lavacri cœlestis influxit, necatur blasphemus, necatur persecutor, necatur & Saulus. Vivificatur Apostolus, vivificatur justus, vivificatur & Paulus. Usque adeo autem perdidit veterem cum actibus hominem, ut cum moribus mutaret & nomen.* Cæterum hoc ex antedictis facile refellitur. *Chrysostomus* credidit *Deum* mutati nominis auctorem esse; illiusque rei geminam assignat rationem; quarum altera Deum, altera Paulum spectat. De Deo sic loquitur *Hom. XLIII.* Tom. V. p.m. 286. Καθάπερ δεσπότης οἰκέτην πριάμενος, εἶτα βουλόμενος αὐτὸν διδάξαι τὴν δεσποτείαν μετατίθησιν αὐτοῦ τὸ ὄνομα, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐποίησε τότε. Καὶ γὰρ ἐξ αἰχμαλωσίας τὸν Παῦλον ἔλαβε, καὶ προσφάτως ἦν τῇ δεσποτείᾳ ταύτῃ προσελθών. Διὰ τοῦτο αὐτοῦ μετέβαλε τὴν προσηγορίαν, ἵνα μάθῃ κἀντεῦθεν τὴν δεσποτείαν ἐκείνου. *Quemadmodum Dominus qui servum emit, postea ipsum docere volens dominium suum, nomen ejus mutat; ita etiam Spiritus Sanctus tunc temporis fecit. Paulum enim ex captivitate accepit, & nuper admodum illud subivit dominium: propterea nomen ejus mutavit, ut vel hinc dominium disceret.* De Paulo autem dicit *Homil. I. ad Rom.* Τίνος ἕνεκεν μετέθηκε τὸ ὄνομα αὐτοῦ ὁ Θεὸς, καὶ Σαῦλον ὄντα Παῦλον ἐκάλεσεν; ἵνα μηδὲ ταύτῃ τῶν Ἀποστόλων ἔλαττον ἔχῃ, ἀλλ' ὅπερ ἔσχεν ἐξαίρετον ὁ κορυφαῖος τῶν μαθητῶν, τοῦτο καὶ αὐτὸς κτήσηται, καὶ πλείονος ἀξιώσεως ὑπόθεσιν λάβῃ. *Cur nomen ipsius mutavit Deus, eumque qui Saulus hactenus fuerat Paulum vocavit? Ut neque in hac re minus cæteris Apostolis haberet; sed ut quod præcipuum habebat discipulorum antesignanus hoc ipse quoque possideret, majorisque familiaritatis argumentum acciperet.* At gratis hæc omnia dici videntur. Nam, præter Scripturæ de Deo mutati nominis auctore silentium, non solet Deus nomen præstantius in vilius mutare. *Sauli* vero nomen, quod *desideratum* vel *desiderabilem* significat, præstantius est illo *Pauli*, quod *Exiguum* aut *Pusillum* notat. Alii ergo mutationem hanc ipsi *Paulo* attribuunt, qui ex more Judaico in signum conversionis suæ novum sibi nomen adsciverit; atque illud *Pauli* cæteris prætulerit, ut suæ esset humilitatis, qua se omnium *minimum* esse profitebatur, indicium. Cæterum si hæc vera ratio sit, quæ caussa dici potest, cur non mox a conversione sua, ut apud Judæos moris est, altero isthoc nomine sit usus? Quam ob rem alii novum hoc nomen ad *magnificentiam* potius Apostoli referunt. In his *Hieronymus* est, qui postquam Sergii Pauli historiam narrasset, sic pergit: *Diligenter attende, quod hic primum Pauli nomen inceperit. Ut enim Scipio subacta Africa Africani sibi nomen assumsit; & Metellus Creta insula subjugata, insigne Cretici suæ familiæ reportavit; & Imperatores nunc usque Romani Adiabenici, Parthici, & Sarmatici nuncupantur; ita & Saulus ad prædicationem gentium missus, a primo Ecclesiæ spolio Proconsule Sergio Paulo victoriæ suæ trophæa retulit, erexitque vexillum, ut Paulus ex Saulo vocaretur.* Cæterum id neque ex Hebræo more est, neque cum Pauli modestia satis convenit,

venit, ut Proconsulare nomen ob Evangelium cum successu prædicatum sibi assumeret; non sibi, sed Domino suo Jesu, victoriæ Domini virtute partæ trophæa erigere solitus. Accedit quod *Paulum* dixerit Lucas, prius quam de Elyma excæcato, vel *Sergio converso* retulisset. Alioqui propior vero eorum videri posset sententia, quam amplexus est Annalium Pater *Baronius*, ipsum *Sergium Paulum*, in amicitiæ gratique animi tesseram, cognomen suum, quod etiam *Æmilianorum* familiæ erat, cum Saulo Apostolo communicasse. Sic enim solitos fuisse Romanos, clientibus, hospitibus, libertis, aliisque bene de se meritis. Cujus rei illustre exemplum exstet in *Josepho*, nobili illo Judaicæ Historiæ Scriptore: qui in bello Judaico captus, liberatus a civitate donatus a *Tito*, *Flaviæ* familiæ cognomine ab eodem insignitus sit, & ex eo tempore *Flavius Josephus* appellatus. Ad eundem modum fieri potuisse, ut Saulus noster Romanæ familiæ cognomine, a Proconsule Romano comiter sibi oblato, eo lubentius usus sit, quod & ipse Romanus civis esset, & posthac Evangelium gentibus præcipue prædicaturus. Verum & hic duo Baronii errores, in iis quæ de Flavio Josepho narrat, notandi veniunt. Primum, non a Titio sed a Vespasiano civitate se donatum, atque in iis diversari ædibus jussum, quas ipse Vespasianus antequam Imperator fieret habitaverat, ipse ad finem vitæ suæ testatur: deinde, ubi beneficia in se a Vespasiano & Titio collata prolixe memorat, Flaviæ familiæ cognomine decoratum se fuisse prorsus silet. Idcirco, ut ad Paulum revertar, omnium fortasse tutissimum est, de mutati nominis auctore nihil asseverate determinare; sed potius in generali ista observatione acquiescere, quod quum *Græcis* & *Romanis* auribus *Sauli* nomen insuetum esset, *Pauli* vero illud apud eos vulgatum, levi mutatione ex *Saulo* factus fuerit *Paulus*. Quum enim ministerium suum dehinc in iis potissimum gentibus exercuerit, quæ coloniæ Romanorum essent, quæque vel *Græco* vel *Latino* sermone uterentur, mirum non est, si se pro *Saulo Paulum* dici, primum fortasse passus sit, deinde & voluerit. Act. XIII: 1—12. Nescio an operæ pretium sit appingere quæ de hoc ipso *Sergio Paulo* nonnulli Romanæ Ecclesiæ scriptores fabulantur: nimirum factum eum tandem fuisse Narbonensis Ecclesiæ Episcopum. Ita sane habet *Ado* in *Libello de festivitatibus Apostolicis*, ad diem XI. Cal. April. *Natalis S. Pauli, quem Beati Apostoli ordinatum urbi Narbonæ Episcopum miserunt; quem tradunt eundem ipsum fuisse Sergium Paulum proconsulem, virum prudentem, a quo ipse Paulus sortitus est nomen, quia eum fidei Christi subegerat: quinque ab eodem Sancto Apostolo, quum ad Hispanias prædicandi gratia pergeret, apud illam urbem Narbonam relictus, prædicationis officio non segniter impleto, clarus miraculis, coronatus sepelitur.*

XV. Sed nos Paulum & socios in suis prosequamur itineribus: qui Papho venerunt *Pergam Pamphyliæ*, Dianæ templo celebrem, uti docet *Mela*.

XV. Quid apud Antiochiam

Pisidiæ gestum sit. *Mela.* Unde *Johannes Marcus* ab iis discedens Hierosolymam reversus est, fortasse laboris & periculorum fugiens, quod vitio ei vertitur Act. xv: 38. Perga profecti sunt *Antiochiam Pisidiæ*, cui nomen hoc additur ut ab altera illa *Syriæ* distingueretur. Hic Synagogam ingressi die Sabbati *consederunt*: in doctorum, opinor, subselliis. Unde factum, ut *post lectionem legis & prophetarum*, solemnia Sabbati sacra, *præfecti Synagogæ, miserint ad eos*, quos legis suæ doctores esse facile suspicabantur, *rogaverintque ut si quis in ipsis sermo exhortationis ad populum esset, publice dicerent.* Id enim ea ætate spectatæ formæ gravibusque viris facile permittebatur. Paulus igitur postquam fecisset *silentia turbæ majestate manus*, longum sermonem orsus est, quem prædicatione Jesu ex mortuis suscitati, & remissionis peccatorum per ipsum, & pathetica oppido ad fidem exhortatione absolvit. Eo successu, ut & multi ex Judæis & religiosis proselytis Paulum ac Barnabam secuti sint, & gentes proxime sequenti Sabbato eadem sibi verba repeti petierint. Hanc enim interpretationem longe illi præferendam esse arbitror quam suggessit *Lightfootus*; monens Græca sacræ historiæ verba, *παρεκάλουν τὰ ἔθνη εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον λαληθῆναι αὐτοῖς τὰ ῥήματα ταῦτα*, ita exponi posse, ut Apostoli, videntes quod Judæi offensi synagoga exirent, obsecraverint *eos qui remanebant gentiles*, ut illi *deinceps eodem Sabbato*, tempore pomeridiano, talem iterum concionem audire vellent. Quæ profecto duriuscula sunt, & a sacræ narrationis stilo abhorrentia. Nam neque *τὸ μεταξὺ σάββατον Sabbati ejusdem pomeridianum tempus* notat, ut liquet ex vers. 44. & si Apostoli obsecrassent gentes, rogassent *ut audirent verba Dei*, non ut illa ipsis dicerentur. Sed pergamus. Ubi ad condictum diem totam fere civitatem ad audiendum sermonem Dei confluxisse cernebant, Judæi invidiæ æstro perciti, magna animi impotentia Paulo oblocuti sunt, contradicentes ac blasphemantes. Quo facto indignati Paulus ac Barnabas, rebellibus illis Judæis res sibi suas habere jussis, ad gentes sese converterunt. Quæ gavisæ, laudibus sermonem Domini extulerunt, *καὶ ἐπίστευσαν ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, & crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Act. XIII: 48.

XVI. Nortoni Knachtbul commentatio in Act. XIII. 48. XVI. Super cujus dicti controverso sensu nunquam disputandi finem fore donec Elias venerit auguratur *Nortonus Knachtbul.* Ipse pacis conciliandæ caussa hanc interpretationem offert. *Et crediderunt, quotquot convenerant, in vitam æternam.* Nimirum *τεταγμένοι* poni potuit pro *συνηγμένοι*, qua voce usus est Evangelista vers. 44. *Credere in vitam æternam*, est articulus fidei, immo summa fidei. Joh. XVII: 3. Neque est ea vocis *τεταγμένοι* acceptio omnino nova, & destituta auctoritate. Vox enim Hebræa יעד, quæ a LXX frequenter vertitur *συνάγω*, & *συναθροίζω*, *convenio* & *congrego*, vertitur ab iis quandoque *τάττομαι*. ut Exod. XXIX: 43. Est etiam *τάττω* proprie *εἰς τάξιν καθιστῶ in ordine colloco*; adeo ut neque a sensu ab-

horreat

horreat si vertatur, *Et quotquot erant in ordine collocati*, nempe ad audiendum verbum Dei, *crediderunt in vitam æternam*: vel, *quotquot erant instructi*, secundum vim vocis alteram, i. e. qui quod docuit Apostolus audiverunt. Nec aliter se sentire posse profitetur Vir Doctissimus, quin illud εἰς ζωὴν αἰώνιον necessario oporteat construi cum verbo ἐπίστευσαν, quidquid velit τὸ τεταγμένοι. Sed vereor ut multis persuadeat.

XVII. Nos ad Paulum redeamus; cujus opera sermo Dei per totam illam regionem deferebatur, ringentibus licet Judæis, quorum pravis artibus Apostoli contumeliose finibus illis ejecti, *excusso pulvere pedum suorum*, alio se contulerunt. Id quoque ex præcepto Domini. Mat. x: 14. Duo autem potissimum ritu illo significari videntur. Et primo quidem omnis communicationis & commercii renunciatio. Quasi dicerent Apostoli, veneramus huc non nostri commodi, sed vestræ salutis gratia: nunc quando monitis nostris auscultare non vultis res vestras vobis habete. Nihil nobis vobiscum ultra commercii est; quin adeo ne tantillum quidem vestri expetimus. Hunc sensum postulare videtur id quod apud Lucam exstat cap. x: 11. *Etiam pulverem qui adhæsit nobis ex urbe vestra, vobis abstergimus*. Ita *Grotius*. Deinde symbolo isto notari quoque potest abominatio urbis immorigeræ Evangelio, tanquam fœdæ, pollutæ, & polluentis. Pulverem enim terræ Ethnicæ contactu suo, ex scribarum sententia, inquinare, adductis Rabbinorum testimoniis probavit *Lightfootus* ad Mat. x: 14. Pulveris itaque discussione testabantur Apostoli, se protervos illos Evangelii hostes, utcunque Israelitas, pro profanis & impuris æstimare; seque ab iis segregare, ne & ipsi quid impuritatis contrahant. XVII. Excussione pulveris de pedibus suis, quid notare voluerint Paulus & Barnabas.

XVIII. Relicta igitur *Antiochia Iconium Lycaoniæ* urbem profecti sunt. Ubi quum multos tum ex Judæis tum ex gentibus religione Christiana imbuissent, iterum excitato a contumacibus Judæis tumultu, impulsisque primoribus ad eos contumeliis afficiendos, & lapidibus obruendos, mature se periculo subduxerunt: non solum vitæ suæ caussa; sed præcipue ne tempus inutiliter ibi tererent; quod alibi fructuosius impendi poterat. Aufugerunt itaque, *in civitates Lycaoniæ, Lystram, & Derben*. Quæ locutio Evangelistæ duobus modis, Drusio observante, exponi potest. Uno modo, ut dicat, *Lystram* & *Derben* civitates *Lycaoniæ* esse; altero, ut dicat, eos fugisse in *civitates Lycaoniæ*, *& Lystram & Derben*. Quam expositionem veriorem putat: quod *Derbe* & *Lystra Isauriæ* urbes sint. Quæ licet vicina sit *Lycaoniæ*, a *Lycaonia* tamen distinguitur. XVIII. Ea quæ gesta sunt Iconii.

XIX. *Lystræ* vero miraculo sibi viam aperiunt. Paulus enim virum ab utero matris claudum solo verbo suo ita sanat ut & exsilierit, & ambulaverit. Quo miraculo in stuporem data Lystræ plebs, Deos hominum specie e cœlo descendisse & secum morari credidit, & Barnabam *Jovem*, Paulum *Mercurium* dixerunt: quod huic dicendi partes commissæ essent, & Mercurius XIX. & Lystræ.

curius *interpres Divum* haberetur, &, ut Philo *eum* alicubi vocat, *προφήτης τῶν θείων*. Et parum aberat quin ipse Jovis sacerdos vittatos tauros ipsis tanquam diis immolaret: quam vanam opinionem indebitumque sibi honorem multa protestatione a se amoliti, prolixe de idololatriæ absurditate & vero veri numinis cultu disseruerunt. Sed & hic iterum Judæorum experti sunt furorem, quorum persuasionibus incitata plebs Lystrensium Paulum, quem modo ut Deum venerati fuerant, lapidatum extra urbem traxerunt, existimantes esse mortuum. Qui tamen circumstantibus discipulis, velut e somno surgens, una cum ipsis urbem ingressus, postridie cum Barnaba *Derben* profectus est: majore cum fructu Evangelium in ista urbe prædicaturus. Inter alios qui Christo nomen hoc tempore dederunt, fuit *Timotheus* cum pia matre sua *Eunice*, & avia *Loïde*, quarum diligenti institutione a prima pueritia sacras literas fideliter didicerat. Hic in locis illis eo tempore degens, quamvis pene puer, oculatus earum persecutionum testis fuit, quas Paulus Antiochiæ in Pisidia, Iconii & Lystræ perpessus fuit. Act. XVI: 1, 2. 2 Tim. I: 5. & III: 11, 15.

XX. De *χειροτονίᾳ* Presbyterorum.

XX. Inde vestigia sua retro legentes *Lystram* & *Iconium*, & *Antiochiam Pisidiæ* reversi sunt, ubique animos discipulorum confirmantes, ad fidei constantiam hortantes, & Divinæ gratiæ commendantes. Utque perpetua ipsis Evangelii prædicatio foret, singulis Ecclesiis prospexerunt de Presbyteris, per suffragia, accedente plebis consensu, creatis; quos precationibus & jejuniis Deo munerique suo consecrarunt. Insignis est vox illa qua Lucas utitur. Act. XIV: 23. *χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους*, & ex antiquissimo ritu desumta, quem docte eruderavit *Elias Cretensis* in tertiam *Orationem Gregorii Nazianzeni* ex versione Lewenklavii p. 79. *Olim*, inquit, *quum comitia creandis magistratibus habenda erant, designabatur aliquis, cui rerum summa, tanquam maxime idoneo, committeretur. Is deinde in theatrum deducebatur; atque ibi tum maximo totius populi comitio per præconem publice designati nomen edebatur. Quo facto, qui designationem illam probabant, sublatis manibus testabantur videri sibi hominem idoneum magistratui gerendo esse: cæteri vero qui ab his dissentiebant, manus suas continebant. Hoc modo comparato inter se horum illorumque numero, cui plures hominum suffragationes obtigissent, is magistratum adeptus, superior discedebat.* Hinc illa vox *χειροτονεῖν* orta est, & *χειροτονητὸς* dicebatur, qui hujusmodi suffragiis Magistratum consecutus erat. Formula rogandi per præconem quandoque sic erat: *ὅτῳ δοκεῖ τόδε ἀράτω τὴν χεῖρα*. Vel etiam ex contrario, *ὅτῳ μὴ δοκεῖ τόδε ἀράτω τὴν χεῖρα*. Qui ritus, a comitiis in Ecclesiam translatus, in eligendis, per suffragia populi, presbyteris obtinuit. *Χειροτονεῖν τουτέστι ψηφίζεσθαι τοὺς ἐπισκόπους, eligere Episcopos*, ait *Zonaras*; qui quomodo id in prisca Ecclesia factum sit, ad I Canonem Apostolorum prolixe exponit; neque pigebit hic describere. *Πάλαι αὐτὴ ἡ ψῆφος χειροτονία ὠνόμαζε-*

ὅτε

ὅτε γὰρ τοῖς τῶν πόλεων πλήθεσιν ἐξῆν ἐκλέγεσθαι τοὺς ἀρχιερεῖς, συνῆσαν τὰ πλήθη. Καὶ οἱ μὲν τόνδε ᾑροῦντο οἱ δὲ τόνδε; ἵνα οὖν ἡ τῶν πλειόνων κρατοίη ψῆφος, λέγεται τείνειν τὰς χεῖρας τοὺς τὴν ἐπιλογὴν ποιουμένους, καὶ διὰ τούτων ἀριθμεῖσθαι τοὺς ἕκαστον ψηφιζομένους, καὶ τὸν παρὰ τῶν πλειόνων αἱρούμενον, εἰς τὴν ἀρχιεροσύνην προκρίνεσθαι. Κἀντεῦθεν ἐξελήφθη τῆς χειροτονίας τὸ ὄνομα. Τοῦτο δὲ καὶ τῶν συνόδων πατέρες οὕτως εὑρίσκονται χρησάμενοι, καὶ τὴν ψῆφον χειροτονίαν καλέσαντες. Ἡ γὰρ ἐν Λαοδικείᾳ σύνοδος ἐν πέμπτῳ Κανόνι φησί. Μὴ δεῖν τας χειροτονίας ἐπὶ παρουσίᾳ ἀκροωμένων γίνεσθαι. Χειροτονίας δὲ τὰς ψήφους ὠνόμασαν. ἐν γὰρ τῇ τελεσιουργίᾳ τοῦ ἀρχιερέως μᾶλλον ἔθος πολλοὺς συνέρχεσθαι. ἐν δὲ ταῖς ψήφοις, διὰ τὸ εἰσάγεσθαι τινὰ αἰτιάματα τῶν ψηφιζομένων ἀνδρῶν, ἀπηγόρευται τὸ παρεῖναι τινάς, καὶ ἀκροᾶσθαι τούτων. *Olim ipsum etiam suffragium nominatum est* χειροτονία. *Nam quum populis civitatum licebat eligere sacrorum præfectos, conveniebat ipse populus, & alii quidem hunc, alii illum deligebant. Quatenus autem plurium suffragium vinceret, eligentes ferunt solitos extendere manus, & per manus ita porrectas numerabantur, qui vel hunc vel illum delegissent: plurium autem suffragiis delectum summo sacerdotio præfecere. Atque hinc sumtum nomen* χειροτονίας, *quo sic etiam Synodorum Patres inveniuntur usi, suffragium nominantes* χειροτονίαν. *Laodicensis nempe Synodus in Canone V dicit:* Non oportere χειροτονίας in audientium præsentia fieri. Χειροτονίας *autem appellarunt suffragia. In plena quidem Pontificis consecratione magis obtinebat consuetudo, ut plures una convenirent: sed in suffragiis, eo quod electorum virorum crimina quædam proponerentur, aliquos vetatur adesse.* Hæc *Zonaras.* Dissimulare tamen nefas est, serioribus temporibus, ipsam ordinationem, initiationem, inaugurationem & consecrationem in sacro munere χειροτονίαν dictam esse, eamque vocem æquipolluisse τῇ χειροθεσίᾳ. cujus significationis exempla multa collegit *Suicerus* in *Thesauro.* Nos nunc quæ fusiori excursu dicta sunt ad rem præsentem applicemus. Sine dubio Apostoli potestatem episcopos & presbyteros creandi a Christo nacti sunt; sed prudenter censuerunt, non expedire ut omni jure suo semper uterentur. Eos potissimum Ecclesiis præfici cupiebant, qui civibus suis gratissimi probatissimique erant: idcirco multum plebis ipsius arbitrio permiserunt. Atque illud esse arbitror quod Lucas hic docet. Si quis pugnet convenientius videri auctoritati Apostolicæ, ut & hic χειροτονία pro consecratione sumatur; equidem non improbe contra tendam: verum id certis primum argumentis addici poscam, quod Apostolorum ætate vox χειροτονία eam significationem habuerit. Rebus ita constitutis, peragrataque *Pisidia,* ac *Pamphylia,* Paulus & Barnabas descenderunt *Attaliam,* illinc *Antiochiam Syriæ* enavigaturi, unde commendati erant gratiæ Dei ad opus quod feliciter absolverant, cuique biennium præter propter impenderant. Eo reversi, convocato fidelium cœtu, exposuerunt quanta per ipsos præstitisset Deus, &

quod rei caput erat, quam late patens ostium fidei aperuisset gentibus. Act. XIV.

SECTIO IV.

De Synodo Hierosolymitana, & quæ eam proxime consecuta sunt Antiochiæ.

BREVIARIUM.

I. *Controversia de rituum Mosaicorum necessitate Antiochiæ primum agitata.* II. *Deinde Hierosolymam ad Apostolos privatim, mox ad totum Presbyterorum cœtum relata.* III. *Petri sententia.* IV. *Jacobi votum.* V. *Edictum Synodicum, cum Antiochenis per Paulum & Barnabam communicandum.* VI. *Sine circumcisione salutem acquiri posse æquiores ex Judæis crediderunt.* VII. *Æra hujus Synodi.* VIII. *An in historia hac quicquam inveniatur quod Apostolorum in docendo infallibilitati præjudicet.* IX. *Ostenditur, non præjudicare.* X. XI. *Cur scripserint Apostoli, Visum est Spiritui Sancto & nobis.* XII. *Pauli cum Petro disceptatio Antiochiæ.* XIII. *Non arguit contrarietatem in doctrina fidei.* XIV. *Sed utrimque exhibet insigne virtutum exemplar.* XV. *Humanæ tamen infirmitatis indicium est* παροξυσμὸς *inter Paulum & Barnabam.* XVI. *Penes quem major culpæ pars fuerit.*

I. Controversia de rituum Mosaicorum necessitate Antiochiæ primum agitata.

DUm *Antiochiæ* a tam diuturnæ peregrinationis molestiis Paulus & Barnabas aliquantulum respirant, novæ subito renascuntur difficultates. Etenim male consulti quidam, & fervidi ingenii homines, e Judæa venientes, bene compositam Antiochenæ Ecclesiæ pacem turbabant: clamabantque, *nisi circumcidamini ritu Mosaico non potestis servari.* Non ferebant illud Paulus & Barnabas; sed forti animo inconsideratorum hominum impetum retundentes, pro libertate stabant Christiana. Unde quum repugnantia & disceptatio non parva utrinque oriretur, constitutum fuit, ut Paulus & Barnabas, & quidam alii ex illis, ad Apostolos & Presbyteros, Hierosolymam, super hac quæstione adscenderent.

II. Dein Hierosolymam ad Apostolos privatim, mox ad totum Presbyterorum cœtum relata.

II. Quo quum venissent, consultum duxit Paulus Evangelium quod inter gentes prædicaverat *privatim* exponere iis qui in pretio erant; præcipue *Jacobo, Cephæ & Johanni*, qui pro insignibus Ecclesiæ columnis habebantur. Hi deprehenso, quod Paulo creditum a Christo esset Evangelium præputii, haut secus ac Petro Evangelium circumcisionis, perspectaque Dei in Paulo gratia, *dexteras societatis* ipsi ac Barnabæ lubentes dederunt; atque ita testati sunt suam ὁμόνοιαν. Hæc enim ad historiæ nexum hic inserenda sunt ex Gal. II: 2, 7, 9. Non contentus autem Paulus *privatim* cum Apostolis communicasse; ut omnis vitilitigandi prætextus nimium impetuosis Mosaicæ legis Zelotis eriperetur, universo *Apostolorum & Presbyterorum cœtui*, controversiæ momentum exposuit.

III. In

III. Petri sententia.

III. In collatione ista publica princeps fuit *Petrus* qui animi sui promserit sententiam. Eo autem tota ipsius tendebat oratio, non esse imponendum cervici discipulorum jugum, sub cujus onere & majores & ipsi tamdiu ingemuissent; quum experimento didicisset, posse aliquem cum præputio cordium scrutatori Deo placere; cujus rei illustre testimonium Deus ipse præbuerit, dato talibus Spiritu Sancto: unde appareat fide purificari corda, etiam sine ceremoniarum choragio. Quæ sanctissimi gravissimique hominis oratio, magno totius multitudinis silentio audita, *Paulo* & *Barnabæ* occasionem dedit prolixo sermone memorandi, quanta Deus edidisset signa & prodigia per ipsos inter gentes, qui tamen nulla suscipiendæ circumcisionis necessitate gravaverant. Ea vero narratione valide confirmata Petri sententia fuit.

IV. Jacobi votum.

IV. Denique surrexit *Jacobus*, Petro quoad rei summam ὁμόψηφος, pariterque censens, non esse obturbandos eos qui ex gentibus ed Deum se converterint. Verum, quum singulari affectu in fratres suos, Judæos, propenderet, consultum arbitrabatur, sine religionis ac veritatis dispendio, ad conservandam pacem, & vitanda scandala ac schismata, aliquid iis indulgere. Atque hoc quidem nominatim, scribendum esse ad conversos ex gentibus, *ut abstineant a pollutis per simulacra, & scortatione, & suffocatis rebus, & sanguine.*

V. Edictum Synodicum, cum Antiochenis per Paulum & Barnabam communicandum.

V. Huic voto cuncti assenserunt. Epistolaque in eam mentem concepta, & omnibus approbata, & per Paulum & Barnabam, quibus Ecclesia Hierosolymitana adjunxit *Judam*, qui cognominabatur *Barsabas*, & *Silam*, Antiochenis fratribus reddita est. *Quam quum legissent, gavisi sunt super ea exhortatione.* Act. xv. Non lubet nunc excurrere in commentarium super decreto isto Apostolico: quippe quod ab instituti nostri ratione alienum, & ab aliis multis, ac nominatim a *Curcellao*, *Heideggero* & *Spencero* copiose atque erudite occupatum est.

VI. Sine circumcisione salutem acquiri posse æquiores ex Judæis crediderunt.

VI. Suffecerit observasse, sententiam illam, quod quis virtuti veræ studens gratus Deo, & vitæ æternæ hæres esse possit, etiam sine circumcisione, non Apostolis & Christianis illius temporis privam, sed iis cum multis Judæorum sapientibus communem fuisse; a quibus Pharisæi, & qui iis similes, prætextu rigidioris disciplinæ, seorsim senserunt. Memorabilis in hanc rem historia, quæ hujusdem temporis est, extat apud *Josephum Antiq. XX. Cap. II.* Izates Adiabenorum Rex cum matre Helena a Judæis quibusdam Divinas leges edoctus, easdem pio studio complectebatur; adeo ut, si necesse foret, nec circumcisionis pudorem doloremque subire recusaret. Sed *Ananias*, vir insignis, cui Israëliticæ religionis notitiam debebat, valde id dissuasit, dictitans, δυνάμενον αὐτὸν καὶ χωρὶς τῆς περιτομῆς τὸ θεῖον σέβειν, εἴγε πάντως κέκρινε ζηλοῦν τὰ πάτρια τῶν Ἰουδαίων. Τοῦτο εἶναι κυριώτερον τοῦ περιτέμνεσθαι. LICERE ET ETIAM ABSQUE CIRCUMCI-

CUMCISIONE DEUM PIE COLERE, SI JUDÆORUM INSTITUTA PLACEANT. IN HOC ENIM MAGIS SITAM RELIGIONEM QUAM IN CIRCUMCISIONE. Adeoque illud ursit, ut discessurum se minatus sit, nisi a suscipiendæ circumcisionis proposito absisteret. Non dissimulo tamen, consilium isthoc Ananiæ ex metu potius, quam ex animi sui religione profectum videri. Verebatur enim ne per tam apertam Judaismi professionem & civium animi a Rege alienarentur, & ipse noxæ daretur, tanquam rerum novarum auctor. Sed nec *Trypbon Judæus* omnem salutis spem incircumcisis ademit, sic apud *Justinum* Martyrem loquens *p. mihi 225. in fine.* μένοντι γάρ σοι ἐν ἐκείνῳ τῷ τῆς φιλοσοφίας τρόπῳ, καὶ ζῶντι ἀμέμπτως, ἐλπὶς ὑπελείπετο ἀμείνονος μοίρας. *Manenti enim tibi in illa philosophandi ratione, & inculpate viventi, melioris sortis spes reliquebatur.* At prolixe & ex professo, quod ajunt, materiem hanc exsecutus est *Menasse Ben Israël,* scriptor quidem recentissimus, sed qui traditam a majoribus doctrinam repetit, *De Resurr: Mort: Lib: II. Cap: IX.* Ex quo aliqua excerpam. *Non minus,* inquit, *verisimile est, omnes gentes ac nationes æque resurrecturas ac Israelitas; juxta illud veterum dictum* חסידי אומות העולם יש להם חלק לעולם הבא, *piis ex gentibus mundi pars erit in futuro seculo.* Post pauca. *Ex his nationibus omnes & singuli resurgent, qui probe ac pie vixerunt; quales sunt, qui, juxta R. Mosem & R. Meir Gabay, observarunt diligenter præcepta ea quæ data sunt Noacho. --- Neque illi tantummodo resurgent; sed & beatitudinis futuri seculi participes erunt, juxta veterum illud pronunciatum.* אין הקדוש הוא מקפה שכר כל בריה *non fraudat Deus præmio ullam creaturam. Ac proinde dicunt: illis pars erit. Neque dubium est, quin illi qui recte de Deo senserunt, pariterque honeste pie ac probe vixerunt, partem in resurrectione mortuorum obtenturi sint: uti sentit R. Moses in epistolis suis, &c. Denique in Zoar, magnæ auctoritatis libro, legitur, quod illos qui in captivitate bene de Israelitis meriti sunt maneat in futuro seculo magna felicitas.* Hæc Menasse. Quæ quum ita sint, minus mirum est Ecclesias cum gaudio constitutioni Apostolicæ acquievisse: nam & qui ex gentibus erant admodum lætabantur tam patentem sibi cœli portam sine circumcisione pandi, & qui ex Judæis credebant Christo, nihil audiebant quod non æquiores ex suis antea docuerant.

VII. Æræ hujus Synodi.

VII. Sed & operæ prætium est ut in æram hujus Synodi inquiramus. Quæ hac ratione inveniri potest. Plerique Theologorum & Chronologorum facile consentiunt, iter Pauli Hierosolymitanum ac colloquium cum Apostolis, quod Lucas describit, Act. xv. idem esse cum eo quod Paulus laudat. Gal. II: I. Id autem institutum esse testatur, XIV annis a certo temporis termino. Ubi vero figendus sit iste terminus, in incerto est. *Ludovicus Cappellus* contendit, XIV istos annos inchoandos esse a Christi Passione, & initio Ecclesiæ Christianæ. Quod si cui durum videatur, malitque eos annos numerare a fine triennii illius, cujus facta est mentio Gal. I: 18.

1: 18. (quod vocabulum ἔπειτα id videatur omnino suadere, ac veluti exigere) conjectat *Cappellus* forte legendum esse τεσσάρων ἐτῶν pro δεκατεσσάρων, omissa δέκα; & tunc putat rem expeditam fore ac planam: quatuor enim revera annos ab exacto illo triennio usque ad Concilium Hierosolymitanum. Sic ille in *Append. ad Historiam Apost.* Verum in ista exputatione paucos sibi consentientes habet: minime omnium in illa lectionis mutatione, nulla codicum, nulla versionum fide: quod profecto sobriæ Critices modum excedit. Diligentissime totam hanc materiam excussit ὁ πάνυ *Spanhemius* in *Disquisitione Chronologica de tempore conversionis Pauli.* Res huc redit: Stephani Martyrium contigisse quinto fere a cruce Christi anno. Rursum, anni minimum unius decursum, si non verius biennii, (quale & *Ludovicus Cappellus* post *Danæum* aliosque statuit) a morte Stephani ad Sauli profectionem Damascenam, illiusque conversionem, supponendum esse. Exacto a conversione triennio factum esse iter illud de quo Gal. 1: 18. Ab eadem conversione (neque enim, alia illustrior Paulo epocha est) inchoandos esse XIV illos annos, de quibus Gal. 11: 1. Ex quibus omnibus, judiciose adstructis, subductis calculis hæc conficitur summa. A cruce Christi usque ad Stephani Martyrium anni V. A Martyrio Stephani usque ad conversionem Pauli anni II. A conversione Pauli ad Concilium Hierosolymitanum anni XIV. Habes annos XXI. At non desunt Theologi præstantissimi, in quibus est *Usserius Chron. T. 2. p. 659.* qui XIV istos annos inchoant non a conversione Pauli, sed priori itinere Hierosolymitano, quod triennio conversionem consecutum est; & sic Concilium Hierosolymitanum incideret in annum a conversione Pauli septimum decimum, a passione Domini vicesimum quartum. Desino hæc pressius urgere; liber per me suus cuique maneat calculus. Paucorum annorum discrepantia non magni ad religionem momenti est.

VIII. An in historia hac quicquam inveniatur quod Apostolorum in docendo infallibilitati præjudicet.

VIII. Longe vero majoris momenti erit ut argutationes illas discutiamus, quibus Viro alicui Doctissimo ex hac historia contra Apostolorum in docendo infallibilitatem disputare lubuit. Sic autem instituit: *Neque enim veteres Christiani de Apostolis, neque Apostoli de se ipsis, eam infallibilitatis opinionem habuerunt.* Quid ita? *Patet ex Act.* xv. *Judæi quidam Christiani facti jubebant Gentiles cum Christianismi professione circumcisionem suscipere. Illi opinioni acriter se opponunt Paulus & Barnabas; attamen non tantum valebat ipsorum authoritas, ut silentium Judaizantibus illis imponeret. Quamvis nulli Apostolorum Paulus cederet, non tamen cedebant ipsi: consulenda erat Ecclesia Hierosolymitana. Ibi Apostoli cum Presbyteris coacti, primum inter sese conferunt & disputant vers. 6, 7. tum sententiam dicunt Petrus & Jacobus, denique communibus suffragiis concludunt qui e re sit. Si ecclesia illius temporis Paulum pro infallibili doctore agnovisset, non fuisset necesse Hierosolymam mittere. Si Apostoli omnes repleti fuissent Spiritu infallibilitatis, ejusdem omnes fuissent sententiæ,*

 sine

sine disputatione ulla unum duntaxat elegissent, communi omnium nomine pronunciaturum oraculum. Sic ille.

IX. Ostenditur, non præjudicare.

IX. Fricemus paululum hanc aristam. I. Absurdum est ex opinione horum Judaizantium de auctoritate Apostolica judicium ferre; nam vix primis Christianismi elementis imbuti, multum trahebant ex gentis pertinacia, & cæco sectæ zelo. Erant enim ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων. vers. 5. Credentes quidem professione, seu ψευδάδελφοι, mentientes nomen Apostolorum, turbatores Ecclesiarum vers. 24. Iidem de quibus Paulus Gal. II: 4. *Irreptitii falsi fratres, clam ingressi ad explorandam libertatem quam habemus in Christo Jesu, ut homines liberos in servitutem adigerent.* Hos ut pro sententiæ suæ auctoribus *Vir Doctus* laudet, per nos equidem licet. II. Verum est, Paulum non obruisse Ecclesiam auctoritate sui Apostolatus: sic enim solebant docere Apostoli, ut τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας *declaratione veritatis se commendarent apud omnem conscientiam hominum.* 2. Cor. IV: 2. Quod & Christus Dominus fecit, non suam semper auctoritatem obtendens, sed ea seposita ad Mosem, ad scripturas, ad alia argumenta provocans. Joh. V: 39, 46, 47. Matt. XXII: 31, 32. Neque, quod *Spinosa* nugatur, auctoritati Propheticæ præjudicat, ut quis ea quæ dicit ratiocinando & argumentis persuadeat: sic enim ipse Deus Divinitatis suæ caussam agit, adversus idola eorumque patronos, invitatque eos ad suorum argumentorum productionem. Jes. XL: 1. & XLIV. III. Quod Ecclesia Antiochena statuerit quibusdam suorum Hierosolymam eundum esse, non ex eo erat quod de fide & auctoritate Pauli male aut dubie sentirent, sed ut ad convincendos Judaizantes pateret reliquorum consensus. Nam & hoc ipsum factum est κατ' ἀποκάλυψιν. si quidem, quod *Gomaro, Grotio, Coccejo*, aliisque viris doctis videtur, hæc profectio eadem est cum illa de qua ad Gal. II: 1, 2. Ergo revelavit ipsi Deus adscensionem hanc utilem & necessariam ipsi atque Ecclesiæ esse. *Occasionem*, inquit Grotius, *ab hominibus natam, Christus viso aliquo nocturno confirmavit.* Ejus autem revelationis indubie conscios fecit Antiochenos: unde eo magis properata legatio. Porro quod ex Divina inspiratione Paulo concessa factum, pessime trahitur ad depreciandam Pauli auctoritatem, abrogandamve ipsi infallibilitatem. IV. Inspiratio Spiritus Sancti non tollit collationem mutuam, multo minus considerationem scripturarum, aut dissertationem ex iis (non enim vi agit, aut per raptum semper) sed tollit errorem & dissensum. Qualem hic inter Apostolos fuisse, nullo modo patet. Prorsus enim cum Paulo, Petrus & Jacobus docent. Plures Apostolos adfuisse non liquet, nisi fortasse Johannes adfuerit. Gal. II: 9. Itaque συζήτησις illa vers. 7. non fuit inter ipsos Apostolos, sed alios ex Ecclesia, quibus eam infallibilitatem non adscribimus. V. Quidquid hic actum est, actum esse ex instinctu Spiritus, ipsi scribunt Apostoli. vers. 28. ἜΔΟΞΕ ἉΓΊΩ ΠΝΕΎΜΑΤΙ.

X. Excipit

X. Excipit noster. I. *Si Spiritus Sanctus ita ipsos replevisset ut non nisi instrumenta essent per quæ loquebatur, non equidem sese eodem cum Spiritu ordine memorassent. Quis prophetarum dixit unquam, visum est Deo & mihi?* II. Posito hunc esse sensum, quem & *Grotius* pandit, *Nobis per Spiritum Sanctum*, ἓν διὰ δυοῖν, *non tamen hinc concludi potest inspiratio Apostolorum perpetua, qualis ea est de qua disputatur. Apostoli, atque universa Ecclesia Hierosolymitana, animati erant Spiritu Evangelii; neque tamen perpetuo pleni Spiritu Prophetiæ. Qui si hic intelligeretur, non Apostolis solum, sed & presbyteris, imo universo isti cœtui, attribuenda foret infallibilitas.* III. Finis epistolæ non videtur satis tueri dignitatem oraculi. vers. 29. ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς, εὖ πράξετε. A QUIBUS SI VOBIS CAVERITIS, BENE AGETIS. Propheta aliquis dixisset: *hæc fugienda sunt, ita enim jubet Dominus.* X. XI. Cur scripserint Apostoli, Visum est Spiritui Sancto & nobis.

XI. Respondeo. I. Fuerunt quidem Apostoli instrumenta Spiritus Sancti, sed rationalia: suo enim intellectu, judicio, & sermone utebantur; ita tamen ut in eorum omnium usu dirigerentur a Spiritu Sancto. Qui non adimebat ratiocinandi facultatem, quam natura concesserat: sed eam cœlesti lumine collustratam, & circa ponderosam hanc quæstionem meditationibus suis occupatam, arcana sua virtute ita in judicando gubernabat, ut, quod ipsis videbatur, revera dictamen Spiritus Sancti esset. Neque temere scripserunt: *Visum Spiritui & nobis*. Duo enim prætendebantur a Judaizantibus; sententia Spiritus veteribus oraculis expressa; & auctoritas Apostolorum qui Hierosolymis erant. Utrumque hic negatur. Aliter visum Spiritui Sancto, ducenti nos in verum antiquorum oraculorum sensum: aliter & nobis, quibus religio est contraire Spiritui. Idcirco monent com. 24. se inconsideratis illis Legis Mosaicæ Zelotis non *non edixisse ea* quibus pacem Ecclesiarum turbabant. ΟΙΣ ΟΥ ΔΙΕΣΤΕΙΛΑΜΕΘΑ. II. Non directe ex hoc loco inferimus *perpetuam* Apostolorum *infallibilitatem*; sufficit, inferri non posse aliquid ei contrarium, atque id modo maneat, eos quod hic & nunc decernebant, dictante Spiritu Sancto decrevisse. Ita quidem ut id decretum, non minus quam ullum Propheticum oraculum, humilis fidei obsequio ab Ecclesia recipiendum fuerit. Et quæ ratio est, cur statuamus, circa alia fidei dogmata, ejusdem ut majoris ponderis, minus eos a Spiritu Sancto informatos & directos fuisse, quam circa hoc πρόβλημα? Non tamen quæ hinc infertur, Apostolorum ex Spiritus directione infallibilitas, communicanda erit com omnibus Presbyteris, totaque Ecclesia Hierosolymitana. Hi enim, audito Spiritus in & per Apostolos dictamini, suum, ut par est, præbuerunt consensum. III. Oeconomiæ T. N. conveniens est, ut non eo semper rigore loquantur Apostoli, quo Prophetæ veteres. Nulla denique dici potest caussa cur oraculo Divino indigna hæc phrasis sit: *Bene*, id est rem Deo gratam, *feceritis hæc observantes*. Similis locutio, ipso notante *Grotio*, alibi occurrit ubi de iis agitur quæ Divini

præcepti sunt. Phil. IV: 14. 3 Joh. vers. 6. Et specialis fuit ratio cur ita concluderetur Epistola; quippe in qua nonnulla erant continentia magis consilium prudentiæ ad tempus observandum, quam præceptum universale.

XII. Pauli cum Petro disceptatio Antiochiæ.

XII. Nunc ad eos redeamus, qui Synodi Hierosolymitanæ literas Antiochiam pertulerunt. Ex quibus ministerio isto peracto, Judas Hierosolymam rediit, Silas Antiochiæ cum Paulo & Barnaba mansit, quorum concionibus in eandem semper sententiam conspirantibus Antiochena Ecclesia insigniter ædificata, confirmata atque aucta est. Interim *Petrus* Apostolus, sive occasione invitante, sive Spiritu Dei impellente, Antiochiam venit, florentique Ecclesiæ plurimum, uti par est credere, gratulatus, initio libere ac familiariter cum iis qui ex præputio erant fidelibus conversatus est. Cæterum quum Hierosolymis advenissent quidam a *Jacobo* missi, qui legis Zelotæ erant, Petrus, nimia anxietate eorum offensionem metuens, a Gentilium fidelium conversatione se subduxit: quasi indigna Judæis tanta cum gentibus, quamvis ad Christi fidem conversis, familiaritas esset. Quo exemplo reliqui fideles ex Judæis subducti sunt, immo & ipse *Barnabas*. Paulus itaque deprehendens quanto hæc libertatis Christianæ præjudicio fierent; Zelo Dei commotus, acri sermone Petrum imprudentiæ, timiditatis, & simulationis coram omnibus redarguit, graviterque increpuit. Quæ ab ipso narrata Gal. II: 11, 12. & seq. hic inserenda esse arbitror. Nam, uti bene observavit *Ludovicus Cappellus*, ex narrationis Paulinæ serie constat, facta hæc Antiochiæ esse, post Concilii Hierosolymitani sensententiam. Porro constat, Paulum ab hoc tempore non venisse Antiochiam, nisi semel, idque in transcursu tantum, sine Barnaba comite: ut ex iis quæ dicenda sunt liquebit.

XIII. Non arguit contrarietatem in doctrina fidei.

XIII. Non licet ex hac historiæ sacræ parte concludere *errorem* in *fide* in alterutro Apostolorum, vel dissensum in doctrina inter utrumque. Indubium enim est, quod doctrinam attinet Petrum in hoc negotio ejusdem sententiæ fuisse cum Paulo: fas scilicet homini Judæo esse familiaritatem colere cum gentilibus fide Christiana præditis. Sic ipse edoctus erat oraculo. Act. X: 19, 20. Sic docuerat Hierosolymitanos. Act, XI: 12, 17. Sic comprobaverat sua praxi. Gal. II: 12. Non fuit ergo *error in dogmate*. Omnis perplexitas Petri fuit circa *facti circumstantias*, ubi suum prudentiæ moderamen est. Ea docet, omnibus omnia fieri, etiam infirmis veluti infirmum. I Cor. IX: 20, 22. Id existimabat Petrus hic habere locum, ne offenderet circumcisos, quorum præcipue erat Apostolus. Paulus autem perspicacius & verius arbitrabatur, ex intempestiva hac accommodatione plus scandali nasci, & de Christiana libertate ultra quam par est delibari: nam & Judæos confirmari in sua, injusta sane, adversus Gentiles duritie; & Gentilium fidelium animos præter rationem turbari, quasi non æquam

cum

cum Judæis credentibus in Christi justitia ac Dei favore partem haberent. Tota ergo hæc controversia fuit, non de *doctrina* libertatis Christianæ; sed de illius *usu hic* & *nunc*: in qua re Paulus prudentiæ regulas melius perspectas habuit quam Petrus.

XIV. Interim uterque Apostolus eximium reliquit virtutis suæ exemplum, dignum quod intueantur, quod imitentur omnes quidem Christiani; sed imprimis Theologi. Elegantissime hæc exsecutus est *Augustinus Epist. XIX.* quæ in novissima Benedictinorum editione est LXXXII. §.22. cujus verba non pigebit appingere. *Ipse vero Petrus quod a Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, sancta ac benigna pietate humilitatis accepit: atque ita rarius & sanctius exemplum posteris præbuit: quo non dedignarentur (sicubi forte recti tramitem reliquissent) etiam a posterioribus corrigi: quam Paulus, quo confidenter etiam auderent minores majoribus, pro defendenda Evangelica veritate, salva fraterna charitate obsistere. Nam quum satius multo sit in tenendo itinere in nullo quam in aliquo declinare; multo tamen est laudabilius & mirabilius libenter accipere corrigentem, quam audacter corrigere deviantem. Est laus itaque justæ libertatis in Paulo, & sanctæ humilitatis in Petro.* XIV. Sed utrimque exhibet insigne virtutum exemplar.

XV. Sed pergamus. Postquam hæc *Antiochiæ* accidissent, *Paulo* operæ pretium visum est Ecclesias, quas in *Syria*, *Cilicia*, & *Asia* condiderat, revisere, ad eas in fide confirmandas: quod & *Barnabæ* placuit, optimo hactenus consiliorum atque itinerum socio. Cæterum in re exigua sententiarum diversitas ostendit, eos quos Dei gratia & sanctos fecerat & Apostolos, nondum tamen omnia deposuisse quæ humanæ sunt infirmitatis. Deliberabatur de assumendo comite & ministro. *Barnabas* commendabat *Johannem Marcum*, cognatum suum. *Paulus* æquum censebat, non assumere hominem qui nulla idonea caussa in Pamphylia ipsos deseruerat: eum enim qui labores & pericula defugisset minus aptum tali itineri putabat: & mores potius respiciendos, quam sanguinis cognationem, quæ multum sæpe rebus sacris obstitit. Eoque processit disceptatio, ut exierit in *παροξυσμὸν exacerbationem*, alterque ab altero discesserit; *Barnabas* assumto *Marco*, in *Cyprum*, *Paulus* allecto *Sila*, in *Syriam* ac *Ciliciam*. Uti pietatis nostræ non est piorum hominum nævos horribili flagello sectari; ita nec eorum vitia efficaci sermone notata quæsitis emollitionibus extenuare. Παροξυσμὸς respondet voci Hebraicæ קצף, quæ alias vertitur θυμὸς, ὀργὴ, χόλος, & certe plus notat quam sententiarum discrepantiam. Connotat commotionem animorum justo acriorem, irritationem, provocationem, cum æstu quodam iracundiæ. *Basilius* in *Reg. brev. Interrog. LV.* *τὸ σφοδρότερον ἀπὸ θυμοῦ κίνημα παροξυσμὸς ὀνομάζεται. Vehementior ille qui ex iracundia existit motus vocatur παροξυσμός.* Neque est sine aliqua charitatis læsione. Charitas enim *οὐ παροξύνεται* 1 Cor. XIII: 5. quod *Theophylactus* exponit, *οὐκ ἀνάγεται εἰς ὀργήν.* Fuit ergo hic aliquid quod a perfecta charitate abest. XV. Humanæ tamen infirmitatis indicium est παροξυσμὸς inter Paulum & Barnabam.

Non

Non ita tamen ut prisca illa amicitia prorsus diremta in odium verterit. Discesserunt; non ut inimici: absit. Sed uti olim Abrahamus & Lothus, ut suas quisque res, pro eo quod optimum sibi videbatur, Ecclesiæ bono curaret.

XVI. Penes quem major culpæ pars fuerit.

XVI. Veteres maximam culpæ partem Barnabæ adscribunt, qui naturali affectui erga cognationem carnalem plus quam oportet tribuerit. Sed & dubitari potest, annon naturalis illa Paulo vehementia eum extra æqui limites aliquantulum abripuerit. Non male dixerunt Græci, ὁ Παῦλος ἐζήτει τὸ δίκαιον, ὁ Βαρνάβας τὸ φιλάνθρωπον. *Paulus quærebat id quod justum erat, Barnabas id quod humanum.* Bonum factum fuisset, si Barnabas cessisset Pauli Zelo: at nec malum, si Paulus a se impetrare potuisset, ut aliquid indulgeret mitissimi optimique hominus affectui. Illud interim bene observatur, Deo sic dispensante, disceptationem istam cessisse tam in *Marci* privatum, quam in publicum *Ecclesiæ* bonum. *Marco* enim profuisse Barnabæ benignitatem, ut ne omnino destitueretur: sed & eidem profuisse Pauli severitatem: quippe qui per eam monitus fortior in posterum sit factus, & ut talis a Paulo salutetur Col. IV: 10. *Ecclesiæ* etiam utilem fuisse separationem, per quam factum sit, ut plures eodem tempore confirmarentur in fide Jesu: & sopitæ ad exiguum tempus fraterni amoris scintillæ eo & citius & fortius exarserint. Quanti enim Barnabam semper fecerit Paulus, in suis ipse epistolis, deinceps scriptis, testatur. Gal. II: 19. 1 Cor. IX: 6.

SECTIO V.

De rebus a Paulo in Macedonia gestis.

BREVIARIUM.

I. *Paulus rebus in Creta & alibi rite constitutis, probibitus a Spiritu in Asiam proficisci, in Galatiam venit.* II. *Troade Lucam invenit, & visione nocturna in Macedoniam vocatur.* III. *Venit Philippos, & die Sabbati egreditur ad προσευχήν.* IV. *Quid sit proseucha.* V. *Conversio Lydiæ.* VI. *Pythonissa. increpante Paulo, fatidico spiritu destituitur.* VII. *Cujus domini ob eam rem multum molestiæ Paulo creant.* VIII. *Qui cum Sila virgis insigniter cæsus, in mala carceris mansione, laudes Dei nocturnis hymnis celebrat.* IX. *Unde cæterorum captivorum admiratio, terræ tremor, catenarum solutio &c. denique notabilis conversio commentariensis.* X. *Pauli ex Philippis excessus.* XI. *Iter per Apolloniam, quæ est in tractu Illyrico. Unde illustratur Rom.* XV: 19. XII. *Res apud Thessalonicam gestæ.* XIII. *Uti & apud Beroeam.*

I. Paulus rebus in Creta & alibi rite constitutis,

EX *Cilicia* videtur Paulus in *Cretam* navigasse: & prædicato ibi Evangelio, quoniam alio properabat, *Titum* reliquisse, ut *quæ desunt corrigeret, atque oppidatim presbyteros constitueret.* Quæ Lucæ omissa, ex epistola ad Titum supplenda esse, & huic tempori optime convenire opinatur,

opinantur *L. Cappellus.* At *Pearsonus* ad postrema Pauli tempora refert, eaque ejus itinera, quæ solutionem ex vinculis Romanis consecuta sunt. Adeo sæpe intricata res Pauli historia est. Cappelli tamen rationes potiores hic mihi videntur. Non enim verisimile est ad illud usque tempus ignoratum fuisse Christum in Creta; quum tota Achaja, Macedonia, Asia, Cyprus, Syria, personarent Evangelii præconio. Vel si ab alio fundatæ fuissent Cretenses Ecclesiæ, Paulum eas suæ deinceps disciplinæ subjecisse; quum neget se alieno superstruere fundamento. Deinde *Derben* & *Lystram* venit: ibi in *Timotheum* incidit, fidissimum sibi abhinc omnium itinerum suorum futurum comitem: cujus nos vitam integra Dissertatione alibi descripsimus. Hoc igitur socio, quem *Titi* in *Creta* relicti loco allegerat, per urbes, quas transibant, observanda tradebant placita illa quæ Apostolorum & presbyterorum decreto Hierosolymis sancita fuerant: ad notabilem Ecclesiarum corroborationem & incrementum. Hinc in *Phrygiam* petiverunt, & *Galatiam;* prohibiti a Spiritu ne in *Asiam*, proprie sic dictam, proficiscerentur. Quæ ut perspectiora sint operæ pretium erit *Hieronymi* verba adscribere: *Asia regio qua cognominatur Minor, absque Orientali parte, qua ad Cappadociam Syriamque progreditur, undique circumdata est mari. Cujus provinciæ sunt Phrygia, Pamphylia, Cilicia, Lycaonia, Galatia & aliæ multa. Sed specialiter ubi Ephesus civitas est, ASIA vocatur.* De hac Asia loquitur Lucas. Cæteroquin pleræque regiones, quas in hac periocha peragrasse narratur Paulus, partes Minoris Asiæ sunt. Gratus ubique Ecclesiis, quas condiderat in illis oris frequentissimas. At nullibi gratior quam apud Galatas, qui eo ipsum affectu exceperunt, ut vix majore potuerint cœlestem aliquem Angelum, vel ipsum, si ad eos accessisset, Jesum Christum: tantoque prosecuti sunt amore ut effossos, si pote, oculos suos lubentes daturi fuerint. Gal. IV: 14, 15.

prohibitus a Spiritu in Asiam proficisci, in Galatiam venit.

II. Inde in *Mysiam* venientes, quum in *Bythiniam* iter meditarentur, iterum a Spiritu impediti sunt. Mysia ergo præterita, *Troadem* venerunt: quæ civitas est Asiæ maritima, dicta eadem *Antigonia*. Hic in nocturna visione Paulo apparet Vir quidam Macedonico habitu, an *Angelus Macedonum curator*, quod *Grotius* asseverat, pro certo non dixerim; at quicunque fuerit, visus est orare Paulum, ut suis opitulatum in *Macedoniam* transiret. Ex quo insomnio, quod rite collatis argumentis Divinum esse agnoverunt, simul intellexere a Deo se ad Evangelium in Macedonia sine mora prædicandum vocari. Hic videtur *Lucas* in Pauli consortium assumtus, abhinc futurus individuus comes. Quod ex eo a Doctissimis viris colligitur, quod quum illuc usque Lucas de Paulo & ejus comitibus locutus esset in tertia persona, tum incipiat de illis loqui in prima Act. XVI: 10, 11. & sic deinceps, semet ipsum iis accensens. Provecti igitur Troade rectum cursum tenuerunt *Samothracem*. Ea est insula in sinu *Pacusiaco*, e regione *Thraciæ*,

II. Troade Lucam invenit, & visione nocturna in Macedoniam vocatur.

nomine composito ex *Samiis* & *Thracibus*. Hinc sequente die appulerunt *Neapolin*, urbem *Edonidis* in partibus *Macedoniæ*, in sinu *Strymonico*, e regione *Thasi* insulæ. Rationem nominis sic exponit *Ludovicus de Dieu*: est civitas *Campaniæ* a *Chalcidensibus* olim condita, quæ quum, jubente id Apollinis oraculo, a *Cumanis*, ob ingruentem immanissimam pestem, esset eversa, ab iisdem splendidius est restituta, & ad differentiam veteris urbis *Neapolis* est appellata.

III. Venit Philippos, & die Sabbati egreditur ad προσευχήν.

III. Hinc *Philippos* pervenerunt, urbem in mediterraneis, inter quam & Neapolin mons est, qui non procul ab utroque oppido *Pangæo* monti conjungitur. *Diodorus Siculus Lib.* XVI. & apud *Stephanum Artemidorus* testantur κρηνίδας primum huic urbi fuisse nomen, quam de suo nomine *Philippus*, Alexandri Magni pater, *Philippos* vocaverit. Erat autem venienti a sinu Strymonico prima urbs quæ Colonia sit, & quidem juris Italici. Hic aliquamdiu commoratus est Apostolus, Colonias maxime amans, quod ibi & plus esset hominum & gentes variæ. Quoniam vero & ipse Divini cultus observantissimus erat, & omnem animas Christo lucrifaciendi occasionem sedulo captabat, quæ nusquam videbatur oportunior quam in loco & tempore sacrorum conventuum; die Sabbati egressus est ex urbe ad fluvium, οὗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι. Act. XVI: 13.

IV. Quid sit proseucha.

IV. In quem locum multa multi. Summa plerumque huc redit. Tria Judæis locorum genera fuisse publico cultui destinata: *Templum*, commune totius populi sanctuarium, ubi & lex prælegebatur, & preces cum sacris hymnis offerebantur Deo, & mactabantur ac cremabantur sacrificia; quod alibi nefas erat: dein, *Synagogas*, amplas sæpe & magnificas, legis lectioni atque expositioni destinatas: denique *proseuchas*, minora ædificia, aliquando etiam sub dio & libero aëre, precibus consecrata. Qualia Judæi creduntur habuisse procul a turba, maxime ad amnes & mare: iis etiam in locis ubi, ob exiguum suorum numerum, vel quod magistratus non permitterent, synagogas non haberent. Ita usu venisse Philippis, ubi in urbe Synagoga nulla; extra urbem, ad amnem, Proseucha. Atque hoc Lucam suis illis verbis velle: quæ vertunt, *ubi ex recepto more erat orationis locus.* Hæc Viri Doctissimi, *Drusius*, *Grotius*, *Heinsius*, alii. Sed voluissem profecto ut eam *Proseucharum* a *Synagogis* distinctionem paullo validioribus argumentis adstruxissent. Certum enim est, Synagogam non minus precibus quam lectioni Legis inserviisse, & æque dici בית תפלה *domum Orationis*, quam בית כנסת *domum congregationis*. Certum est, etiam amplissimam *Synagogam* Tiberiadis a *Josepho in sua vita p. mihi* 1020. *Proseucham* vocari. συνάγονται πάντες εἰς τὴν προσευχὴν, μέγιστον οἴκημα, πολὺν ὄχλον δέξασθαι δυνάμενον. Certum est, προσευχὰς sæpe etiam in mediis urbibus fuisse. *Philo* diserte, *Legat. ad Caj.* pag. mihi 1011. τῶν προσευχῶν. Πολλαὶ δέ εἰσι καθ' ἕκαστον τμῆμα τῆς πόλεως. nimirum Alexandriæ in quibus etiam

etiam aliquam laudat *μεγίστην καὶ ἐπισημοτάτην*, in qua Caji ſtatua collocata ſit, ſublimis quadrigis æneis. Certum denique eſt, in Proſeuchis etiam factam eſſe expoſitionem verborum Dei; quod hoc ipſo Pauli exemplo comprobatur. Sed non ita certum videtur, quod *προσευχὴ* in hac hiſtoria potius *ædificium* aliquod orationi ſacratum, quam ipſum *orandi actum* ſignificet: quum commodiſſime ſic vertantur verba, *ubi ex recepto more erat, ſive fiebat, oratio:* quo ſenſu etiam exponi poteſt com. 16. *πορευομένων ἡμῶν εἰς προσευχὴν, quum iremus oratum.* Neque diffiteor id mihi ſimpliciſſimum videri: ut ſine fraude carere nobis criticis illis diſtinctionibus heic loci liceat.

V. In illum igitur locum ubi peragi a Judæis Philippenſibus preces ſolebant, egreſſus cum ſociis Paulus mulieres potiſſimum, quæ convenerant, allocutus eſt. In quibus erat quædam nomine *Lydia*, an proprio, an appellativo a natali ſolo, haut facile dixero. Certe Thyatira, unde erat, Lydiæ a Stephano adſcribuntur. Feminæque e Lydia veſtium textu nobiles erant: qualis & hæc, *Purpuraria. Cujus Dominus aperuit cor, ut attenderet iis quæ a Paulo dicebantur.* Nulla quæſiti ſermonis pompa ſimplicitatis hujus efficaciam aſſequatur. Enimvero veritus fuiſſe videtur Illuſtris *Grotius*, ne magnifica nimis lectores de vorticordia Divinæ gratiæ virtute animo præciperent, dum ſacri ſermonis vim importuna commentatione enervat. *Activæ voces interdum ſic ſumuntur*, inquit, *ut tacite includant effectum, quanquam is effectus aliquatenus eſt in humana poteſtate. Aperuit Deus, illa ſinente aperiri, imo etiam aperiente ſuo modo, ut apparet Apoc.* III: 20. Quanto melius Chryſoſtomus in h. l.? *Τὸ μὲν οὖν ἀνοῖξαι, τοῦ Θεοῦ. Τὸ δὲ προσέχειν, αὐτῆς. Ὥστε καὶ θεῖον, καὶ ἀνθρώπινον ἦν.* Certe, inquam ego, aperuit Deus, fecitque ut & illa vellet aperire, ſed aperuit ea clave, *qua quando aperit nemo claudit*, ut apparet Apoc. III: 7. deditque ipſi ut in Chriſtum crederet. Et credidit, & profeſſa eſt fidem, & baptizata eſt, cum familia univerſa, ejuſdem gratiæ & fidei conſorte, & fidem ſuam demonſtravit charitate, & venerata eſt miniſtros Chriſti quorum opera tanta ipſi ſalus obtigerat, & domo ſua excepit eos per quos cœleſti familiæ adſcripta erat; quumque permovere aliter non poſſet, *adegit* eos. Adegit, ſed caſtæ charitatis vehementia, ſanctiſque infucati ſermois blanditiis, ut diſcipuli Luc. XXIV: 29. *adegerunt Chriſtum.* Act. XVI: 14, 15.

V. Converſio Lydiæ.

VI. Sed & aliud Philippis accidit, non minus notatu dignum. Erat ibi ancillula quædam *πνεῦμα ἔχουσα πύθωνος*, quod Heſychius interpretatur *δαιμόνιον μαντικόν*. Non male, ſi rem ſpectemus. Sed unde nominis origo ſit, diſſentiunt Interpretes. Plerique Pythonem Apollinem eſſe putant, cui hoc nomen ex nece Draconis inditum Græci fabulantur. *Macrob. Lib.* I. *cap.* XX. Nam פיתון Chaldaice Draconem ſignificat. Quia vero Apollo vaticiniorum Deus erat, hinc fatidicos, & præcipue *ἐγγαστριμύθους* qui ex

VI. Pythoniſſa, increpante Paulo, fatidico Spiritu deſtituitur.

ventre loqui videbantur, *πύθωνας* appellarunt. Mihi nihil probabilius eſt obſervatione *Heinſii Ariſtarchi ſui p.* 18. פתן *Peten* Hebræis, פיתון *Pithon* Chaldæis & Syris, ſpeciem *Serpentis* eſſe: porro, Orientales ex ſerpentibus, vaferrimo animali, divinationes olim plures inſtituiſſe. Unde & נחש iiſdem literis & ſerpentem & divinare, in ſacris notat. Apollinem quoque, qui revera eſt *Abaddon*, ſub ea forma qua miſeriam humano generi primum invexit, cultum eſſe in Græcia, eique conſecratos fuiſſe ſerpentes; in hoc in primis templo, in quo oraculis ſuis credulitati hominum illuſit. Quaſi ab hoc veteris ſerpentis hoſpite, ac fraudis inſtrumento, boni pariter ac mali ſcientia petenda eſſet. Quod & Principes ac Reges crediderunt. Tali igitur dæmone fœmina iſta plena eſſe quum crederetur; vana tam magnatum quam plebis ſuperſtitione magnum Dominis ſuis vaticinando quæſtum præbebat. Ea Paulum cum comitibus ad preces euntem ſecuta, ingenti vociferatione ad populum clamabat, hos quos cernerent quoſque audirent, *ſervos Dei Altiſſimi eſſe, qui viam ſalutis nunciatum venirent.* Tanta ſacræ veritatis vis eſt, ut confeſſionem ſui, non improborum ſolum hominum, ſed & malorum dæmonum, invitis pectoribus extorqueat. Sed & tanta illius puritas, ut nequiſſimorum ſpirituum teſtimonium non requirat, immo nec admittat. Eam ob rem Paulus importunas illas acclamationes moleſte ferens, ad exemplum Domini ſui Marc. v: 8. partim ut nihil ſibi cum dæmonibus commercii eſſe appareret, partim ut demonſtraret Chriſtum victorem eſſe ſerpentis, & Spiritum Chriſtianiſmi infinities potentiorem eſſe ſpiritu idololatriæ, in nomine Jeſu Chriſti ſpiritum Pythonis exire ex ea juſſit. Qui extemplo parens ancillam vaticinandi facultate, & Dominos lucripetas quæſtu ſuo orbos fecit.

VII. Cujus domini ob eam rem multum moleſtiæ Paulo creant.

VII. Hi in rabiem acti, Paulum & Silam, tanti auctores diſpendii, obtorto collo ad magiſtratus rapiunt, & Judaiſmi præjudicio gravatos, turbatæ pacis publicæ, temeratæ avitæ religionis, & introductorum novorum rituum, quos ipſis, qui Romani eſſent, excipere atque uſurpare fas non erat, reos peragunt, facilique momento mobilem turbam impellunt. Habebat enim accuſatio iſta ſpeciem aliquam popularitatis. Ex antiquiſſima Romuli lege ſuam illam hauſit *Cicero*, *II. de Leg.* SEPARATIM NEMO HABESSIT DEOS, NEVE NOVOS: SED NE ADVENAS, NISI PUBLICE ADSCITOS, PRIVATIM COLUNTO. Exſtatque ea de re *Mecænatis* ad *Auguſtum* ſermo, *Dioni Caſſio* memoratus *Lib. II.* *Τὸ μὲν θεῖον πάντῃ πάντως αὐτός τε σέβου κατὰ πάτρια, καὶ τοὺς ἄλλους τιμᾶν ἀνάγκαζε, τοὺς δὲ ξενίζοντάς τι περὶ αὐτὸ καὶ μίσει καὶ κόλαζε. Divinum illud numen omni modo, omni tempore ipſe cole juxta leges patrias, & ut alii colant effice; qui vero peregrinos ritus introducunt, eos & averſator & punito.* Græcorum etiam tantus hic fuit calor, *ὥστε* (*Joſephi* de *Athenienſibus* verba ſunt *Lib. II. cont. Appionem*) *καὶ τοὺς ῥῆμα μόνον παρὰ τοὺς ἐκείνων νόμους φθεγξαμένους περὶ θεῶν ἀπαραιτήτως κολάζειν,*

λάζειν, *ut qui verbulum modo effarentur præter leges de Diis receptas sine ulla venia punirent.*

VIII. Philippensium igitur Duumviri, qui *Prætores* Lucæ dicuntur, eodem occupati præjudicio, sine ulla caussæ cognitione, spoliari Paulum & Silam, virgas expediri, & insigniter cæsos in carcerem detrudi jubent, additis mandatis commentariensi ut quam tutissime asservaret. Qui tali mandato accepto in malam eos mansionem conjecit, pedesque adstrinxit numella. Sed, ô rem prorsus admirandam! sancti Dei homines, tam inique tamque crudeliter habiti, media nocte, in ipsis sedis intimæ tenebris, non solum nocturnas quas consuêrant preces. Christiano ritu Deo offerunt, sed & piis hymnis Sospitatoris sui laudes, & insignem erga se favorem celebrant, in magna lætitiæ materie ponentes, quod digni habiti essent, qui ipsius caussa contumeliis afficerentur. Tanta fuit in istis primævæ Ecclesiæ proceribus pietatis constantia, & tam in adversis quam prosperis eadem semper animi æquabilitas. Tanta Divinæ gratiæ intus corda demulcentis incomparabilis dulcedo, ut neque recentium dolor plagarum, nec carceris pædor, nec catenarum vincula, nec distentorum cippo crurum gravis molestia, gestientem in Dei laudes animum retundere potuerint. Personat cœlestibus odis squalentissimus carcer, non nisi stridentium Deoque & hominibus maledicentium diras suetus audire blasphemias. Tantum vere Christianus cæteris omnibus distat mortalibus, ipsasque adeo inferorum portas in cœli convertit atria.

VIII. Qui cum Sila virgis insigniter cæsus, in mala carceris mansione, laudes Dei nocturnis hymnis celebrat.

IX. Mirumne est summa cum admiratione ab aliis hæc audita fuisse captivis: eosque in stuporem esse datos, quando ingenti terræ motu repente exorto, fundamenta carceris quati, fores omnes recludi, & cunctorum vincula laxari persentiscerent? Commentariensis subito expergefactus, & tot prodigiorum concursu ultra modum territus, stricto gladio jam in eo erat ut se ipsum interimeret, veritus ne effugissent vincti, ipseque ex legum rigore ad eas damnaretur pœnas quas evaserant captivi. Sed intercessit Paulus, magna voce clamans, ne quid sibi mali faceret; omnes enim captivos præsto esse, apertis licet foribus, & solutis vinculis. Qua asseveratione non mediocriter animatus, petito lumine irrupit, pedibusque Pauli & Silæ magno cum tremore advolutus, foras eos, in vestibulum carceris, salubremque sub dio locum, prodire jussit: & quos pro sceleratorum vilissimis hactenus habuerat, eos nunc *Dominos* salutat, & non hujus solum mortalis vitæ continuandæ, quam sua tam comi & tempestiva compellatione servaverant, sed & melioris vitæ consequendæ rationem doceri exposcit, ad quævis obsequia promtissimus. Neque moratur anhelantis vota Apostolus: sed roganti quid faciendum sibi ad salutis consecutionem esset, e vestigio respondet, *Crede in Dominum Jesum Christum, & servaberis tu, ac domus tua.* Quæ mox fusiori sermone omnibus exponit domesticis. Ea

IX. Unde cæterorum captivorum admiratio, terræ tremor, catenarum solutio &c. denique notabilis conversio commentariensis.

orationis gravitate atque efficacia; ut, accedente flexanima ac vorticordia Divini Spiritus virtute, commentariensis ille in alium repente mutatus hominem, illustrium captivorum suorum plagas comiter laverit, in domum deductis mensam apposuerit, sacris lymphis tinctus Christianismi mysteriis initiatus sit, & exsultaverit denique quod cum universa domo sua credidisset Deo. O quam mirabilibus tramitum anfractibus, juxta orci quandoque oras, attamen regia semper fidei ac sanctimoniæ via, electos suos ad æternæ salutis communionem Divina Providentia ducit! Et quam stupendum in modum, simul ac beatæ visitationis istius hora illuxit, opacissimæ noctis caligo in lætissimum diem vertitur; ut qui modo peccatorum catenis constrictus æternæ pœnæ servus erat, nunc libertus Christi, Dei filius, cœlestis regni hæres evadat!

X. Pauli ex Philippis excessus.

X. Vix ea in carcere & ædibus commentariensis gesta erant, quin prætores exorta die viatores suos miserint, cum mandatis ut captivi illi dimitterentur; facultate iis facta libere quocunque vellent proficiscendi. Quod quamvis non ingratum acciderit Paulo, alibi Evangelium prædicare cupienti, e re tamen sua esse putavit ut duumviri Philippenses temeritatis atque injustitiæ suæ convicti inique læsis publica confessione satisfacerent. Norat sane ad innocentiæ & bonæ caussæ præsidium legibus uti. Norat iniquissimum esse vel nocentem indicta caussa condemnare. Probe intelligebat jus civitatis, & per Porcias ac Sempronias leges interdictum esse ne quis civis Romanus virgis cæderetur. Mirumque est quod non antea earum se præsidio adversus validos illos virgatores tuitus sit, nisi fortassis in impetuoso tumultu nullus fuerit compositæ orationi locus. Nunc autem sedatiores nactus animos, duumviris in hæc verba renunciari jubet: *Cæsos nos publice, indicta caussa, quum simus Romani, conjecerunt in carcerem: & nunc clam nos ejiciunt! non profecto: sed veniant ipsi, & nos educant.* Duumviri, audito Romanos esse in quos adeo inconsulte peccaverant, majestatis crimen metuebant. Ita enim constituerant leges, ut in cive Romano læso ipsa populi Romani majestae læsa crederetur. Ideoque accedentes *παρεκάλεσαν αὐτὺς*, *precati* vel *consolati* sunt eos, fatentes indignos esse ea quam accepissent injuria. Eductos denique e carcere rogaverunt, ut exirent ex urbe, ne quid forte triste ab irata plebe paterentur. Illi vero postquam Lydiam, fidam nuper hospitam, domi suæ salutassent, cæterisque fratribus valedixissent, Philippis excesserunt. Act. XVI. Non tam ut morem gererent duumviris, quam quia alio eos vocabat Evaugelii præconium. Sat enim nunc Philippis datum erat. Miracula ibi facta illustriora evadebant, & interiore voce clamabant, post eorum qui ista patraverant discessum. Fides commentariensis continuum erat præconium. Quid huic rei par? Vincitur Paulus, & solvit vinctos, solvit duplex vinculum. Eumque qui vinxerat solvit per sua vincula. Revera hæc gratiæ opera sunt. Quod elegantius

gantius sua lingua sic dixit *Chrysostomus*: *Ἐξῆλθον δὲ οὐκ ἐκείνοις πειθόμενοι, ἀλλ' ἐπὶ τὸ κήρυγμα σπεύδοντες, τῆς πόλεως διὰ τοῦ θαύματος ἱκανῶς ὠφεληθείσης. ἔδει γὰρ μὴ παραμένειν λοιπόν. Τὸ γὰρ θαῦμα μεῖζον φαίνεται, τῶν ἐργασαμένων ἀποδημησάντων αὐτὸ μᾶλλον βοῶν. ἡ γὰρ τοῦ δεσμοφύλακος πίστις ἀντὶ φωνῆς ἦν. Τί τούτου ἴσον; δεσμεῖται, καὶ λύει δεδεμένους, λύει διπλοῦν δεσμόν. Τὸν δήσαντα ἔλυσε διὰ τοῦ δεθῆναι. οὕτως ταῦτα χάριτος ἔργα.*

XI. Iter per Apolloniam, quæ est in tractu Illyrico. Unde illustratur Rom. XV: 19.

XI. Dein iter fecerunt per *Amphipolin* urbem Philippis vicinam, & *Apolloniam*, quæ est Corinthiorum & Corcyræorum colonia, CIVITAS ILLYRIÆ. Sic enim *Stephanus*: *Ἀπολλωνία πόλις Ἰλλυρίας, ἣν ᾤκουν Ἰλλυριοὶ κατ' Ἐπίδαμνον. Strabo Lib. VII.* vocat *πόλιν εὐνομωτάτην*, *civitatem optimis legibus constitutam. Cicero* in Pisonem, *magnam urbem & gravem.* Multum certe nobilitata est institutione Octavii Cæsaris, quam ibi fieri Julius Cæser voluit; præferens eam Athenis, Massiliæ, atque ipsi Romæ. Vide sis *Palmerium Græciæ Antiquæ Lib: I. Cap:* XXVII. Verum id nostræ nunc potissimum considerationis est, quod Apollonia urbs *Illyrica* sit. Pertinet hoc ad illustrationem illius quod Paulus Romanis scripsit Cap. XV: 19. se *ab Hierosolyma & circumjacentibus regionibus, usque ad* ILLYRICUM *implevisse Evangelii prædicandi munus.* Multorum iste locus ingenia fatigavit, non invenientium quo tempore Paulus Evangelium in Illyrico, quod supponunt, prædicaverit. Unde incertarum conjecturarum abunde est. *L. Cappellus* conjectat excursionem Pauli ad Illyricum usque ad referendam esse ad trimestre illud quod Paulus in Græcia exegisse memoratur, in Macedoniam reversurus Act. XX: 3. *vix enim*, inquit, *aliud tempus assignari commode potest.* Addit tamen: *nisi quis forte malit excursionem illam referre ad id tempus quo primum venit in Macedoniam, ita ut Thessalonica in Illyricum usque excurrisse dicatur.* Sed quid laboramus in cassum? Primo enim Illyricum non comprehendit Paulus suis itineribus, quasi id quoque Evangelium prædicando peragraverit; sed Illyricum statuit itinerum suorum terminum. Venit autem ad limites *Illyrici*, quando venit *Apolloniam.* Optime Grotius ad Rom. XV: 19. *Macedonia quam peragravit Paulus Dalmatiam attingit, quæ pars Illyrici, & ipsum mare Illyricum. In eo tractu est Apollonia nominata Act.* XVII: I. Vide *Ptolomæum.*

XII. Res apud Thessalonicam gestæ.

XII. Neque eo venerunt Thessalonica, ut Cappellus quasi conjectat: sed inde *Thessalonicam*, ut Lucas narrat Act. XVII: I. Quæ *Thessalonica* Macedoniæ primaria urbs est, ab Amyntæ filio Philippo condita, post reportatam *victoriam* a *Thessalis*, unde & urbi nomen. Ubi Paulus non territus contumeliis quas Philippis sustinuerat, Evangelium Dei multo cum certamine annunciavit. I Thess: II: 2. Ac sueto sibi more, Judæorum primum Synagogam adiit, per Sabbata tria de Christo, illiusque perpessionibus, morte, & resurrectione ex Scripturis iiscum dissertans; demonstrans denique

que Jeſum quem annunciabat Chriſtum illum eſſe. Quorum Judæorum nonnulli credentes, aſſociati Paulo & Silæ ſunt; iiſque acceſſit multitudo ingens *religioſorum Græcorum*, quos Hebræorum magiſtri dicere ſolent הסידי אומות עולם *pios ex gentibus mundi*, & ex *mulieribus primariis non paucæ*. Act. XVII: 1, 2, 3, 4. Hos omnes non modo de fidei Chriſtianæ dogmatibus, ſed & de afflictionibus ſibi eventuris 1 Theſſ. III: 4. & de Apoſtaſia illa magna, ac revelatione Antichriſti, condocefecit. 2 Theſſ. II: 5. Quumque in magna rerum penuria verſaretur, adeo ut dies noctesque operando vix ſibi compararet quæ ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria erant, potius tamen quam Theſſalonicenſibus oneri eſſet, ſemel atque iterum a Philippenſium liberalitate vitæ ſubſidia accipere maluit. 1 Theſſ. II: 9. Philip. IV: 16. Quamvis autem tam ſancte juſte atque inculpate in omnium ſe conſpectu gereret, improbi tamen Judæi invidia commoti, adſcitis ſibi circumforaneis quibuſdam ſcurris ac nequam hominibus, tumultu in civitate excitato, Jaſonis domum, ubi Paulus & Silas divertebant, adorti ſunt. Iis vero quos quærebant non inventis Jaſonem cum fratribus quibuſdam ad Magiſtratus pertraxerunt; vociferantes, homines iſtos, qui orbis terrarum ſtatum perverterunt tandem & Theſſalonicam veniſſe, atque ibi res novas ac periculoſas moliri, contra edicta Cæſaris alium ſubornantes regem, nempe Jeſum. Poſtquam autem a Jaſone & reliquis ſatisfactum Magiſtratui eſſet, impune dimiſſi ſunt.

XIII. Uti & apud Beroeam.

XIII. Paulus & Silas *Beroeam* profecti, quæ urbs eſt Macedoniæ prope Pellam, in Synagoga Judæorum prædicarunt Evangelium, illosque invenerunt haut paullo iis qui Theſſalonicæ erant εὐγενεστέρους *generoſiores*, vel ut veterum quidam interpretantur, ἐπιεικεστέρους *æquiores*; quippe qui ſermonem cum omni alacritate receperunt, eaque quæ ex Paulo audiebant cum priſcis Prophetarum oraculis contendentes, judicioſa utrorumque collatione valide in fide Chriſtianiſmi confirmati fuere. Nec hi ſolum Judæi, ſed & *Græcarum mulierum honoratarum*, ſive Macedonicarum matronarum, & virorum non pauci. Cæterum improbi illi Theſſalonicenſes Judæi, qui Apoſtolis turbatæ ubivis reipublicæ iniquiſſima calumnia grandem dicam impegerant, ipſi ſe eodem rurſus crimine turpiter obſtringunt; hanc unam ob cauſſam *Beroeam* properantes, ut ibi quoque turbam contra Evangelii præcones concitarent. Tantumque criminationibus ſuis effecerunt, ut fratres cogerentur Paulum dimittere velut ad mare iturum, Sila ac Timotheo Beroeæ relictis.

SECTIO VI.

SECTIO VI.

De iis quæ a Paulo gesta sunt Athenis.

BREVIARIUM.

I. *Paulus Athenas venit, cum Philosophis Epicureis ac Stoicis disputaturus.* II. *Comico convitio* σπερμολόγος *dictus; de qua voce multa.* III. *Concionatur apud Areopagum.* IV. *Ubi occasione inscriptionis in ara inventæ ignotum iis Deum prædicat.* V. *Conversio Dionysii Areopagitæ, multis fabulis nobilitati.* VI. *Areopagitarum officium, & dignitas.* VII. *Excessus Pauli ex Athenis.*

Qui vero Paulum susceperant tuto loco constituendum, non mari, uti fortasse sparsa fuerat fama, sed terrestri itinere ex Macedonia properanter deduxerunt *Athenas*, celeberrimam illam elegantiarum omnium matrem sedemque gratiarum. Ubi dum Silam ac Thimotheum propere ex Beroea ad se venire jussos avide exspectat, lustrata urbe, idolis refertam esse comperit, quippe quæ, *Pausania* teste, *sola plus simulacrorum habuit quam reliqua Græcia tota;* unde commotus ipsi fuit animus, & irritatus spiritus, ad cœlestes veritates summa cum dicendi libertate ubivis, ubicunque ferebat occasio, prædicandas. Videmus hic legitimum excandescentis spiritus officium. Non irrumpit Paulus in templa Atheniensium, non dejicit aut comburit idola, non more insani hominis per urbem discursitat, cives inclamans: Vos omnes estis Satanæ mancipia: sed quantumvis excandesceret, continet tamen se intra vocationis suæ terminos; & vehementer quidem, sed & prudenter ac placide, oportuno tempore & loco disputat. Differebat igitur in *Synagoga cum Judæis*, & religiosis, & in *foro* quotidie cum quibusvis obviis. In quibus & *Philosophi* erant, *Epicurei* ac *Stoici*. Quorum dogmata, ut sapienter observavit *Illustris Grotius*, a Christiana religione alienissima erant. Nam Epicurei neque mundum conditum a Deo esse credebant, neque Deo curæ esse res humanas, neque ulla præmia aut pœnas post mortem, neque bonum aliud quam quod sensibus perciperetur. Stoici autem vanæ præsumtionis vento turgidi sapientem suum Jovi quidquam cedere negabant, *nihil etiam Deo debere ob id quod saperet; Jovem plus non posse quam bonum virum; Jovem diutius bonum esse, at sapientem nihilo minoris se æstimare quod virtutes ejus spatio breviore claudantur;* quæ apud *Senecam* exstant *Epist.* LXXIII. Aliaque his similia *Epist.* LIII. *Omnes mortales multo antecedes, non multo te dii antecedent. Quid inter te & illos interfuturum sit, quæris? diutius erunt. At mehercule magni artificis est, clausisse totum in exiguo. Tantum sapienti sua, quantum Deo omnis ætas patet. Est aliquid quo sapiens antecedat Deum. Ille naturæ beneficio non timet, suo sapiens. ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei.* Ea vero quum Christianæ religioni quæ in Deum omnia rejicere, in

I. Paulus Athenas venit, cum Philosophis Epicureis ac Stoicis disputaturus.

æternum prospicere, & spiritualia imprimis sectari docet, quæque humilitatis magistra est, e diametro opposita sint; fieri aliter non potuit quin Paulus utriusque sectæ philosophos infensissimos sibi hostes experiretur. Quomodo enim ab iis impetres, ut, quod primum Evangelii scitum est, voluptatibus omnibus, etiam quæ ipsis oculis cariores sunt, renuncient, qui summum bonum in voluptate collocabant? *Et quo pacto obtineri potuit ab iis ut summa Dominum humilitate agnoscerent, qui Deum cum sublimitate Majestatis, qualis in hunc solum cadit, sapienti suo, furiose, dicam, an ridicule, postponunt?* uti eleganter ad hunc locum *Heinsius*. Mirum itaque non est, si & ipsi, & cum iis alii, Paulum pro nugatore habuerint.

II. Comico convitio σπερμολόγος dictus; de qua voce multa.

II. Quod sua ligua, atque eleganter, ut putabant, dixere, *τί ἂν θέλοι ὁ σπερμολόγος οὗτος λέγειν;* Qua voce quid proprie significatum voluerint, discrepant interpretes. In eo conveniunt plerique, quod *σπερμολόγος* Græcis volucris sit vilissima, semina quæ in triviis dispersa jacent colligere solita. Unde facta translatione ad homines, hi qui vilissimi atque abjectissimi sunt *σπερμολόγοι* nuncupati fuere. Sic fere *Oecumenius*: *Ἐπειδὴ ὄρνεόν ἐστιν ὁ σπερμολόγος βραχὺ καὶ εὐτελὲς, οὔτε πρὸς βρῶσιν, οὔτε πρὸς τέρψιν ἐπιτήδειον, τὰ ἐν τοῖς τριόδοις ἐῤῥιμμένα τῶν σπερμάτων εἰωθὸς συλλέγειν, τοὺς εὐτελεῖς καὶ οὐκ ἀξίους λόγου σπερμολόγους ἐκάλουν. Quum* Spermologus *parva sit vilisque avicula, nec cibi nec delectationis caussa expetenda, semina in triviis projecta colligere solita, viles & in nullo habendos numero homunciones* spermologos *appellitarunt*. Eo sensu vocem istam Atheniensibus in frequenti usu fuisse ex *Eustathio* docet *Casaubonus* ad *Theophrasti Characteres, Cap: περὶ ἀπονοίας. Σπερμολόγους vocabant Athenienses abjectissimos quosdam homines, imo hominum mendicabula, qui forum & digma oberrantes, si quid e mercium oneribus, ut fit, excideret, id legebant, & vitam hoc quæstu sustentabant. Ergo Atheniensibus primo σπερμολόγοι fuerunt, qui, avium σπερμολόγων ritu, res fortuito in foro sparsas colligerent. Nam ut aves, victus caussa, semina, sic illi, quæ e plaustris aut bajulorum oneribus in terram forte deciderant, studiose colligebant. Deinde ab his ad alios quoscunque vilissimæ notæ homines translata appellatio est.* Quod si sequamur, verba quæ nunc excutimus sic vertenda forent: *Quid vult vilissimus iste homuncio dicere?* Verum alii existimant, *vilitati* accedere connotationem *garrulitatis*. Ita Suidas: Σπερμολόγος, εὐρυλόγος, ἀκριτόμυθος. *Spermologus est amphiloquus, verba citra dilectum proferens:* quem Latini *Garrulum* vel *Blateratorem* dicerent. Pro quo & *Hesychius* facit, apud quem *σπερμολόγος* est *φλυαρὸς nugator;* uti & apud *Plutarchum σπερμολόγα ῥήματα nugatoria verba*. Eodem faciunt, quæ ex *Eustathio* notavit *Grotius*. Translationis commoditatem atque elegantiam acute explicuisse videtur *Ludovicus de Dieu*. *Quid impedit*, inquit, *cur non & alia metaphora vani homines eo nomine describantur, qui fora perreptantes dicta aliorum captant, & quæ ex ore cujusque, velut grana e sacco excidunt, colligunt, ut animum*

num suum illis pascant, & habeant quod fabulentur & garriant? Nec a re ipsa abludit. Quum enim Paulum per forum ambulantem viderent, & obvios quosque compellantem; nec aliter eum sermones, qui serebantur, colligere, quam aves quasdam sata semina, autumabant. Sed ne hoc quidem ad vim hujus vocabuli exhauriendam sufficere credidit *Brougtonus*, cui σπερμολόγος est *An Alterrobber* Anglico idiomate, quasi dicas, *Altaris expilator, sacrilegus*. Cui adstipulatur *Cloppenburgius Spicil. Schol. Sacrif. ad fin.* allegato loco ex *Demosthenis* oratione περὶ στεφάνου. ad quem sic commentatur Ulpianus: ἢ σπερμολόγος ἀσεβὴς, ἀπὸ τῶν βωμῶν συλλέγων τὰ ἐπιτιθέμενα ἀπὸ τῶν ἄλλων. *Vel Spermologus est impius, qui ex altaribus colligit quæ ab aliis imposita sunt.* Et videtur sane Demosthenes quum Æschinem ea oratione σπερμολόγον vocat, atrocius aliquid quam nugatorem vel garrulum designare: quippe quem antea perstrinxerat ut παμπόνηρον καὶ θεοῖς ἐχθρὸν, *omnino malum ac diis inimicum*; & quem in sequentibus accusat auctorem fuisse sacrilegii, quo Amphissenses sacras segetes Apollinis depasti erant. Cui postquam consimilem ex *Aristophane* locum adjunxisset Doctissimus Cloppenburgius, cuncta ad rem præsentem ita refert. *Comico hoc sarcasmo, ex Demosthene & Aristophane mutuato, existimem Athenienses Paulum flagellasse, ut avem seminilegam, id est, hominem sacrilegum; hoc maxime nomine, quod per ejus prædicationem periculum crearetur quæstui illorum qui Deorum altaribus ministerium vel ἐργασίαν impendebant.* Hæc Cloppenburgius. Quamvis in vocis hujus expositione fuerim aliquanto prolixior, multaque eruditissimis hominibus sublegerim, non tamen idcirco meritum me esse arbitror, ut & ipse eodem proscindar convitio: quum unicuique suum, uti ingenuos decet, acceptum retulerim; neque verba in cassum fusa censeri debeant, quæ ad sacræ historiæ elucidationem faciunt. Cæterum quænam ex tribus hisce significationibus præferenda sit, haut facile dixerim. Suffecerit observasse eo sarcasmo exceptum esse Apostolum, quo cuncta simul, & *vilitas*, & *garrulitas*, & *sacrilegium*, exprobrari ipsi potuerunt.

III. Præterea quia Jesum & resurrectionem annunciabat, *peregrinorum deorum annunciator* esse quibusdam credebatur: quod & Socrati objectum, tanquam ἕτερα καὶ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος. Quia vero is Atheniensium genius erat ut novis rebus & dicendis & audiendis impense delectarentur, neque ab eorum moribus alienum, ut, quod privato arbitrio non licebat, publico scito tamen extranea numina admitterent; Paulum manu prehensum in *Areopagum* duxerunt, forum judiciale, in summa urbis parte situm, & a Marte denominatum. Doctissimus *Clericus* ex Hebræo vocis hujus etymologiam arcessit. Nimirum constat, linguam Pelasgorum Barbaram & posterioribus Græcis ignoratam fuisse: unde haut difficulter colligitur, fuisse eamdem quam ex Oriente attulerant; id est Hebraicam, aut Hebraicæ similem. Ea autem lingua הר פגע *Har-pega* significat *montem im-*

III. Concionatur apud Areopagum.

petus, vel *incursus*, vel etiam *cædis*; ita conjicere est, eum collem a primis Atticæ incolis sic dictum propter aliquam cædem, vel pugnam in eo loco commissam. Addit, ipsum nomen Ἄρης Hebraicum esse: nam חרי *Hari*, vel חררי *Harari*, hominem *montanum* notat, qualis fuit Mars, cujus sedes in Thraciæ montibus collocatur: qui belli Deus factus, quod, ut solent homines montani, bellicosus esset, & magnam sibi bellis famam peperisset. Per me quidem Criticis his deliciis animum pascant, quibus lubet. Nos e diverticulo in viam, recta Areopagum versus; quo Athenienses, uti dicere cœpi, Paulum deduxerunt: quippe ubi multi solebant esse homines eruditi, Senatores imprimis atque Oratores, ibi novum hunc advenam de peregrina religione sua disserentem audituri. Neque mora in Paulo fuit, id unice desiderante, ut commoda sibi Evangelium prædicandi nasceretur occasio: qua vix alia contingere poterat commodior.

IV. Ubi occasione inscriptionis in ara inventæ ignotum iis Deum prædicat.

IV. Curiosis oculis urbem lustraverat, contemplansque eorum Sacra invenerat Aram, cui inscriptum erat ΑΓΝΩΣΤΩ ΘΕΩ. Facile *Grotio* assentior, non dubitanti quin fuerint inscriptiones quædam in singulari, his ipsis verbis conceptæ. Alioqui neque candide, neque prudenter, quod absit, egisset Paulus, si quod pluraliter scriptum invenerat *ἀγνώςοις θεοῖς*, non sine aliqua torsione ad singularem numerum deflexum, universæ orationi suæ pro fundamento substravisset. Ad hæc, notissima sunt Luciani illa, aut quicunque dialogi istius auctor est, in Philopatride, *νὴ τὸν ἄγνωςον ἐν Ἀθήναις*, & *ἡμεῖς δὲ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωςον ἐφευρόντες καὶ προσκυνήσαντες, χεῖρας εἰς ὀυρανὸν ἐκτείναντες, τύτῳ εὐχαριςήσομεν*, *nos quum Athenis invenerimus & coluerimus ignotum Deum, huic manibus in cælum protensis gratias agemus*. Unde autem illa *Ignoti Dei* appellatio ad Athenienses pervaserit, vix aliter quam conjectando assequaris; si vel sic assequaris. Sunt qui existiment, ad certum casum aut historiam esse referendum; qui diversimode narratur. Alii enim Athenienses gravi peste oppressos, quum colendis diis patriis frustra se fatigassent timerentque ne quod numen prætermissum a se esset, Θεῷ τῷ Ἀγνώςῳ aram hanc struxisse volunt. Alii, quum Persæ Græciam immensa invasissent manu, opemque a Spartanis petiissent, circa montem cui Parthenio nomen, Phidippidæ, qui mittebatur, Panis occurrisse simulacrum, qui neglectum sese quereretur, & auxilium promitteret; quem quum ignorarent gratos interim Ἀγνώςῳ Θεῷ aram inscripsisse. Hæc ex *Oecumenio Heinsius*. Alii satius arbitrantur ut de Judæis cogitemus; quorum cum Græcis commercio factum sit, ut in aliquam, sed confusam oppido, atque obscuram Dei Israëlis cognitionem Græci devenerint: quem, quamvis incognitum, tanti tamen fecere, ut cognitis sibi numinibus associaverint. Certe Deus, qui in caligine sibi sedem fixit, vocatur אל מסתתר *Deus qui se abscondit* Jes. XLV: 15. & Judæi eo tempore *τετραγράμματον* Dei nomen JHVH religioso condebant silentio: ne vel apud

apud ipsos vilesceret, vel gentium exponeretur ludibrio. *Josephus*, etsi de genere sacerdotali esset, negat tamen sibi fas esse proprium Dei sui nomen propalare; *Antiq. Lib.* 11. *C.* v. περὶ ἧς προσηγορίας ȣ̓ μοι θέμις λέγειν. *Philo* pariter, in libro *de vita Mosis*, testatur nemini nisi solis sacerdotibus, quum in sanctuario populo benedicebant, nomen illud effari licuisse. ὃ μόνοις τοῖς ὦτα καὶ γλῶτταν σοφίᾳ κεκαθαρμένοις θέμις ἀκȣ́ειν καὶ λέγειν ἐν ἁγίοις, ἄλλῳ δὲ ȣ̓δενὶ τὸ παράπαν ȣ̓δαμȣ̃. Nec abludit *Theodoretus Quæst.* xv *in Exod.* τȣ̃το δὲ παρ' Ἑβραίοις ἄφραστον ὀνομάζεται, ἀπείρηται γὰρ παρ' αὐτοῖς διὰ τῆς γλώττης προσφέρειν. Passim etiam in Patrum scriptis nomen illud ἄῤῥητον, ἀπόῤῥητον, ἄφραστον, ἀνεκφώνητον, ἄλεκτον, ἄφθεγκτον, Latinis *ineffabile*, dicitur. Mirumne igitur est, si Judæorum Deus *Ignoti* apud gentes nomen obtinuerit? Eodem sensu *Incertus Deus* Lucano dictus, *Incertum Mosis Numen* Trebellio Pollioni in vita Claudii, & Ἀκατανόμαστος *Innominatus Deus* Cajo Caligulæ apud Philonem. Cui ut *Carmeli montis incolæ*, apud *Tacitum Hist. Lib. II. neque simulacrum tribuebant neque templum, sed aram tantum atque reverentiam;* ita & Athenienses. Hinc igitur captata occasione sermonem suum orditur Paulus, promittitque se eum ipsis Deum planissime annunciaturum esse, quem ignorantes colebant. Quod sapientissima oratione exsecutus, tandem ad Jesum Christum descendit, constitutum a Deo judicem orbis terrarum, ut definito die omnibus quotquot sunt ac fuerunt mortalibus, ad tribunal suum comparere jussis, jus dicat, retribuens unicuique secundum opera sua. Cujus rei fidem fecerit Deus, quando mirabilem istum virum, Judæis in terra sua visum atque auditum, suscitavit ex mortuis. Hactenus linguis faventes, quum de resurrectione mortuorum concionantem audirent, alii quidem sannis prosecuti sunt, alii iterum ea de re audire cupiverunt. Enim vero nihil ridiculosius visum est gentilibus quam Christianorum dogma de resurrectione carnis &.vita æterna. Quod *Minucius Felix* ex persona Pagani sic deridet. *Nec hac furiosa opinione contenti, aniles fabulas adstruunt, & annectunt, renasci se ferunt post mortem & cineres: & nescio qua fiducia mendaciis suis invicem credunt. putes eos jam revixisse.* Verum neque illud abs re est, quod *Chrysostomus* annotavit ad *Capitis hujus com.* 16. multo clementius a Græcis quam a Judæis exceptum esse Apostolum; ob quæ enim gravissimas Judæi persecutiones excitabant, ea Athenienses solo risu transmisere, nihil ultra moliti. Ὅρα αὐτὸν μείζȣς ἔχοντα πειρασμȣ̀ς παρὰ Ἰȣδαίοις ἢ παρ' Ἕλλησιν. ἐν γὰρ Ἀθήναις ȣ̓δὲν πάσχει τοιȣ̃τον. ἀλλὰ μέχρι γέλωτος τὸ πᾶν προυχώρησε, καίτοιγε ἔπεισεν. ἐν δὲ Ἰȣδαίοις πολλὰ τὰ δεινά. ȣ̔́τως ἦσαν ἐκπεπολεμωμένοι μᾶλλον.

V. Sed & nonnulli plane a Paulo persuasi Christianam religionem amplexi sunt. In quibus eminuerunt *Dionysius Areopagita*, & *Damaris*, quam uxorem ejus quidam faciunt. Hic est ille Dionysius, tot fabularum amplissima materies, Cujus futuræ per Paulum conversioni prælusum esse volunt,

V. Conversio Dionysii Areopagitæ, multis fabulis nobilitati.

volunt, conspectu mirabilis solaris luminis defectus, qui Christo moriente contigit, quique a Dionysio, vigesimo quinto ætatis suæ anno, Heliopoli in Ægypto, deprehensus sit: occasionemque ei dederit dicendi: ὁ Ἄγνωστος ἐν σαρκὶ πάσχει θεὸς, δι' ὃν τὸ πᾶν ἐζόφωται τε καὶ σεσάλευται. *Ignotus in carne patitur Deus, propter quod universum hoc obtenebratum, & concussum est. Sic Mich. Syngelus*, traditione, ut ait, a parentibus ad filios derivata. At *Suidas* aliquanto brevius & elegantius: ἢ τὸ θεῖον πάσχει, ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει. *Aut Deus patitur, aut patienti compatitur*. Hic est ille Dionysius, quem Atheniensis Ecclesiæ Episcopum a Paulo esse ordinatum, quem una cum Petro, Jacobo, Paulo cæterisque Apostolis funeri Beatæ Virginis Hierosolymis interfuisse, quem Johannem ab exilio redeuntem Ephesi salutasse, quem, fortassis ex Johannis consilio, Romam ad Clementem Pontificem sese contulisse, ab eodemque in Gallias esse amandatum, & Parisiis martyrio coronatum, & amputatum sibi caput ad aliquot millia passuum suis ipsum manibus gestavisse, eorum denique librorum qui sub nomine ejus circumferuntur auctorem esse fingunt. Tanta comminiscendi impudentia, ut prudentiores quosque in medio Papatu tam inscitæ credulitatis puduerit: & *Sirmondus*, *Petavius*, *Launoyus*, fabulas istas invictis argumentis confutandas sibi sumserint. ea veritatis evidentia, ut merito scripserit *Ellies Du Pin Biblioth. Tom.* 1. *p.* 34. *vix ullum nunc supcresse mortalium cui tantillum bona mentis sit, qui de ea dubitare queat*. Tantum tamen anilis superstitio, & partium studium, ac præjudiciorum pondus apud *Natalem Alexandrum* valuere, ut nugas illas ac nænias erudito huic seculo inepte recoxerit, doctissimis suæ confessionis hominibus sarcastice insultans: *Dic enim, amabo te, numquid Sirmondum & Launoyum liberanda veritas exspectabat? Secul.* 1. *p.* 165.

VI. Areopagitarum officium, & dignitas.

VI. At non indictum nobis manere oportet *Areopagitæ* cognomen, quod *officii* & *dignitatis* est. Ita enim dicebantur judices supremi Atheniensium, quorum consessus in promontorio isto Martis erat. Magna erat judicum istorum auctoritas. Erant enim fama integerrimi, virtute spectatissimi, usuque rerum perspicacissimi. Nulli ad eum Magistratum capessendum patebat aditus, nisi prius in inferiori Magistratu sex virorum Thesmothesiæ per annum meruisset. Nec ad hunc quidem facilis accessus erat. Qui ad eum adspirabat, de anteacta prius vita rationem reddere tenebatur, & irreprehensibilis deprehensus, iis adnumerabatur: idemque rursus in Areopagitam promovendus, qualis esset, quibus compositus moribus, qua in rebus agendis solertia præditus, diligenti pervestigatione probatus, sic tandem Areopagitis fuit allectus. Si quis autem examinantium diligentiam dolosa specie fefellisset, eum narrant, non judicum sententia, aut ulla vi extranea, sed proprio impellente genio, statione, qua indignus erat, decedere coactum. Adeoque de eorum integritate fama percrebuit; ut quum quis

quis justissimum quempiam, severissimum, vita innocentissimum, ac denique omnibus partibus absolutum optimumque virum demonstrare voluisset, Areopagitam cognomine diceret. Unde paroemia, Ἀρειοπαγίτου σκυθρωπότερος, *Areopagitâ sæverior*. Ἀρειοπαγίτου σιγανότερος, *Areopagita taciturnior*. Ob eam rem ipsi Romani Proconsules Asiæ difficiles caussas eorum judicio definiendas commiserunt, uti Cn. Dolabellam fecisse ex *Valerio* testatur *Gellius Lib.* XII: *Cap.* VII. Insignibus itaque Pauli triumphis accensendus est conversus ad Christi fidem ac religionem Areopagita: novoque monstratum exemplo, non ex plebe duntaxat, sed & ex magnatibus & divitibus, & sapientibus hujus seculi quosdam a Deo electos esse, quos suæ in Christo gratiæ participatione dignetur.

VII. Paulus Silam & Timotheum qui Beroea advenerant, iterum in Macedoniam remittens, solus aliquantulum Athenis remansit. Et ipse quidem semel iterumque animo præceperat Thessalonicam proficisci, nec potuerat tamen id exsequi, impeditus a satana. Ideoque Timotheum eo misit, Thessalonicenses consolaturum, & in fide confirmaturum. Act. XVIII: 5. 1 Thess. II: 17, 18. & III: 1, 2. At non immerito quærit *Chrysostomus*, cur tam propere Athenis excesserit Paulus, quum neque exire juberetur, neque persecutiones pateretur, neque ullis expositus esset periculis; imo & aliquos ad fidem permoverit, & ex aliis intellexerit cupiditatem iterum ipsum de hisce rebus audiendi. Respondet autem sibi ipsi, ἴσως ᾔδει οὐ μέγα ὀνήσων *fortasse sciebat, se parum apud ipsos profecturum esse*. Quod nimirum Athenienses novitatis studiosi, vova Pauli doctrina statim exsaturati, aliis iterum novis dicendis atque audiendis inhiabant. Hæc enim est novitatis amantium indoles, ut nova, semel iterumque audita, statim quasi vetera fastidiant, moxque nova alia atque alia captent.

VII. Excessus Pauli ex Athenis.

SECTIO VII.

De iis quæ a Paulo gesta sunt Corinthi.

BREVIARIUM.

I. *Descriptio Corinthi, qualis Pauli ætate fuit.* II. *De edicto Claudii, quo Judæi Roma pulsi sunt.* III. *Cujus occasione Aquila & Priscilla ad Paulum venere Corinthum, ejusdem cum ipso opificii consortes.* IV. *Paulus in Synagoga cum Judæis de Messia disputans, excussis in rebelles vestibus suis, suas eos sibi res habere jussit.* V. *Posthac se ad gentes iturum protestatus.* VI. *Visione nocturna ad laboris constantiam animatus est.* VII. *A Judæis apud Gallionem Proconsulem, Senecæ fratrem, accusatus.* VIII. *Sed frustra. Gallione accusationem non admittente, & Judæos a tribunali suo abigente.* IX. *Quod an recte ab ipso factum sit, disquiritur.* X. *Officio certe suo non satisfacit, quod Græcos coram tribunali suo Sosthenem verberantes; non compescuerit.* XI. *Paulus, cæterique*

que Apostoli, multo plures scripserunt epistolas quam nunc habemus. XII. *Prima Paulinarum quæ supersunt sunt illæ ad Thessalonicenses, utraque scripta Corinthi, exiguo interstitio.* XIII. *Cenchreis, qui portus Corinthi est, sive Paulus, sive Aquila totondit caput* XIV. *Propter votum. An sacrum Naziraatus? An civile peregrinantium?* XV. *Petiti interpretatio singularis.* XVI. *Paulus in transitu Ephesum solum salutat.* XVII. *Inde Cæsaream, & Hierosolymam profecturus, indeque mox reversurus in Asiam.* XVIII. *Interim Ephesum venit Apollos, vir egregius, ab Aquila Christianam fidem accuratius edocendus.* XIX. *Ephesо Corinthum profectus.* XX. *Ubi tanta cum auctoritate docuit, ut scissæ Ecclesiæ pars aliqua ab ipso denominaretur.*

I. Descriptio Corinthi, qualis Pauli ætate fuit.

INterim relictis Athenis CORINTHUM venit, quam disertissimus Romuli nepotum pro lege Manilia *lumen totius Græciæ* vocat. Erat *Achaja caput, Græciæ decus, inter duo maria, Ionicum & Ægæum, quasi spectaculo exposita. Flor. Lib.* II: *Cap.* XVI. duobus incluta portubus, quorum alter Lecheæ dicebatur, alter Cenchreæ. Illo ad Europæas, hoc ad Asiaticas negociationes utebantur. Alter Ionio, alter Ægæo mari imminebat. Quamobrem Corinthus Græcis *ἀμφιθάλασσος*, Latinis *bimaris* dicta fuit. Romani ejus potentiam veriti solo æquarunt, ut & Carthaginem eadem de caussa, illam duce L. Mummio, hanc Scipione: & vix ullum utriusque urbis relictum est vestigium. Utramque postea Julius Cæsar instauravit. Et Corinthus Pauli ætate insigniter refloruerat, civium frequentia & opibus potens. Πόλιν μεγάλην καὶ πολυάνθρωπον, καὶ πλούτου καὶ σοφίας ἕνεκεν θαυμαστὴν, καὶ τῆς Ἑλλάδος τὸ κεφάλαιον, dixit *Chrysostomus in Præf. ad* 1 *Cor.* Verum uti opulenta erat hæc civitas, ita luxu, libidine, & fastu longe corruptissima. Quum eam ingreditur Paulus, quid spei concipere potest, ut illic quoque homines Christo lucrifaciat? Homuncio est incognitus, nullius facundiæ vel splendoris, nihil opum potentiæve ostentans. Quod autem immensus ille gurges fiduciam & propagandi Evangelii studium non absorbuerit, indicio est, mirifica Divini spiritus virtute fuisse instructum, & simul Deum non humano sed cœlesti modo in ipso & per ipsum fuisse operatum. Quare non frustra prædicat, Corinthios *sigillum esse sui Apostolatus.* 1 Cor. IX: 2.

II. De edicto Claudii, quo Judæi Roma pulsi sunt.

II. Paulo ante adventum Pauli ad Corinthios Claudius edicto Judæos Roma excedere jusserat. Act. XVIII: 2. Cujus edicti *Suetonius* etiam meminit *Claudii Cap.* XXV. *Judæos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit.* Quis ille *Chrestus* sit, disputant eruditi. Plerique Dominum nostrum Jesum Christum intelligunt, quem a gentilibus Chrestum nominatum fuisse constat; sive illud ex ignorantia factum sit, quod *Tertullianus* & *Lactantius* caussantur; sive ex malitia, quod benignum eum vocaverint *κατ᾽ ἀντίφρασιν*, quomodo Pertinacem *Chrestologum* vocatum fuisse *Capitolinus*

tolinus auctor eſt, quod blandus eſſet verbis, re non item; ſive denique error ortus ſit ex confuſione pronunciationis vocalium H & I, quod ſuſpicatur *Huetius*. Neque enim apud ſcriptores *Chreſtum* ullum inſignem virum memorari, præter *Chreſtum Sophiſtam* Biſantinum, a *Marcello Donato* in hunc Tranquilli locum obſervatum eſt. Vir Illuſtris, mihique amiciſſimus, *Gisbertus Cuperus*, in doctiſſimis notis quibus Lactantii librum de mortibus perſecutorum ornavit, interpretationi huic ſine hæſitatione ſubſcribit p. 126. *Per Chreſtum*, inquit, *procul dubio Chriſtum D. N. intelligit: eumque ita vocabant, quia Chreſtus erat nomen Romanis uſitatum, uti ex Inſcriptionibus, & Cicerone 2 ad Famil. 8. patet.* Alii vero eruditiſſimi homines, in quibus eſt *Uſſerius*, Chriſtum D. N. hic intellectum eſſe perſuadere ſibi non poſſunt. Utut ſit, quum Chriſtus imperante Tiberio cœlo redditus ſit, & Romæ nunquam fuerit, Judæos ad Tumultum Romæ ſub Claudio impellere non potuit. Et ſi qua veri ſpecies narrationi huic ſubſit, deberet illud de doctrina Chriſti intelligi. Quæ Romæ per ipſius diſcipulos diſſeminata magnarum litium, ſi non cauſſa, certe occaſio eſſe potuit; nonnullis ex Judæis qui Romæ commorabantur magno eam animo recipientibus, aliis veſano ſtudio contra nitentibus. Ex quibus contentionibus Claudii iſtud edictum natum ſit. Quo non Judaicæ ſolum, ſed & Chriſtianæ profeſſionis homines pulſi fuere: quippe qui ex Judæis orti communi Judæorum nomine comprehenſi ſunt. Non diu autem Romæ edictum illud fuiſſe obſervatum, ex iis liquet quæ narrantur Cap. XXVIII: 17. Atque hæc fortaſſe ratio eſt cur *Joſephus* prorſus taceat, *Dio* autem ita narret, quaſi illorum tantum cœtus inhibiti ſint. Sic enim ille Lib. LX: p. 669. Τούς τε Ἰουδαίους πλεονάσαντας αὖθις, ὥστε χαλεπῶς ἂν ἄνευ ταραχῆς ὑπὸ τοῦ ὄχλου σπῶν τῆς πόλεως εἰρχθῆναι, οὐκ ἐξήλασε μὲν, τῷ δὲ πατρίῳ νόμῳ βίῳ χρωμένους ἐκέλευσε μὴ συναθροίζεσθαι. *Quum Judæi adeo iterum Romæ frequentes fierent, ut difficulter ſine tumultu propter multitudinem urbe poſſent exigi, non ejecit quidem eos, patriis tamen legibus vitam tolerantes convenire vetuit.*

III. Sed fallitur *Dio*. Revera enim pulſi Roma fuerunt. Eaque occaſione Aquila quidam, genere Ponticus, in Ponto natus, at natione & religione Judæus, dein Chriſtianus, cum Priſcilla uxore ſua, fœmina eximie pia, quam & marito præponit Apoſtolus Rom. XVI: 3. recens Corinthum venerat. Erat autem ejuſdem cum Paulo opificii. Nam utriusque ars in tabernaculis conficiendis verſabatur. Hinc factum, ut, quemadmodum religione & opificio, ita animis ac manſione fuerint conjuncti. Indeque ea amicitiæ Chriſtianæ neceſſitudo orta eſt quæ præclaris admodum & fere incredibilibus ſe prodidit argumentis; adeo ut pro vita Pauli ſuam ipſorum cervicem ſuppoſuerint: & invicta conſtantia perpetuo duravit. Dum vero iiſcum vixit Paulus, iiſcum quoque operatus eſt, ut manibus ſibi ſuis victum compararet. Poterat equidem cum cæteris Apoſtolis æquo jure uti,

III. Cujus occaſione Aquila & Priſcilla ad Paulum venere Corinthum, ejuſdem cum ipſo opificii conſortes.

& ex Evangelii præconio, uti instituerat Dominus, vivere. Suo tamen pane vesci maluit, quem manuaria sibi arte quæsiverat. Imprimis Corinthi. Oppido prudenter. Rationem ipse exprimit; quod Pseudapostoli, ut astute se insinuarent, gratis docebant. Noluit igitur vir sanctissimus pariter ac prudentissimus ulla in parte iis cedere, ne Christi Evangelium probro subjiceret. De qua re vide. 1 Cor. IX: 18. 2 Thes. III: 8, 9.

IV. Paulus in Synagoga cum Judæis de Messia disputans, excussis in rebelles vestibus suis, eos suas sibi res habere jussit.

IV. At non impediit ea in mechanica ac sellularia arte sedulitas, quo minus Evangelii prædicationi potissimam impenderit operam. Nam singulis Sabbatis diligenter in Synagoga disseruit, & in sententiam suam Judæos pariter ac Græcos pertraxit. Ac *Stephanæ* familiam sua ipse manu baptizavit 1 Cor. I: 16. quæ *primitiæ fuerunt Achaiæ*, & in mysterium se addixerunt sanctis. ibid. XVI: 15. Interim advenerunt e Macedonia Silas atque Timotheus, qui quum felicem Evangelii apud Macedonas successum nunciassent, fausto isthoc nuncio permotus Paulus cupiebat & multos in Achaia Christo lucrifacere. Itaque *συνείχετο τῷ πνεύματι*, vehementi Spiritus impulsu agitatus, & intus apud se præ zeli fervore æstuans, ac veluti extra se positus (conf. Jerem. XXII: 9. *συνεχόμενος οἴνῳ*) contra Judæos contendebat, Jesum esse promissum Patribus Messiam; cui veritati quum uti alibi, ita & hic, præfracta obstinatione resisterent, excussis in eos vestibus suis, ne quid vel de ipsorum pulvere retinere se velle crederetur, immunem se ab illorum exitio esse, quod suæ ipsos pertinaciæ imputare oportebat, & verbis & factis protestatus est: addito, ab hinc se ad gentes esse profecturum. Non temnenda *Oecumenii* commentatio est, quam hic adscribere lubuit. *Τοῦτο λέγει ὁ Παῦλος ἐκτιναξάμενος τὰ ἱμάτια, ὥστε μὴ ῥήματι μόνον, ἀλλὰ καὶ πράγματι φοβῆσαι. Διὸ καὶ σφοδρότερον τοῦτο εἰπών, τὸ αἷμα ὑμῶν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ὑμῶν, ἀφίσταται αὐτῶν. ὃ δὲ λέγει τοιοῦτόν ἐστιν, ἕκαστος τῶν ἀποστατούντων Χριστοῦ, ὅς ἐστι ζωή, δοκεῖ ἑαυτὸν φονεύειν, ἀπὸ τῆς ζωῆς μεταβαίνων εἰς θάνατον, τὸ αἷμα αὐτοῦ τρόπον τινὰ ἐκχέων, διὰ τῆς σφαγῆς ἣν ἐπιφέρει ἑαυτῷ. Τοῦτο οὖν φησιν, ἀνθ' ὧν σφάζετε ἑαυτοὺς διὰ τῆς ἀπιστίας, αὐτοῦ τούτου ὑμεῖς ὑπόσχητε δίκην, ἐμοῦ ἀθῴου ὄντος. ἐντεῦθεν δέ ἐστι συνιδεῖν, ὅτι ὁ σφάζων ἑαυτὸν τιμωρεῖται ὡς φονεύς, παρὰ τῷ Θεῷ.* *Hoc dixit Paulus excussis vestibus, ut non verbo solum, sed, & opere eos terreret; ideoque quum hoc vehementius protulisset, sanguis vester super caput vestrum, ab eis discedit. Est autem ac si diceret: unusquisque eorum, qui a Christo, qui vita est, discedunt, se ipsum judicatur occidere, transiens a vita ad mortem: sanguinem suum quodam modo fundens per cædem quam sibi ipsi infert. Hoc itaque dicit: Quoniam vos ipsos incredulitate jugulatis, hujus facti vos ipsi caussam subite; quum ego culpa caream. Hinc autem colligere licet, quod, qui se ipsum jugulat, judicium homicidæ subit ac supplicium apud Dominum.* Neque prætermittendum est, quod hoc tantæ detestationis signum non ex humana & privata indignatione ortum sit; sed ex zelo Dei in corde ejus accenso. Imo Deus

eum

eum excitavit vindictæ suæ præconem: ut scirent Evangelii hostes non impune sibi cessuram esse contumaciam.

V. Quod vero *post hac se ad gentes iturum esse dicit*, sic est intelligendum: quamvis summa se in Judæis prodidisset docilitas, tamen debuisset Paulus gentibus docendis operam dare, quippe quarum a Christo ordinatus erat Apostolus. Cæterum hæc illi docendi ratio fuit, ut a Judæis exordium faciens, gentes in fidei societatem illis conjungeret; atque ita promiscue ex utrisque unum efficeret Ecclesiæ corpus. Ubi inter Judæos ablata erat profectus spes, solæ gentes restabant. Atque utile cumprimis fuit, Judæos hujusce rei aliquoties, & quantum fieri poterat efficacissime, commonefieri; partim ut ita vulnerati ac metu percussi redirent ad sanam mentem, partim ut gentium æmulatio ad pœnitentiam eos stimularet. Mutavit itaque domicilium quod cum Aquila & Priscilla hactenus habuerat: non quod pœniteret contubernii, sed quo se familiarius insinuaret gentibus. Et concessit in ædes τινὸς ὀνόματι Ἰούστου, Τίτου legére & Syrus & Arabs. quidam codices habent utrumque nomen Τίτου Ἰούστου, Romano more, ut observavit *Grotius*. Credibile est, eum fuisse natione gentilem, sed Deum pie colentem in præputio, qualis Cæsareæ fuerat Cornelius. Nec obstat Synagogæ vicinitas. Sed videtur potius data opera Paulus domum hominis gentilis Synagogæ contiguam sibi elegisse, quo magis pungeret Judæos. Quod perquam acute a *Calvino* annotatum esse arbitror. Ne autem omni prorsus fructu inter Judæos Pauli laborem caruisse putemus, narratur *Crispum* Synagogæ Corinthiacæ præfectum cum omni domo sua Domino credidisse. Act. XVIII: 8. itemque *Gajum*, una cum Crispo Pauli manu baptizatum. 1 Cor. 1: 14.

V. Post hac se ad gentes iturum protestatus.

VI. Quia vero tam pertinaci male consultorum hominum resistentia etiam fortissimi cujusque animus frangi, vel certe alacritas quodammodo retundi poterat; ne & Paulo idem accideret, ipsi per visionem apparuit Dominus, ac bono animo esse, nec tacere, sed confidenter eloqui jussit, quod & sibi in ista urbe magnus esset electorum, & crediturorum populus, & Paulo, præsidii sui tutela securo, nemo esset nociturus. Qua Divina compellatione animatus annum integrum cum semestri in urbe mansit, docens apud eos sermonem Dei.

VI. Visione nocturna ad laboris constantiam animatus est.

VII. Sed & hic ipsi confligtandum cum improbis Judæis fuit, qui ad *Gallionis*, eo tempore Achajæ Proconsulis, tribunal eum rapuerunt, Divinæ humanæque legis violatæ tam proterviter quam falso accusandum. *Achaia* erat provincia proconsularis sub Augusto. Tiberius Macedoniæ adjunxit, & Cæsarianam fecit. Sed Claudius has Provincias senatui reddidit, id est rursus fecit proconsulares; ut ex *Suetonio* & *Dione* docuit *Grotius*. Gallio, tunc Proconsul, frater natu major magni Senecæ fuit; cui in juventute *Novato* nomen, sed quod mox atque in familiam Julii Gallionis

VII. A Judæis apud Gallionem Proconsulem, Senecæ fratrem, accusatus.

per adoptionem transiit, cum illo Gallionis mutavit. Creditur Gallio Senecæ fratri suam hanc Proconsulatus dignitarem debuisse: quam Seneca, injuste primum a Messalina Claudii uxore exilio damnatus, dein post illius necem revocatus, ab Agrippina, altera Claudii uxore, & Neronis matre, Gallioni impetraverit. Fuit certe Gallio fratri suo percharus, quippe ad quem libros de *Ira* scripsit & misit, ubi adhuc *Novatum* vocat, illumque de *vita beata*, ubi *Gallionem fratrem* dicit, in Epistolis autem *Dominum suum Gallionem*, honeste, ut fratrem scilicet seniorem. Fuit etiam bonis literis probe excultus, & facundiæ nomine inclutus. Unde *Statii* illud:

Hoc plus, quam Senecam dedisse terris,
Et dulcem generasse Gallionem.

Quod ad *eloquii suavitatem* refert *Lipsius*. Sed & ad *indolem* pertinet. Sic enim eum describit *Seneca*, *in Præfatione ad Nat. Quæst. Lib.* IV. *Gallionem fratrem meum nemo non parum amat, etiam qui plus amare non potest.* Et post pauca: *cæpisti mirari comitatem & incompositam suavitatem: quæ illos quoque, quos transit, abducit, gratuitum etiam in obvios meritum. Nemo enim mortalium uni tam dulcis est, quam hic omnibus.* Ad Gallionis hujus proconsulare tribunal ductus a Judæis Paulus est. Criminisque loco ei impactum, quod doceret homines Deum colere contra legem. Nimirum concessum Judæis a Romanis fuerat in ipsa quoque Græcia Deum suum ex instituto Mosis colere. Hic vero, inquiunt, neque vobis Romanis in religione se addit, neque legem Mosis sequitur, sed Judæos pariter & Græcos turbat, utrorumque religionem exagitans. Ideo autem proconsulem accedunt Judæi, quia in Achaia animadversionem in populares suos non habebant, qualem habebant in Judæa, & vicinis regionibus, uti erudite observatum a *Grotio*.

VIII. Sed frustra. Gallione accusationem non admittente, & Judæos a tribunali suo abigente.

VIII. Paulus tam indigne ac calumniose traductus jam os ad sui defensionem aperiebat, quum interpellaret Gallio; æquo se Judæos animo auditurum fuisse, si quid injuste factum, uti homicidium, furtum, similiaque, aut malum aliquod facinus, quale est falsimonium, admissum esset: sin quæstio περὶ λόγυ, de rebus quæ disceptationem suscipiunt, & in utramque partem disputari possunt, itemque de nominibus, an Jesus dicendus sit Christus, & lege Judaica, an ea omnes incircumcisos damnet, istarum se rerum judicem futurum esse negat. Atque ita eos a tribunali suo abegit.

IX. Quod an recte ab ipso factum, disquiritur.

IX. Quod an recte ita a Gallione factum sit, disquiri meretur. Sunt qui laudent. *Bene responsum*, ait *Grotius*, *ut ab homine dulci. q. d. Romani quidem libertatem religionis Judæis etiam in Græcia concesserunt: sed si quæ inter ipsos de religione oriantur controversiæ, aut eas componant inter se, aut disputent quantum libet. Romanorum magistratuum non est iis se immiscere, non magis quam Stoicorum & Epicureorum inter se disceptationibus. Calvinus* addit, *non fuisse de officio præsidis, de cujusque provinciæ religione jus dicere. Nam quum ad suos ritus cogere non possent Romani gentes sibi subjectas, ne tamen viderentur*

probare

probare quod ferebant; magistratus suos vetabant hanc jurisdictionis partem attingere. Quum fastu solum & pertinacia ritus suos servarent, nulla autem ipsis constaret certitudo, ubi ulla erat veritas: hoc sibi optimum compendium fore putarunt, si provincialibus liberum vivendi morem permitterent. Quæ an vera ejusce rei ratio sit, aliis arbitrandum relinquo. Hoc verum, quod neque Pilatus antea, neque Festus postea, illi se disquisitioni immiscere voluerint. Multi tamen culpant Gallionem, uti hominem profanum, qui, uti Pauli dogma de Christo contemsit, ita & Judaicam superstitionem, propter rixandi lubidinem his veluti cognatam, odio habuit. Et sane ita de lege Divina contemtim loquitur, acsi Judaica religio verbis tantum & supervacuis quæstionibus constaret; quæ longe infra curam suam forent positæ. Nam ut frivolis logomachiis ansam præcidere oportuit; ita rursus ubi de Dei cultu agitur, sciendum est non de verbis certari, sed rem tractari maxime seriam. Ego vero sic arbitror, neque culpandum universim, neque in omnibus laudandum esse Gallionem. Moderati sane animi argumentum esse videtur, quod ab una quidem parte liberam Judæis de religione sua arbitrandi facultatem permiserit, ab altera autem nihil inclementius in Paulum sub religionis obtentu statuendum existimaverit. Cæterum excusandum non est, quod totum illud Divini cultus negotium, tanquam levem quæstiunculam, gravioribus occupationibus indignam, tam superciliose ab inquisitione sua rejecerit.

X. Uti certe proconsulis nec dignitati consuluit, nec officio satis fecit, quando Græcos in conspectu ac coram tribunali suo tumultuantes, & *Sosthenem* tam injuriose ac contumeliose immeritis verberibus onerantes, non compescuit. Quæ cessatio, an Proconsulis ignaviæ, an odio adversus Judaicam religionem, imputanda sit; haut facile dixero. Porro Sosthenes iste eodem laudatur elogio, quo *Crispus* nuper. Uterque enim *Archisynagogus* fuisse dicitur. An ejusdem synagogæ princeps, cujus & Crispus? & una cum Crispo? nam unam synagogam plures quandoque præfectos habuisse, colligitur ex Act. XIII: 15. an ejusdem, sed post Crispum ad fidem Christi conversum? quod nonnulli suspicantur. An alterius alicujus? nam in urbibus frequentioribus plures synagogæ erant, singulæ suum habentes præsidem. Dicat qui novit. Ego, ut in re ancipiti, ampliandum arbitror. Uti nec illud satis constat, quæ tantarum Græcis in Sosthenem irarum caussa fuerit. Sunt qui Sosthenem, eo saltem tempore, pervicacem Judæum & vehementissimum Pauli hostem fuisse putant, qui cum suæ factionis hominibus litem illam tumultuose intenderat. Unde Corinthii, qui tribunali adstabant, quum viderent ideo Judæos cum contemptu abigi, quod proconsuli aliis rebus occupato legis suæ quæstiunculis obstreperent, ipsi quoque, veluti proconsuli gratum facturi, verbera Judæorum antecessori ingessere, quo abirent celerius. Alii Judæis ipsis hanc contumeliam imputant,

X. Officio certe suo non satisfecit, quod Græcos coram tribunali suo Sosthenem verberantes non compescuerit.

putant, qui quum adversus Paulum, Divinæ promissionis munimine tutum, nihil crudelius auderent & possent, neque ingnorarent Sosthenem Pauli promovisse consilia, artibus quibusdam concitarint Græcorum manus in caput Sosthenis, quasi omne malum ab hoc promanarit. Ut ut sit, non difficulter iis assentior, qui hunc ipsum Sosthenem, sive jam tum Christianum fuisse, sive, quod malim, deinceps æque ac Crispum, Christianum factum esse credunt; eundemque cum illo Sosthene quem Paulus honorifice socium sibi jungit. 1 Cor. 1: 1.

XI. Paulus, cæterique Apostoli, multo plures scripserunt epistolas quam nunc habemus.

XI. Dum Corinthi commorabatur Paulus primam earum quas nunc habemus epistolam scripsit. Nam omnium primam esse, non facile inducor ut credam. Nullus equidem dubito, quin Apostoli omnes pro singulari sua diligentia frequentissimas literas ad Ecclesias curæ suæ commissas dederint; quibus præsentes semper adesse non licebat, & quibus multa tamen identidem habebant inculcanda. Si nobis, qui tam minutuli unius fere Ecclesiæ doctores sumus, adeo inevitabilis scribendarum sine numero epistolarum necessitas incumbit; quid Apostolis factum esse existimamus, qui universales fuerunt. Ecclesiarum omnium Episcopi, & quos ea cura nocte diuque premebat, versabatque sub pectore fixa? Injuriosa mihi in fidem ac diligentiam tam sedulorum hominum cogitatio videretur, si quis putaret, eos Apostolorum nullas unquam literas scripsisse quorum nullæ nunc superant, aut eos quorum nunc unam aut alteram, aut tertiam, aut duodecim etiam habemus, nullas scripsisse præter eas quas habemus. Quæ Paulo & Petro, quæ Jacobo & Johanni, eadem & cæteris scribendi fuit ratio. Et quæ vel ursit necessitas, vel suasit utilitas, ut hæc & ad hos scriberent quæ & ad quos scripserunt, eadem tam necessitas quam utilitas exegit, ut eadem vel his similia scriberent ad alios. Neque est quod queramur tot pretiosa κειμήλια temporum injuria periisse: est potius quod Deo agamus gratias, cujus provida erga nos benevolentia factum est, ut tot ac tanta retinuerimus, quæ nobis ad salutem erudiendis abunde sufficiunt.

XII. Primæ Paulinarum quæ supersunt sunt illæ ad Thessalonicenses, utraque scripta Corinthi, exiguo interstitio.

XII. At nobis de Paulinis Epistolis nunc est agendum: quarum quæ supersunt primas esse constat utramque ad *Thessalonicenses*, Corinthi, ut initio dixi, scriptas. Quod ita confirmatur. Misit Paulus Athenis Timotheum ad Thessalonicenses, partim ut eorum fidem cognosceret, partim ut eos in fide firmaret, consolaretur & adversus afflictiones animaret. 1 Thess. III: 1—5. Redit Timotheus ad Paulum, Athenis jam profectum, & Corinthi morantem. Act. XVIII: 5. eumque exhilaravit læto de constanti fide ac charitate Thessalonicensium nuncio. 1 Thes. III: 6. Quæ res occasionem scribendæ priori epistolæ dedit: scriptæ utique quum Silvanus (is est Silas) ac Timotheus Paulo adessent; quippe quorum inscriptio in fronte Epistolæ invenitur. Unde falsi convincitur subscriptio vulgata, quæ Athenis scriptam esse dictat. Posterior priorem exiguo temporis intervallo subsecuta

ſubſecuta eſſe videtur. Quia enim quidam detorquentes Apoſtoli mentem turbabant Theſſalonicenſium animos, quaſi in ſingulas horas novisſimum Domini adventum expectandum haberent, eo quod iis ſe adnumeraſſe videretur quos dies ille vivos deprehenſurus eſſet Cap. IV: 17. eodem referentes & ſermones quoſdam Pauli quos præſens apud ipſos habuiſſet, & neſcio quas revelationes Spiritus; neceſſarium arbitratus eſt iterata epiſtola animi ſui ſententiam plenius atque accuratius exponere, totamque Antichriſti ſcenam delineare, labentibus ſeculis ſtruendam, inſtruendam, deſtruendam, ante Domini adventum. Unde rurſus vulgatæ ſubſcriptionis, quæ hanc quoque Athenis miſſam eſſe teſtatur, apparet falſitas. Si enim prior Athenis miſſa non eſt; quanto minus altera? Neque admittenda Arabica ſubſcriptio, Laodiceæ eſſe ſcriptam, & miſſam per Tychicum. Nam ex Col. II: I. valde probabili illatione colligitur, Paulum Laodicenſes nunquam de facie cognoviſſe, ideoque Evangelium nunquam iis prædicaſſe.

XIII. Tandem Corintho in *Syriam* ſoluturus, vale dicto fratribus, CENCHREAS cum Priſcilla & Aquila venit. Cenchreæ autem dicitur portus Corinthiacus, ex parte maris Ægæi ad Orientem, vel ad ſinum Soranicum. Ubi aliquis ipſorum *caput totondiſſe dicitur: habebat enim votum.* Paulus an Aquila caput totonderit, ex ſermone Græco certo affirmari non poteſt. Non nulli vero propius exiſtimant, de Aquila hoc dici, ex eo quod uxorem viro Lucas præpoſuerit: cujus ordinis (quum aliàs non ſolet) hanc eſſe rationem, ut intelligeretur, participium κειράμενος ad Aquilæ nomen, cui protinus conjungitur referri; quod non fieret, ſi Aquilam antepoſuiſſet. Cui obſervationi & hæc accedit, quod probabilius talis voti conceptio & ſolutio Aquilæ adſcribatur, Judæo & Judaicis ritibus addictiori, quam Paulo, qui nulla nunc ſe eorum religione teneri perſuaſisſimus erat. Alii tamen de Paulo malunt intelligere: quem Judæis, ad quos venturus erat, hoc dediſſe putant, ne qui ex illis adhuc infirmi erant, illum legis inimicum, ut vulgo ferebatur, exiſtimarent. Certe votum hoc cerimoniale non fuiſſe privatim ab eo conceptum, ut Deo cultum aliquem præſtaret, extra dubium eſt. Abſurdum enim fuiſſet ea religione, qua omnes alios ſolvebat, ſuam ipſius conſcientiam obſtringere. Se igitur totondit non alium ob finem, niſi ut Judæis adhuc rudibus, & nec dum bene edoctis, ſe accommodaret: quod & deinceps Hieroſolymis feciſſe legitur Act. XXI: 26. Ita fere *Calvinus.*

XIII. Cenchreis, qui portus Corinthi eſt, ſive Paulus, ſive Aquila, totondit caput.

XIV. At votum hoc ſive Paulo, ſive Aquilæ, quale fuit? Plerique intelligunt de voto *voluntarii Naziræatus*, poſt trigeſimum diem cum depoſitione comæ finiendi, ex lege Num. VI: 18. Obſtare quidem videtur, quod ex ea lege, quamdiu in deſerto erat populus, capillus radendus eſſet apud tentorium; poſt poſſeſſam terram, Hieroſolymis, accedente victima; hoc autem

XIV. Propter votum. An ſacrum Naziræatus? An civile peregrinantium?

autem qualecunque fuerit, factum narretur Cenchreis. At respondet *Grotius*, præcepta ista, ut & alia de sacrificiis, eos non obligare qui extra Judæam agebant. *Petitus vari. Lect. Cap.* III. expresso Maimonidis testimonio probat, necessarium non fuisse ut Nazaræus qui pollutus fuerat, caput suum raderet ad ostium tabernaculi, verum etiam legi fecisse satis, si die a pollutione septimo comam deponeret intra provinciam. Tanti tamen ea difficultas visa est *Salmasio*, ut de Sacro Naziræatus voto intelligi posse neget; quod votivus capillus esset deponendus Hierosolymis, & supponendus ollis pacificorum. Mavult igitur civile fuisse votum, quod sumserat vel Paulus vel Aquila; qualia multa faciebant Judæi: non ante capillum tondebo, quam ad illum locum pervenero. Quæ vota erant peregrinantium. Ita Paulus, inquit, votum fecit tondendi capilli, ubi Cenchreas pervenisset. At cum pace Viri Illustris, mihi quidem præter rem id dici videtur. Non enim eo tempore ita peregrinabatur Paulus, ut Cenchreas pro itineris sui meta haberet. Annum integrum & semestre Corinthi fuerat moratus, cujus urbis portus, uti aliquoties diximus, Cenchreæ erant, inde in Syriam navigaturus. Alia res esset, si vovisse Paulum legeremus non tonsurum sese caput antequam venisset Hierosolymam.

XV. Petiti interpretatio singularis.

XV. Aliam igitur sibi viam tentandam esse credidit Doctissimus *Petitus*: existimans, verba ista, *nam habebat votum*, non continere caussæ dationem ob quam tonderet caput, sed potius, ob quam navigaret in Syriam. Nimirum in Syriam navigavit, ut festum Hierosolymis ageret, atque istud est quod voverat Paulus. Itaque paullo post Ephesiis dicebat, *oportere omnino* ut festum diem, qui instabat, ageret Hierosolymis. At vero, quare id *oportebat omnino*? Non utique propter legem illam Mosaicam, qua cavetur de tribus festis in Urbe ista celebrandis: nam biennium fere Corinthi, & triennium Ephesi commoratus est, nec Hierosolyma tunc petiit ut festa agitaret. Totaigitur illa necessitas, non aliunde quam ex voto est. At quorsum historiæ profectionis Pauli Hierosolyma inserta sunt ista, κειράμενος τὴν κεφαλὴν ἐν κεγχρεαῖς; & quæ causa Paulo tondendi capitis? Respondet doctissimus *Petitus* in hanc fere mentem: solemne Paulo fuisse *Judæis fieri ut Judæum, iis qui sine lege sunt acsi & ipse sine lege esset* 1 Cor. IX. ideoque se utrisque prudenter accommodasse: quamdiu apud Corinthios fuit, aluisse comam; nam apud Græcos id erat hominis ingenui: contra vero quum Corintho profecturus esset Hierosolyma, antequam e portu solveret, comam deposuisse, & caput strictim totondisse, pro more Judæorum: ut qui habitu capitis donec Corinthi fuit Corinthios retulit, idem etiam Judæos referret, ad eorum accedens metropolim. Quæ quidem ingeniosiora mihi visa sunt, quam ut Lectorem meum iis fraudarem; at neque dissimulo, receptam interpretationem, ob simplicitatem suam, animo magis meo allubescere: eam imprimis, quæ tam votum, quam

capitis

capitis tonsionem, ad *Aquilam* potius quam *Paulum* refert. Qua unica observatione omnis ille quæsitæ eruditionis apparatus sponte sua ruit.

XVI. Paulus igitur cum Priscilla & Aquila e Cenchreensi portu solvens EPHESUM appellit: quæ *Stephano* est πόλις Ἰωνίας ἐπιφανεστάτη, *Plinio alterum lumen minoris Asiæ*, civitas mercatoria, admodum frequens & opulenta. Situ etiam oportunissimo: in extremo litore Asiæ Minoris, versus Occasum, & ferme etiam Meridiem, ut illac transeundum fuerit navigantibus ex Syria atque Ægypto, in Græciam, Macedoniam & Pontum, ac contra: itemque ex Asia Minore Romam, ac vicissim. Quoniam igitur ob mercaturam & magnitudinem, tum etiam ob navigationis commoditatem, maxima ibi semper erat hominum frequentia; vix ullus erat Apostolo oportunior locus, ubi multos simul docere ac convertere, & per illos conversos porro late terrarum spargere Evangelium potuerit. Eisdem commoditatibus atque occasionibus verisimile est, ipsum quoque Johannem Evangelistam motum fuisse ut diutissime ibi docuerit. Atque hæc est caussa, cur Paulus, quamvis Hierosolyma properans, aliquantum ibi substiterit, & ingressus Synagogam disseruerit cum Judæis. Rogantibus autem ut diutius apud ipsos maneret non annuit; *omnino oportere* asseverans, *ut instantem diem festum*, forsan Paschatis, Hierosolymis ageret: reversurum tamen iterum ad eos, Deo volente, pollicitus. XVI. Paulus in transitu Ephesum solum salutat.

XVII. Valedicens igitur eis, & Aquila ac Priscilla ibi relictis, cum reliquis comitibus *Cæsaream* navigavit, eam nimirum quæ *Stratonis* dicitur. Inde adscendit ad salutandam Ecclesiam, scilicet *Hierosolymitanam*, quæ κατ' ἐξοχὴν ita vocatur. Paucis oppido in narranda hac historiæ parte Lucas defungitur. Prorsus credibile est, singulare aliquid fuisse quod Paulo tantum Hierosolyma videndi desiderium ingeneraverit. Quid vero illud fuerit, conjectu difficile est. Colligere tamen licet, non diu eum Hierosolymis substitisse. Forte, inquit *Calvinus* noster, quia successus rerum quas agitabat spei ejus & voto non respondit. Propere itaque descendit *Antiochiam*. Unde, post moram aliquam, *Phrygiam* ac *Galatiam* peragravit: nusquam otioso aut sterili itinere, sed ubivis locorum discipulos in fidei ac pietatis constantia confirmans. Habebant sane suos quibus proficerent doctores; sed quo major erat Pauli auctoritas, & quo excellentiore pollebat spiritu, eo ex ejus præsentia insignior accessit confirmatio; eo magis quod in fundandis primum Ecclesiis princeps fuisset architectus. XVII. Inde Cæsaream, & Hierosolymam profecturus, indeque reversurus in Asiam.

XVIII. Dum ipse in itinere est, Ephesum venit vir quidam gente Judæus, patria Alexandrinus, nomine *Apollos, vir eloquens*, non vana illa eloquentia, quæ ex ampullis verborum, & sermonis fuco, & artificioso dicendi genere, ad pompam & ostentationem comparata, sed quæ rerum tractandarum naturæ conveniens, ad docendum ac persuadendum maxime idonea est. Ac nequis profanam pomposamque suspicetur facundiam, addit XVIII. Interim Ephesum venit Apollos, vir egregius, ab Aquila Christia-

nam fidem accuratius edocendus.

Lucas *Potentem fuisse in Scripturis*, earum ita peritum, ut non verba solum, sed & vim atque efficaciam tenuerit, eamque ad veritatem asserendam, & retundendas fallacias, valide adhibuerit. Hic non nisi Christianismi rudimentis initiatus, neque ultra quam docuerat Johannes, fervens tamen zelo, ea quæ didicerat de via Domini, & ratione consequendæ salutis, sedulo cum aliis communicabat, libere in Synagoga loquens. Quem quum pro suo captu facunde perorantem audivissent Aquila & Priscilla, secum sumsere, familiari commercio de via Domini exactius informaturi. O præclara utrimque germanæ ac priscæ simplicitatis exempla! Quam sibimet ipsis addicti non fuerint Aquila & Priscilla, neç alienæ invideant virtuti, hinc apparet, quod lubentes privatim tradant homini facundo, quæ deinde in publicum proferat. Non pollebant eadem qua ille dicendi gratia: quem vident eloquentia melius instructum, eum ex sua adjuvant scientia; adeo ut ipsis in cœtu silentibus ille audiatur. Rursum, quam admirabilis est modestia Apollo, qui tantis pollens dotibus, se non solum ab opifice manuario, sed & a fœmina, doceri atque expoliri passus est?

XIX. Ephesso Corinthum profectus.

XIX. Accuratius igitur de rebus Christianismi instructus, in Achaiam transire constituit. Quod consilium quum probaretur fratribus, literis eum suis Corinthiæ Ecclesiæ commendarunt: cui facundia ac zelo suo plurimum contulit; dum & suppetias minus bene instructis tulit ad frangendam hostium pervicaciam, simulque subsidio fuit, ne fides ipsorum, hostium contradictione perculsa, labasceret. Nam vehementer Judæos publice revincebat, ex collatione scripturarum probans, Jesum esse promissum patribus Messiam.

XX. Ubi tanta cum auctoritate docuit, ut scissæ Ecclesiæ pars aliqua ab ipso denominaretur.

XX. Ea porro eruditionis & facundiæ fama, ea etiam auctoritate Corinthi docuit Apollos, ut Ecclesiæ in partes scissæ pars aliqua ab ipso fuerit denominata. Qua de re queritur Paulus. 1 Cor. I: 11, 12. indicatum sibi esse scribens a domesticis Chloës, quod in Ecclesia Corinthiaca lites forent, & hic quidem se *Pauli* esse diceret, alter autem *Apollo*, tertius *Cephæ*, quartus *Christi*. Nullus equidem dubito, quin hæc de iisdem intelligenda doctoribus sint qui suis insigniuntur nominibus. Eo enim & singulorum verborum simplicitas, & totius sermonis atque argumentationis Paulinæ ἀλληλουχία ducit. Neque ullum secus sentiendi argumentum est præter id quod dicitur. 1 Cor. IV: 6, *Ταῦτα δὲ μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλώ. hæc figura quadam transtuli in me & Apollo*. Verum ibi de alia re agitur, & Apostolus de ministrorum officio ac fide disputans, & ratione olim reddenda Deo, modestiæ caussa se & Apollon pro exemplis dat, ne quis ipsos propter ministerii dotiumve excellentiam communi obligationi exemptos arbitraretur. Inquirendum itaque restat, quænam fuerit dissidii & denominationis inde ortæ occasio aut caussa. Non male rem concepisse videtur Doctissimus *Lightfootus*; observans Ecclesiam Corinthiacam fuisse bipartitam,

titam, ac constitisse partim Judæis, partim Gentilibus conversis. Pars gentilitia forte Pauli nomen præferebat, ut Patris ac Patroni Christianorum ex gentibus, & ab Aquila & Priscilla, Pauli discipulis, edocta. Pars altera, Cephæ, qui circumcisionis Apostolus & circumcisorum fautor erat, ac Christi, qui & ipse non nisi Judæis prædicaverat. Utraque iterum bipartita fuisse videtur. Ex gentibus quidam Paulum præcipue laudaverunt, utpote primum apud ipsos Evangelii fundatorem, cujus sermo simplex & stilus humilis, tradendis doctrinæ Christianæ rudimentis per quam idoneus, ipsis res non verba sectantibus apprime placuisset. Alii Appollon prætulerunt, ut doctorem profundiorem, elegantiorem, comtiorem: quippe qui ad sublimiores ipsos meditationes eveheret, & simul oratorio magis dicendi genere uteretur. Qui vero ex Judæis erant eorum aliqui Petrum maxime coluerunt ob rationem modo allegatam: alii Christi nomen prætenderunt, fortasse ipsum in Doctorum ordinem redigentes, eoque gloriantes quod coram in plateis suis prædicantem audiverint. Nihil enim impedit, quo minus tales aliquot Judæi Corinthi tunc extiterint. Paulus quamvis improbet factiosas ejusmodi denominationes, tantum tamen abest ut invideat Apollon sibi æquiparari, & a quibusdam atque in quibusdam anteponi, ut contra in laudes ipsius exspatietur, nihilque magnifice de ipso sentiri vetet, modo ne excedantur limites ministri.

SECTIO VIII.

De iis quæ a Paulo gesta sunt Ephesi.

BREVIARIUM.

I. *Pauli collatio cum* XII *discipulis Johannis.* II. *An hi post Pauli informationem iterum baptizati sint?* III. *Beza & Coccejus cum multis recentiorum putant Act.* XIX: 5. *non intelligi baptismum qui Ephesi, jubente Paulo, sed qui in Judæa olim a Johanne administratus sit.* IV. *Lightfootus probat non esse rebaptizatos.* V. *Vossii super ista interpretatione judicium.* VI. *Nihil lucrantur hodierni Anabaptistæ, etiamsi rebaptizati esse statuantur.* VII. *Paulus fideles a rebellibus Judæis segregat.* VIII. *Et relicta Synagoga disputat in Scholâ Tyranni.* IX. *Per biennium: quamvis alibi triennium laudet* X. *Ingentia Pauli miracula.* XI. *Vetus Hebræorum superstitio, carminibus pelli posse dæmones; ejusque artis magistrum fuisse Salomonem.* XII. *Ejus generis fuerunt adjurationes filiorum Scevæ.* XIII. *Sed quæ pessime iis cesserunt.* XIV. *Quo exemplo multi Ephesiorum a pravis artibus avocati sunt.* XV. *Consilia variorum itinerum quæ Paulus animo agitavit.* XVI. *Tumultus Demetrii.* XVII. *Prudenti Scribæ oratione feliciter sedatus.* XVIII. *Apollonius Tyanæus.* XIX. *Ephesi præstigiis suis Christianæ fidei adversatur.* XX. *Epistola prior ad Corinthios Ephesi data.* XXI. *Non videtur absolute prima esse.*

esse. XXII. *Lightfooti variatio.* XXIII. *Pauli adversus bestias pugna fabulose a Nicephoro narrata.* XXIV. *An proprie intelligenda.* XXV. *An parabolice.* XXVI. Ἐπίκρισις. XXVII. *Incestus Corinthiacus Satanæ traditus.* XXVIII. *An Ecclesiastica Excommunicatione.* XXIX. *An speciali potestate Apostolica.* XXX. Ἐπίκρισις. XXXI. *De Epistola ad Titum.* XXXII. *Et illa ad Galatas.*

I. Pauli collatio cum XXII discipulis Johannis.

DUm Corinthi agit Apollos, Paulus peragratis *superioribus partibus*, Septentrionalibus; *Ponto* & *Bithynia*, promissi memor, EPHESUM redit. de qua urbe nuper dixi Sect. VII. §. XVI. Ephesi autem incidit in *discipulos quosdam*, non Apollo, uti arbitror: is enim non desiisset accuratius ipsos de Christianæ religionis mysteriis informare; sed, quod ipsi profitentur, *Johannis Baptistæ*, non nisi tenuibus veræ doctrinæ elementis imbutos. Quos interrogat, *ecquid Spiritum Sanctum accepissent postquam crediderunt*: illi vero negant audivisse se, *Sitne Spiritus Sanctus*. Respondent ex catechesi majorum, qua edocti, erant a morte Ezræ, Haggæi, Zachariæ, & Malachiæ, Spiritum Sanctum ab Israëlitis fuisse ablatum. *Juchasin fol.* 16. Porro restitutum deinceps esse, negant sibi compertum. Palam est, non de persona Spiritus S. sed de singularibus & visibilibus illius donis utrimque sermonem esse. Pergit rogare Paulus, *in quid ergo baptizati estis?* id est, a quo & quam doctrinam edocti; quamnam baptismi susceptione professi estis? Respondent, *in Johannis Baptisma*. Apposite. Significant enim se in baptismo professos fuisse doctrinam a Johanne prædicatam, & adhibito baptismo, quo & ipsi baptizati fuerant, sancitam: unde & Christum agnoverant, sed tenuiter admodum, non audito ipso Christo, vel ejus deinceps Apostolis: ut mirum non fuerit, illos, audito tantum Johanne baptizatos, posteaque in patriam reversos, illum Spiritum Sanctum ignorasse, qui in Ecclesiam, non nisi post Christum in cœlos assumtum, die Pentecostes primum fuit effusus. Sic enim, *Beza* notante, optime cohærent omnia. Ea occasione exponit eis Paulus scopum baptismi Johannis, indolemque doctrinæ illius; quæ ad pœnitentiam quidem ducit, fidemque in Messiam jam jam præsto futurum; attamen ipsius Evangelii doctrina aliquanto inferior atque imperfectior erat, neque comitata iis Spiritus S. donis quæ Evangelii fidem & Christi baptismum consequi solent. Neque dubitandum est, quin prolixiori ista sermone fuerit prosecutus. Quibus auditis, baptizati sunt, non solum in baptisma Johannis, sed & in nomen Domini Jesu. Non a Paulo, qui non nisi rarissime baptismum sua administravit manu; sed potius a Presbytero aut Diacono aliquo, Pauli comite. Paulo autem manus ipsis imponente, in omnes, qui numero circiter duodecim erant, venit Spiritus Sanctus, adeo ut incognitis hactenus linguis loquerentur, ac prophetarent. Act. XIX: 1—7. Hæc a multis creditur plana ac constans esse veterum omnium interpreta-

tio,

tio, quæ ſpote ſe animo, ſolam hanc hiſtoriam attendenti, inſinuare videtur.

II. Cæterum quia furioſi quidam homines, Reformationis primordia maleſanis dogmatibus conſpurcantes, loco hoc, ad eum quem in Eccleſiam invectum cupiebant Anabaptiſmum conſtabiliendum, abutebantur; hanc operam ſibi datam eſſe Reformatores crediderunt, ut eum ipſis prætextum quavis ratione eriperent. Nonnulli igitur cum veteribus perſuaſi, illum a Luca baptiſmum deſcribi cujus diſcipuli iſti eo tempore Epheſi participes facti ſint, jubent illud non de aquæ externo, ſed de interno Spiritus baptiſmo intelligi. Sic *Calvinus: Quidam negant iteratum fuiſſe baptiſmum: quod perperam baptizati forent ab aliquo Johannis ſtulto æmulatore. Sed quia nihil habet coloris eorum conjectura, imo potius innuunt verba Pauli, veros & germanos fuiſſe Johannis diſcipulos, huic ſententiæ ſubſcribendum nobis non eſt: & tamen iteratum fuiſſe negamus aquæ baptiſmum*, QUIA NON ALIUD SONANT VERBA LUCÆ QUAM SPIRITU FUISSE BAPTIZATOS.

II. An hi poſt Pauli informationem iterum baptizati ſint?

III. *Beza* autem maluit credere non eſſe verba Lucæ, narrantis quid factum ſit *Epheſi* poſt ſermonem *Pauli*; ſed verba *Pauli*, narrantis quid factum ſit *in Judæa*, ſub miniſterio *Johannis*. Hoc ſenſu: Johannes μὲν QUIDEM baptizavit baptiſmo reſipiſcentiæ, dicens populo ut crederent in Chriſtum Jeſum: qui δὲ VERO Johanni, baptiſmum illum docenti, crediderunt, illi a Johanne baptizati ſunt in nomen Domini Jeſu. *Etenim*, ſic argumentatur præſtantiſſimus Interpres, *particula δὲ, quæ in Græcis omnibus codicibus ſummo conſenſu legitur, & particulæ μὲν neceſſario reſpondet, nullo modo, nullo, inquam, modo patitur ut hujus orationis ſeriem diſcerpamus, quaſi prior pars Paulo, poſterior ſit ipſi Lucæ ſcriptori tribuenda. Ergo hæc quoque Pauli verba ſunt, tum doctrinam a Johanne quidem annunciatam, ab iſtis vero fide apprehenſam, ut vere Evangelicam, tum etiam Baptiſmum iſtis collatum, ut vere Chriſtianum, approbantis.* Hæc Beza. Eandem interpretationem inſigniter illuſtravit & confirmavit Cl. *Coccejus. Verſus*, inquit, 4, 5, 6. *ſunt verba Apoſtoli Pauli, quibus docet, tum de prædicatione Johannis, tum de fide eorum qui per ipſum baptizati ſunt. De prædicatione Johannis docet, eum prædicaſſe pœnitentiam in fide Jeſu ut Chriſti, h. e. Filii Dei, Redemtoris, & facultatem habentis baptizandi Spiritu Sancto: quodque reſipiſcentibus & credentibus in Chriſtum dederit baptiſmum ut ἐπερώτημα. De baptizatis teſtatur, quod baptizati ſint in nomen Jeſu Domini, &c. Verſus autem quartus quinto reſpondet: quod etiam indicant particulæ μὲν & δὲ, quæ ſunt copulativæ. Tum etiam id ex eo liquet, quod* ℣. 6. *demum exprimitur nomen Pauli, quemadmodum &* ℣. 4. *Duo igitur attribuuntur Paulo a Luca continuo ordine.* I. *Verba quædam dixiſſe.* II. *Manus impoſuiſſe. Quod ſi illos baptizaſſet, nomen illius expreſſum fuiſſet.*

III. Beza & Coccejus cum multis recentiorum putant Act. XIX: 5. non intelligi baptiſmum qui Epheſi, jubente Paulo, ſed qui in Judæa olim a Johanne adminiſtratus ſit.

IV. Neque rebaptizatos fuiſſe iſtos Johannis diſcipulos, ſollicite ſibi probandum ſumſit Doctiſſimus *Lightfootus in Chronico Temporum ad Act.* XIX: I.

IV. Lightfootus probat non

esse rebaptizatos. XIX: 1. p. 82. Atque his quidem argumentis. I. *In quem finem denuo baptizarentur, qui per priorem baptismum in professionem Evangelii, & Christi, recepti fuissent, quo usque per eam doctrinam, per quam recepti fuerant, fieri potuit; defectio* (maluissem dicere, *transitus*) *a Judaismo ad Christianismum baptismum quidem flagitabat, non plenior Evangelii cognitio, quum in ejus professionem prius fuissent baptizati. Quoties baptizandi forent ab Apostolis, si quivis insignis profectus, quem in scientia, & fide Christi fecerint, novum denuo baptissimum efflagitaret aut admitteret?* II. *Si hi denuo baptizati essent, tum etiam omnes in Johannis baptismum baptizati, cognitionem* JESU *adepti, rebaptizari tenebantur. Verum ea res, de qua in S. litteris altum silentium, fide digna non est. Neque Apostolos per Johannem baptizatos denuo baptizatos fuisse, quisquam sanus asseverabit. Quis enim ipsos in nomine Jesu baptizaret, quum Jesus neminem baptizaret?* Joh. IV: 3. III. *A Johanne baptizati in resipiscentiam, & professionem Christi baptizati fuerant. Nisi ergo differentiam ponamus inter baptismum fidei, & resipiscentiæ, & inter baptismum in nomen Jesu, & in nomen Christi, haud facile erit causam assignare ob quam hi denuo baptizandi forent.* Sic Lightfootus.

VI. Vossii super ista interpretatione judicium. V. Sed appingere lubet κρίσιν *Gerardi Johannis Vossii*, ex *Disput.* VIII: *de Baptis: Thesi* XXXIII. *Sententia illa quæ μὲν & δὲ ad Pauli sermonem refert, atque inde statuit, semel duntaxat fuisse baptizatos, admodum est novella: quippe nata me nato. Primum enim auctorem habet Nobilissimum & raræ doctrinæ virum* Philippum Marnixium, S. Andelgondiæ dominum .... *Ab eo se accepisse agnoscit Reverendus & Clarissimus* Theodorus Beza. *Illum secuti magno numero viri multi præclari.* Ad argumentum vero desumtum ex particulis μὲν & δὲ, quæ nisi pertineant ad verba Pauli, sermo ejus fuerit ἀνανταπόδολος, respondet *Vossius*: *Quasi non multa ejusmodi sint apud Apostolum, imo & alios, etiam Latinos. Nempe ex particulis μὲν & δὲ, sive* quidem *& vero, ac similibus, interdum altera reticetur: ut quum apud Terentium est* tamen, *nec antecedit* licet, *aut* quidem: *sicut observat Donatus in Andr.* VIII: *ubi ἀνακόλουθον appellat.* Non absimiliter *Grotius*: *Non cohæret hoc μὲν cum eo quod sequitur ἀκούσαντες δὲ, ut multi putarunt; sed positum est per ἀποσιώπησιν, ut supra cap.* III: 21. Ad id vero quod Pauli nomen ℣. 5. exprimi debuisset, si ipse baptizasset eos de quibus sermo est, responderi posset, quod idem observavit Vossius, *non fuisse illos baptizatos a Paulo, qui vix ullum baptizare solet; sed per Diaconum, aliumve Christianum.*

VI. Nihil lucrantur hodierni Anabaptistæ, etiamsi rebaptizati esse statuantur. VI. Addit *Vossius*, per receptam illam veterum interpretationem nihil lucrari Anabaptistas: *Nam etsi uterque baptismus, tam Johannis quam Christi, ratione οὐσίας recte unum baptisma dicatur, tamen quum etiam inter ea discrimen sit,* nomine diffitente; *satis liquet, non, si concedamus a Johanne baptizatos iterum fuisse baptizandos ab Apostolis, eo sequi, Christi baptismate baptizatos, iterum immergi oportere.* Quod fusius illustrat Thes. XXX. Sed tota Disputatio lectu dignissima est. At neque Bezæ illud improbatum, ita commentanti.

tanti. *Iterationem autem baptismi etiamsi concederemus, minime tamen inde possent colligere fanatici Anabaptistæ interandum Christi baptismum.* In tanta interpretationum discrepantia non lubet mihi nunc sedere arbitrum. Id unum dicere liceat, non periclitari ullum religionis Christianæ articulum, utramvis interpretationem sequaris. At non vacat nobis diutius huic rei inhærere, Pauli historiam prosecuturis.

VII. Paulus fideles a rebellibus Judæis segregat.

VII. Qui insigni hoc miraculo oportunam propagandi Evangelii occasionem nactus, mox tum inter Judæos Ephesi commorantes, tum inter gentes munus suum impigre capessit. Et primum quidem more suo Synagogam est ingressus, libere loquens, sine ambagibus, disputans ac suadens ea quæ ad regnum Dei pertinent; ita ut non modo solidis rationibus dogmata sua confirmaret, & adversus contradicentium objectiones tueretur, sed & patheticis exhortationibus stimulos adderet. At Judæorum plerique in pertinaci incredulitate sua antiquum obtinentes, nihilque præter carnale Messiæ regnum somniantes, quidquid de spirituali regno Dei a Paulo disputabatur, magna audacia contemserunt, & de sacro Evangelii instituto male locuti sunt coram multitudine. Nam huc tandem se projiciunt Evangelii contemtores, ut quod ipsi amplecti nolunt, illud hostiliter etiam apud alios oppugnent. Cupiunt enim, si fieri possit, omnes habere ejusdem impietatis socios. Paulus igitur frustra se iis convertendis operam impendere animadverso, digressus ab iis est, simulque veros Christi discipulos a malevolis illis segregavit: tum ne qui illorum malitia corrumperentur: tum ne impotentioribus rixis ad nihilum profuturis suppeditaret ansam: tum denique ut secessu isto aculeum, si pote, rebellium, ita suas sibi res habere jussorum, animis infigeret.

VIII. Et relicta Synagoga disputat in Schola Tyranni.

VIII. Relicta ergo Synagoga disputavit in *schola Tyranni* alicujus. Qui locus quis fuerit, & unde origo nomini, plane incertum est. Nonnulli suspicantur, fuisse secessum magnatis alicujus, in quo solitus fuerit otiari; quandoquidem *schola* Græcis *otium* notat. A quo non valde abludit versio Æthiopica, quæ, interprete *Ludovico de Dieu*, habet *coram prætorio & præsidibus*. Vult σχολὴν Τυράννου fuisse Prætorium, ubi præsides convenirent, apud summum scilicet tyrannum & urbis principem. *Calvino* credibile est, fuisse gymnasium olim extructum sumtibus tyranni, & urbi donatum. Ego facile iis assentior qui *Tyrannum* pro proprio viri alicujus nomine habent, qui Sophista aliquis scholæ Ephesinæ fuerit: an, quod *Casaubonus* conjectat, idem ille de quo Suidas, Τύραννος, σοφιστής, περὶ στάσεων καὶ διαιρέσεως λόγου βιβλία δέκα, an, quod *Pricæo* hariolari lubet, ita forsan dictus, quod vi eloquentiæ auditores ageret ferretque; ego me juxta cum ignorantissimis ignorare lubenter profiteor. Neque ut sciamus nostra quidquam interest. Sufficit, Paulum Ephesi loco idoneo, publice noto, & sapientiæ studiis destinato, conventus suos habuisse. Idque per *biennium*.

IX. Tol-

IX. Per biennium: quamvis alibi triennium laudet Paulus.

IX. Tollendum hic obiter ἐναντιοφανές. Hoc loco *biennium* attribuitur commorationi Pauli apud Ephesum. Paulus autem ipse postmodum valedicens Ephesinæ Ecclesiæ presbyteris, ita eos compellat: Cap. xx: 31. *Memores estote me per triennium nocte & die non cessasse cum lachrymis admonere unumquemque.* Sed conciliationis ratio non est admodum difficilis. Lucas enim illud solummodo tempus designat, quo Paulus docuit in schola Tyranni: quod biennium fuit. Paulus vero omne illud complectitur quod Ephesi exegit tam in priore quam posteriore suo ad istam urbem adventu. Biennio igitur modo laudato addi debent, primo tres menses quibus docuit in Synagoga ℣. 8. tum tempus illud quo Ephesi docuit a primo suo cum Aquila & Priscilla adventu Act. xvii: 18. Denique magna pars anni tertii pro anno habetur. Frustra vero non est quod temporis rationem constare nobis Lucas voluerit quod erudiendis in Schola Tyranni Ephesiis impendit Paulus; nimirum ut intelligeremus quomodo justo illo temporis spatio Evangelii fama per Asiaticos omnes, tam Judæos quam Græcos, longe lateque edita fuerit.

X. Ingentia Pauli miracula.

X. Cui auctoritatem magnam conciliaverunt miracula, Dei virtute, per Paulum edita. Adeo quidem ut sudaria seu semicinctia, a corpore ejus ad infirmos delata, & morbos & improbos spiritus pellerent. Act. xix: 8--12. Noluit Christus Paulum hac in parte inferiorem esse Petro, cujus umbra quidam fuere curati. Act. v: 15. Quod etiam Pauli sudariis sanavit Deus ægrotos, huc spectabat, ut qui nunquam hominen viderant, reverenter nihilominus absentis doctrinam amplecterentur.

XI. Vetus Hebræorum superstitio, carminibus pelli posse dæmones; ejusque artis magistrum fuisse Salomonem.

XI. Ingentibus illis & fere incredibilibus miraculis alterum accessit prodigium. Vetus erat in Hebræorum gente superstitio, malos genios qui non animos solum, sed & corpora quandoque miserorum mortalium obsidebant, carminibus quibusdam, sive adjurationum formulis, pelli posse. Ejus artis peritissimum magistrum fuisse Salomonem Regem, librosque ea de re scriptos posteritati commendasse, non Talmudici duntaxat nugatores finxere, sed, quod mireris, ipse Josephus tradidit. *Antiq. Lib.* viii. *Cap.* ii. *Quin & eam artem*, inquit, *divinitus consecutus est ad utilitatem & medelam hominum, quæ adversus dæmones est efficax. Incantationes enim composuit quibus morbi pelluntur: & conjurationum modos scriptos reliquit, quibus cedentes dæmones ita fugantur, ut imposterum nunquam reverti audeant.* Additque, hoc sanationum genus ad suum usque tempus plurimum apud populares suos pollere. Quin & confirmat recenti exemplo Eleazari cujusdam, in præsentia Vespasiani, & filiorum, & tribunorum reliquorumque militum, multos arrepticios curantis. Modus vero curationis erat hic: *admoto naribus dæmoniaci annulo, sub cujus sigillo inclusa erat radicis species a Salomone indicatæ, ad ejus olfactum per nasum extrahebatur dæmonium: &, collapso mox homine, adjurabat id ne rediret, Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inventas recitans.*

XII. Cæ-

XII. Cætera taceo: hæc suffecerint ad indicandum, cujus generis adjurationes istæ fuerint, quæ sub initium Evangelii viguerunt: tum quod vexationes istæ dæmoniacæ crebræ essent: tum quod Evangelii contra eas valentia prodigiosis se indiciis frequentissime approbaret. Non defuere igitur qui Apostolorum gloriæ æmuli suis se superstitionibus atque incantationibus idem effecturos promitterent, quod Apostoli præstabant per fidem in nomen Jesu. Aggressi id sunt circulatores quidam Judæi, exorcistarum sibi facultatem attribuentes, & nomine Domini Jesu, quem tamen sinceræ fidei obsequio pro Domino suo neutiquam agnoscebant, nequiter abutentes. Dicebant enim iis qui malis spiritibus infestabantur, *adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat.* In iis erant septem fratres, ex sacerdotali ordine, omnes filii Scevæ, quem *ἀρχιερέα primarium Sacerdotem* vocat Lucas. Non quod summus ille populi Israëlitici sacerdos esset: nullum enim talem Historia Judaica ea ætate agnoscit. Sed potius quod princeps fuerit unius ex viginti quatuor Sacerdotum classibus. Nisi quis cum *Seldeno* mavelit credere, interdum etiam *ἀρχιερέας* dictos fuisse, quibus ob majorum dignitatem, aut sanguinis proximitatem, spes erat ex jure recepto succedendi.

XII. Ejus generis fuerunt adjurationes filiorum Scevæ.

XIII. At pessime nefariis hominibus improba conamina cessere. Insiliens enim in eos spiritus improbus, Jesum quidem se agnoscere & Paulum scire professus, contumeliosissime ipsos habuit, & probe dedolatos, vulneratos, nudos, domo effugere coëgit. Conferri hoc cum iis meretur quæ nuper Philippis gesta esse memoravimus. Nam ut ibi detectæ dæmonis artes magnam veritati Evangelicæ conciliaverunt gloriam; ita & hoc loco Deo visum est misero exorcistarum exemplo diaboli fraudes & malarum artium imposturas detegere, ut animos, ab inanibus nugis avocatos, sibi soli ac veritatis studio consecraret. Voluit item Deus specimine isto demonstrare, virtutem suam nullo vocis sonitu vel characterum figuris esse inclusam; neque fas esse venerandum Filii sui nomen ad superstitiones trahere. Et profecto hic fuit fructus vindictæ istius quam de impio nominis Christi abusu sumsit Deus, ut religio omnibus Ephesi incolis, Judæis pariter ac Græcis, incussa sit, ne doctrinam proterve contemnerent, cujus vindicem se esse Deus tam illustri documento demonstraverat.

XIII. Sed quæ pessime iis cesserunt.

XIV. Percommode usu venit, ut, ita dispensante Numinis providentia, Ephesi ista acciderint. Fuit enim ea civitas curiosis istis artibus famosa; adeo ut Magica carmina *Ephesiæ Literæ* dictæ fuerint. Suidas: *Ἐφέσια γράμματα, ἐπωδαί τινες δυσπαρακολούθητοι.* quarum barbara quædam ac sensu carentia verba *Hesychius* allegat: cujus modi sunt, *ἄσκι κατάσκι, αἶξ τέτραξ δαμναμενεὺς ἄισιον.* Quoniam igitur eorum hominum qui *περίεργα* ejusmodi exercebant ingens semper Ephesi frequentia erat, prodigioso exemplo isto effectum est, ut multi eorum comportatos libros suos, quos avide olim lectitaverant, palam exusserint: ne vel sibi posthac, vel

XIV. Quo exemplo multi Ephesiorum a pravis artibus avocati sunt.

aliis noxam crearent. Non deterriti ingenti quo pridem constiterant pretio: subductis enim rationibus invenerunt ἀργυρίυ μυριάδας πέντε, h. e. Beza interprete, *denariorum quinquaginta millia.* Quæ quantum nobis valeant, aliis æstimandum relinquo, ipse rei nummariæ non veteris solum, sed & hodiernæ, imperitus ut qui maxime.

XV. Consilia variorum itinerum quæ Paulus animo agitavit.

XV. Interim dum hæc cum insigni Evangelii profectu peraguntur Ephesi, multa magnaque itinerum consilia animo agitabat Paulus; quæ ex collatione Scripturarum laudabili sagacitate sic collegit *Usserius.* Primum animum induxit Paulus peragrata Macedonia & Achaja proficisci Hierosolymam. Romam etiam dicens inde videre se oportere Actor. XIX: 21. Et quidem primo Corinthum videre proposuit, inde in Macedoniam proficisci, ex Macedonia rursus Corinthum, atque inde Judæam petere. 2 Cor. 1: 15, 16. ubi quum collectas ex Macedonia & Achaia mittendas pauperibus sanctis, qui Hierosolymæ erant consignavisset, Romam illinc proficisci instituit, atque inde iter facere in Hispaniam. Rom. XV: 24—28. Interim missis in Macedoniam Timotheo & Erasto ipse substitit ad tempus in Asia, Lydiaca scilicet, in qua per urbes Epheso vicinas Evangelium prædicavisse videtur; inde Ephesum reversurus, ubi ad Pentecosten usque permanere constituerat. 1 Cor. XVI: 8.

XVI. Tumultus Demetrii.

XVI. Quod tamen ejus consilium inopinatus quidam casus intervertit. Ortus enim illo tempore est tumultus non parvus super via Dei. Nimirum Demetrius quidam, argentarius Ephesinus, solitus erat facere ναὺς ἀργυρᾶς Ἀρτέμιδος, *templa argentea Dianæ,* quod *Beza* interpretatur de imagunculis seu nummis celeberrimi illius templi typum repræsentantibus; verius tamen est, ædiculas intelligi, in quas parva Dianæ simulacra recondebantur, templi Ephesini artificium referentes, quæ vulgo ab iis emebantur, qui Dianam Ephesinam invisebant. Tales enim ædiculæ *Polybio* ναΐδια, *Straboni* ναΐσκοι appellantur; uti *Casaubono* & *Salmasio* observatum est. Ex isto opificio quæstus Demetrio aliisque artificibus erat uberrimus. Quibus tumultuose convocatis, videtis, inquit, o socii, ex hoc quæstu non victum nobis suppetere tantum, sed & vitam nostram abundanter instrui; præsentaneus autem metus est, ne vel omnis iste proventus, vel maxima saltem illius pars nobis evanescat, si exitialem istam doctrinam, quam Paulus per totam Asiam disseminat, deos non esse qui manibus fiant, latius serpere patiamur: imo periculum est ne magnæ deæ Dianæ templum prorsus in contemtum abeat, ac vilescat ejus Majestas, quam Asia tota, & orbis terrarum colit. Sic religionem prætexit avaritiæ. Adeo verum est quod dixit olim *Epictetus:* ὅπυ τὸ συμφέρον, ἐκεῖ καὶ τὸ εὐσεβές, Quum autem cæteris idem animi quod Demetrio esset, auditis hisce ortus est inconditus clamor vociferantium: *Magna est Diana Ephesiorum.* Excitataque universali totius civitatis confusione irruerunt concorditer in Theatrum, &

Gajum

Gajum atque Aristarchum comites Pauli, obtorto collo eodem rapuerunt. Quos quum in maximo versari periculo Paulus intelligeret, pro innata sibi animi magnitudine, erga suos affectu & pietate, & zelo incredibili quo flagrabat ad tuendam Dei gloriam & Evangelii innocentiam, ipse quoque in Theatrum prodire ardebat, apologiam pro comitibus, pro se, pro Evangelio facturus. At prudenter impetum illum sufflaminabant non discipuli solum, sed & quidam ex *Asiarchis*, ipsi occulte faventes; qui missis nunciis rogarunt, ne se in theatrum daret. *Asiarchas* fuisse sacerdotum principes, & *ἱεράρχας*, qui non, ut rectores provinciarum, mittebantur ex proceribus Romanis ad regendam Asiam; sed ex ipsismet primoribus Asiæ, & opulentissimis civibus eligebantur ad edenda munera: quique non sacerdotum solum principes erant, aut unius civitatis, sed & consessus & consilii totius provinciæ primates habebantur, & cum sacerdotio simul magistratum gerebant; docuerunt nos Viri Illustres, Grotius & Salmasius. Interim turbata populi concione, plerique nesciebant cujus rei caussa convenissent. Ex turba vero productus est *Alexander* quidam propellentibus eum Judæis, qui silentio manu postulato, volebat defensione uti apud populum, pro Judæis scilicet. Facile inducor, ut credam, Alexandrum hunc non stetisse a Pauli & piorum partibus, sed potius fuisse pertinacissimum atque audacissimum Pauli & veritatis hostem, eundem cujus Paulus meminit 1 Tim. 1:20. & 2 Tim, IV: 14. Judæi eum *propellebant*, tanquam idoneum Pauli accusatorem, ut qui ipsius dogmata nosset omnia, & ab iis descivisset; & quem sperabant ita Judæos fuisse excusaturum, ut totam populi rabiem in Pauli & Christianorum caput fuerit conversurus. Verum obstitit provida Dei cura. Nam ut audiverunt Judæum esse, rursum clamor ortus est, uno ore ad duas horas vociferantium: *Magna est Diana Ephesiorum.*

XVII. Donec scriba prudenti sermone concitatos animos sedavit. Quem Lucas *γραμματέα Scribam* civitatis vocat, eum *Scholiastes Thucydidis*, observante *Grotio*, definit, *τὸν εἰωθότα ἐν τῷ δήμῳ τὰ τοῦ δήμου γράμματα ἀναγινώσκειν, qui solebat populo publica scripta legere.* Ad quod officium nemo apud Grajos admittebatur nisi honesto loco natus, & fide atque industria cognitus. Cæterum *Ludovicus de Dieu* ex glossario annotavit, quod *γραμματεὺς* vertatur per *tesserarium.* Tesserarius autem est qui tesseras tribuit, & militibus symbola dat. quod apud nos in urbibus præsidiariis Gubernatoris est, in aliis, primarii Consulis. Putat ergo, quum *γραμματεὺς* absolute dicatur, designari præfectum urbis Ephesinæ, cujus erat militibus symbola & munia præscribere. Ego ad credendum propendeo fuisse notæ auctoritatis virum, qui tali fere munere fungebatur, quali qui apud nos *Secretarii* dicuntur. In sermone ejus aliquam multa occurrunt ex Græca antiquitate exponenda. Uti est quod Ephesiorum urbem *νεωκόρον æditum Magnæ Deæ Dianæ* vocet, & *τοῦ διοπετοῦς a Jove delapsi simulacri.* Ad vocem

XVII. Prudenti Scribæ oratione feliciter sedatus.

νεωκόρῳ, annotavit *Erasmus*, compositam esse ex νεὼς, quod Attice sonat templum, & κορῶ *purgo* sive *verro*, auctoribus Hesychio, Etymologico, & Suida. Proprie ergo notat ejusmodi ministrum, qui templo everrendo, & purgando operam suam impendit. Quod porro ad eos transferri potest, qui numen illud cui dicatum est templum insigni religione venerantur. Unde vetus interpres νεωκόρον *cultricem* vertit. Verum ex Inscriptionibus deinde collegerunt viri eruditissimi, urbes quasdam Græciæ Νεωκόρων elogio insignitas fuisse ob ludos in honorem numinis alicujus editos. Sic in marmoribus Arundelianis, & in nummis sæpe: ut in illo, Μαγνησίων νεωκόρων Ἀρτέμιδος, & in alio, Ἐφεσίων δὶς νεωκόρων, καὶ τῆς Ἀρτέμιδος. Ad quæ Grotius; *bis νεωκόροι vocantur Ephesii, ob bis editos ludos in honorem Cæsaris, Dianæ autem perpetuos*. Confer *Petitum Variarum Lectionum Cap.* XXIX. Hoc igitur vult Scriba, præ omnibus Asiæ urbibus Ephesum in cultu Dianæ eminuisse, & superbo ejus Deæ templo, VII mundi miraculis annumerando, fuisse decoratam; idque sibi singulare habere quod concreditum ipsi esset τὸ διοπετὲς, *a Jove delapsum simulacrum*: subintelligitur enim ἄγαλμα. Fuit simulacrum Dianæ, quod nonnulli *ebenium*, Mucianus *vitigineum*, Vitruvius *cedrinum*, Xenophon autem non ex ullo ligno factum, sed *aureum* fuisse tradidit. Nunquam mutatum fuisse dicitur, quamvis septies restituto Templo. Credebatur, non humanæ artis opus esse, sed e cœlo delapsum; uti Romanorum *Ancile*. Quamvis *Mucianus*, apud *Plinium*, *Demonicon* aliquem illius artificem fuisse testetur. Sine dubio quia fabricatio ejus omnem memoriam excedebat, sacerdotes credulæ plebi persuaserunt, e cœlo prolapsum. Neque favorem populi commodiore sibi sermone conciliare poterat scriba, quam asseverando, omnia ista tam evidentis ac confessæ veritatis esse, ut contra dici nequeat. Non esse ergo rem quæ in controversiam debeat vocari. Atque eo orationem dirigere videtur, quasi persuasum plebi vellet, ne Paulum quidem cum comitibus suis contra disputare: negat sane sacrilegos esse, & recte: nam ne intraverant quidem templum. Negat etiam contumeliosos fuisse in Deam ipsorum; & hoc recte; si per contumelias intelligat ludicras, indecoras, profanas putatitii numinis insectationes, quæ sane ab Apostolica gravitate longe semper abfuerunt. Interim verum erat quod conquerebatur Demetrius, constanter eos docuisse, non esse pro Deo habendum, quod humana fabrefactum sit manu. Sed scriba scenæ servit, id unum allaborans, ut blandis dictis mulceat animos, leniat pectora, & quocunque tandem modo periculoso tumultui sedando efficax inveniat remedium. Quod & artificiosa oratione sua assecutus est: Paulumque cum sociis præsenti rabiei exemit.

XVIII. Apollonius Tyanæus.

XVIII. Hactenus Lucæ filum secuti sumus in iis exponendis quæ a Paulo apud Ephesum gesta sunt. Nunc & ea comportemus, quæ probabilibus rationibus aliunde colligi possunt, eodem tempore contigisse.

Sunt

Sunt sanæ viri eruditissimi qui credunt, una cum Paulo Ephesi vixisse, famosissimum illum gentium doctorem, ac tributis illis portentis ac præstigiis inclutum, *Apollonium*, Tyana Cappadociæ urbe oriundum, hinc *Tyanæum* dictum. Cujus vitam prolixe, ingeniose, & composita ad fallendum oratione conscripsit *Philostratus*, & de quo nos plura in *Exercitationibus de Miraculis Jesu.* Fingitur Apollonium istum fuisse αὐτοδίδακτον, ut omnes linguas sine humana institutione calluerit, cogitata & intima animorum habuisse explorata, prædixisse futura, indicasse occulta, ut quæ Romæ fierent, ea Ephesi, eodem temporis articulo, renunciarit, compedes sibi ipsi solvisse, dæmones pro imperio ejecisse, pestem grassantem avertisse, ægros sanavisse, &, nequid desit, suscitasse mortuos. Unde factum est ut ea larva sapientiæ, & portentosis in speciem artibus, Evangelii cursum aliquantulum sufflaminaverit; & *Hieroclem* Philosophum non puduerit, Christo ipsum æquiparare, imo & anteferre.

XIX. Hunc ipsum Apollonium magnum fuisse Pauli eo tempore adversarium, mercesque suas nusquam carius quam Ephesi vendidisse, non sine ratione a Viris eruditissimis traditum est. Operæ pretium erit differentem ea de re audire *Baronium Annal. T.* I. *ad An. C.* LVII. *Num.* 187. *p.* 506. *Præter hæc quæ à Luca & Paulo sunt scripta, si quis adhuc exactam habuerit temporis rationem, proculdubio inveniet hæc circa tempora impostorem istum, orbis illusorem, circulatorem dico Apollonium Tyanæum, venisse Ephesum: Philostratus enim ejus discipulus, & fabularum egregius concinnator, his primis Neronis annis, Ephesum primo, mox in Græciam, ac inde Romam, eodem imperante, venisse testatur, qui & præstigias, quas illum operatum esse dicunt Ephesi, in aliisque Asiæ ac Græciæ locis, vere an falso, describit tamen. Verum conatum fuisse diabolum his artibus Christianæ fidei obversari, prout olim in Ægypto coram Pharaone magi opera Dei per Mosem facta reddere irrita studuerunt, certum est. Cum enim viderentur eadem fere quæ à Deo per Paulum signa fierent, ab Apollonio factitari; atque suis ipsius artibus homines dementari; in quale putas veritatem fuisse discrimen adductam? nimirum ut Christianæ fidei hostes qualemcunque occasionem aucupantes, ejusdem generis esse, ex eodemque fonte prodire quæ a Paulo, ac quæ ab Apollonio agerentur, stulte jactarent; imo huic forte sua gloriosius ostentanti, quam Paulo submisso animo omnia operanti, plus tribuendum esse, impie affirmarent: quod ex eo facile potest intelligi, cum Apollonio ob propulsatam (quod ait Philostratus) pestem, ut Deorum alicui, Ephesii statuam erigerent, & Sacram rem facerent.*

XIX. Ephesi præstigiis suis Christianæ fidei adversatur.

XX. Sub finem biennii istius quod Paulus Ephesi exegit in schola Tyranni docens, scripta esse videtur prior ad Corinthios epistola, tum nimirum quum cogitabat ire in Macedoniam, & itineri se acingeret. Quod colligitur ex I Cor. XVI: 5. 8. col. cum Act. XIX: 21. Series historiæ ita sese habet, uti §. XV: diximus. Quum Ephesi statione propemodum sua defunctus

XX. Epistola prior ad Corinthios Ephesi data.

functus esset Paulus, animum induxit peragrata Macedonia & Achaia, proficisci Hierosolymam, unde se & Romam visurum esse sperabat. Hierosolymam autem cogitabat deferre eleemosynas, ex Macedonia & Achaia pro pauperibus Hierosolymitanis colligendas. Quæ ut paratæ forent, misit in Macedoniam Timotheum & Erastum: ipse vero substitit ad tempus in Asia, Act. XIX: 22. Orto interim in Ecclesia Corinthiaca schismate, de quo nuper, quibusdam se Pauli esse dicentibus, aliis Apollo, aliis Cephæ, aliis denique Christi; Apollos cum aliis fratribus Corinthiis ad Paulum in Asiam profectus est 1 Cor. XVI: 12. per quos ad Apostolum scripsere Corinthii, de caussa conjugii & cœlibatus eum consulentes. 1 Cor. VII: 1. Hæc occasionem Paulo dedere priorem illam ad Corinthios scribendi: qua errores qui in ipsorum Ecclesiam irrepserant corrigit, ipse se ad eos venturum significans, & quæ supererant ordinaturum, Cap. IV: 18, 19. & XI: 34. sed prius Ephesi usque ad Pentecosten permansurum. Cap. XVI: 5-8. Misit epistolam illam per Stephanam, Fortunatum & Achaicum, qui Corintho ad ipsum visendum venerant, Apollo tam cito redire renuente, ibid. 12. 17. forsan ne videretur favere factioni nomen suum venditanti. Confer *Usserium* p. 672. Ex quibus simul sumtis clare satis colligitur, Epistolam illam non Philippis esse datam, quod subscriptio vulgata habet, sed Ephesi.

XXI. Non videtur absolute prima esse.

XXI. Hactenus priorem ad Corinthios eam de qua nunc agimus epistolam vocavimus, in ordine ad eam quæ sequitur; an tamen omnium a Paulo ad eandem Ecclesiam scriptarum absolute prima sit, non immerito disquiritur. Disquisitioni caussam dedit Capitis quinti comma nonum. *Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini cum scortatoribus.* Unde colligunt, aliam præextitisse, in qua verba ista fuerint inventa, quoniam in hac non reperiuntur. Nec sine ratione. Nam I. Si hanc ipsam epistolam intellexisset Paulus, eaque verba in mente habuisset, quæ versu 7 exstant, non credibile est ipsum ea ambage fuisse usurum, qua rem, ex se cæteroqui claram, mera ambiguitate involvit; neque dixisset, scripsi ἐν τῇ ἐπιστολῇ, sed vel omnino illud omisisset, vel maluisset dicere, ἐν ταύτῃ τῇ ἐπιστολῇ. Certe omnium clarissime dixisset, scripsi vobis modo; si res de qua sermo est in proxime antecedente pericopa inveniretur. Nunc autem aliam omnino epistolam intelligere videtur; sicut eadem locutione simili mente utitur in sequente epistola Cap. VII. 8. *Nam etiamsi vos contristavi* ἐν τῇ ἐπιστολῇ, priori scilicet, hac ipsa de qua hactenus sumus locuti. II. Idem evincit particula νυνὶ, a qua incipit versus undecimus: NUNC *autem scripsi vobis.* qua præsens epistola ab alia antegressa distinguitur. Nam quamvis *nunc* aliquando particula transitionis sit; hic tamen apparet de scriptione præsenti agi, qua clarius explicetur præterita. Eodem argumento *Beza* utitur. *Si quis conferat cum* νυνὶ δὲ NUNC AUTEM, *vs.* 11. *mox sequente, comperiet hoc*

hoc omnino intelligendum esse, de quapiam alia epistola, quæ interciderit. Nec enim etiam probabile est, Paulum plures epistolas tot annis non scripsisse, quam quot hodie extant. III. Omnium vero evidentissime ex eo concluditur, quod verba ab Apostolo laudata in ea quæ etiamnum extat epistola non inveniantur. Neque quoad sonum, neque adeo quoad sensum. Erant enim verba ambiguitate quadam laborantia, non oportere hominem Christianum commisceri cum scortatoribus. Quod vel de omnibus omnino scortatoribus hujus mundi intelligi poterat, vel de iis qui sub fratrum nomine ea se labe conspurcaverant. Hoc se voluisse testatur Paulus, non illud. Ubi vero in tota hac epistola generalem ejusmodi admonitionem invenias, quæ speciali ista determinatione hic loci clarari necesse habebat? Nam quod ℣ſ. 2. & 7. dictum erat de tollendo e medio Ecclesiæ qui facinus hoc patraverat, & de expurgando veteri fermento, nulla istiusmodi ambiguitate laborat. Hæc eo nos ducunt, ut de alia quapiam epistola pene cogamur cogitare. In eandem sententiam commentantur *Calvinus*, *Pareus*, *Diodati*, *Grotius*, alii.

XXII. Addi meretur Doctissimi *Lightfooti* observatio: *ante scriptam hanc epistolam, datam Paulo fuisse occasionem non negligendam scribendi ad Corinthios. Nam Timotheum ad ipsos miserat, Cap.* IV: 17. *percommodum sane, uti monitorum suorum, ita & epistolæ latorem. Deinceps vero accesserant ad ipsum Stephanas, Fortunatus, & Achaias, totumque Ecclesiæ Corinthiacæ statum aperuerant, literasque ad eum tulerant, ad quas nunc respondet longe copiosius, ita ut præsenti epistola antegressam comprehendat, & veluti absorbeat, ne amissæ dolore nimium torqueamur.* Sic quidem *Lightfootus* in commentariis ad hunc locum. At longe aliter in *Chron. Temp. p.* 88. ubi hæc invenias: *Ea verba* ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ *perdifficilia sunt. Quidam hæc verba epistolam prius scriptam & deperditam innuere existimant. Verum hæc sententia minus convenit. Facilius esset, & regulis Grammaticæ magis conveniret, vocem* ἔγραψα *in hunc sensum exponere, q. d. scripsi, seu scripseram, vel scripturus eram in hac epistola, ne cum scortatoribus commisceremini, &c. jam vero de hoc incesti turpissimo facinore inaudiens, & hujus exempli discrimen perpendens, stylum acuens prohibeo non solum cum hujusmodi arctiorem communionem verum societatem communiorem, seu ejusdem mensæ participationem; eodem plane sensu, quo dictum fuerat* Matt. XVIII: 17. *Sit tibi quasi Ethnicus.* Adeo sibi ipsis disconveniunt aliquando Viri Doctissimi, in obscurarum quæstionum determinatione: prout animo magis minusve attendenti nunc hæ nunc adversæ rationes potiores esse videntur. Neque profecto in hac mentium nostrarum imbecillitate mirum illud est: nec temere alicui vertendum vitio. Quis enim ad primum se intuitum omnia tam liquido perspicere postulet, ut certus sit iterata meditatione non aliter menti esse observatura? Damus ergo hanc mutandi veniam petimusque vicissim.

XXII. Lightfooti variatio.

XXIII. Ex

XXIII. Pauli adversus bestias pugnæ fabulose a Nicephoro narratæ.

XXIII. Ex ista ad Conrinthios Epistola, aliquid Paulo Ephesi accidisse discimus, quod, quamvis valde memorabile sit, Lucæ tamen in hac historia, eo saltem modo, memoratum non est. Nimirum Cap. xv: 32. sic scribit Apostolus: *εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ, τί μοι τὸ ὄφελος;* *Si secundum hominem adversus bestias pugnavi Ephesi, quæ mihi utilitas?* Quæ verba an proprie an metaphorice intelligenda sint, multum discrepant Interpretes, qua Veteres, qua Recentiores. Historiam suo modo, id est fabulose, narravit *Nicephorus Lib.* 11: *Cap.* xxv. *Verum enim vero qui professiones Pauli descripserunt, cum quamplurima alia eum simul & fecisse, & passum esse, tum hoc quoque cum Ephesi esset, de eo memoriæ mandarunt. Quum enim ibi principem locum Hieronymus obtineret, multa cum libertate Paulus est concionatus. Quare Hieronymus illum bene quidem & diserte dicere, sed orationem ejus non esse eorum temporum testatus est. Plebs quidem certe, per insolentiam & furorem, Paulo compedibus injectis, carceri eum includit, donec leonibus vorandus obiiceretur. Ibi tum Eubula & Artemilla clarorum Ephesi virorum conjuges, fidem edoctæ a Paulo (noctu enim ad eum veniebant) divini lavacri gratiam ab eo petunt. Itaque virtute divina atque Angelici satellitii ministerio, caliginem noctis exuberantia splendoris illustrante, Paulus ferreis compedibus liberatus, illas divino baptismo ad littus maris initiat: & cum id nemo omnium, quibus custodiæ cura mandata fuerat, sensisset; ad vincula rursum sua, in quibus leonibus esca asservatur, rediit. Sed enim ingenti magnitudine & robore intolerando, Leo contra ipsum immissus, in arenam quidem ille procurrit: sed mox ad Pauli pedes consedit. Et cum itidem aliæ immanes feræ immitterentur, ne tangere quidem ulla sacrum corpus ad orationem erectum atque compositum sustinuit. His ita actis, derepente, fragore multo vehemens quædam & mirum in modum magna grando decidens, multorum simul & virorum & ferorum animalium comminuit capita, ipsiusque etiam Hieronymi aurem amputat: qui deinde cum suis per Paulum Deo conciliatus, salutiferum suscipit lavacrum. Leo autem iste profugus, in montes proximos evadit: & Paulus inde in Macedoniam & Græciam transmittit: mox rursum per Macedoniam vadens, Troadem & Miletum contendit. Atque inde tandem Hierosolyma proficiscitur. Mirandum vero non est, Lucam hanc Pauli cum belluis pugnam reliquis ejus actis non inseruisse. Nam etiamsi ex Exangelistis solus Johannes Lazari resuscitationem commemoret, minus tamen de fide veritateque ejus ambigendum. Scimus enim non omnes omnia scribere, credere, & nosse. Sed uti unicuique largitus est Dominus, & ut cuilibet dividit, & dispensat Spiritus, ita etiam intelligit, credit, & scribit spiritualiter ea quæ sunt Spiritus.* Hactenus Nicephorus.

XXIV. An proprie intelligenda.

XXIV. At præter quam quod hæc palam apocrypha ac fide indigna sint, nusquam dicit Paulus *se bestiis objectum* fuisse in escam, sed *pugnavisse cum bestiis*: quæ duæ prorsus diversæ sunt pœnarum species. Nam bestiis objecti protinus laniabantur, qui vero cum bestiis pugnabant, armati prodiere in arenam;

arenam; ut si robore & agilitate præpollerent, confectis bestiis evaderent. Paucissimi tamen evadere solebant. Qui enim unam confecerat feram, frequenter reposcebatur ad secundam: donec vel satiata esset spectatorum crudelitas vel versa in misericordiam, Ad supplicium illud vel damnatum fuisse Paulum, vel saltem ab Ephesina plebe postulatum, aliqui opinantur; isto nimirum tumultu qui narratur Act. XIX: 29. Quam sententiam probabilibus argumentis diligenter adstruxit *Hammondus ad* 1 *Cor.* XV: 32. ubi ita instituit: *Jam autem Paulum damnatum fuisse ad id supplicium, aut saltem plebem illum depoposcisse ad eas pœnas, tempore quo diximus, liquere potest,* I. *ex disertis ipsius verbis,* 2 *Cor.* I: 9. Ipsi apud nos decretum mortis habuimus, *à qua tamen Deus eum liberavit, ut subjicit.* II. *Ex phrasi* κατ' ἄνθρωπον, secundum hominem, *hoc est,* ὅσον τὸ εἰς ἀνθρώπους, quantum ad homines pertinebat, *ait Theophylactus, quod respondet loquutioni* ἐν ἑαυτοῖς, apud nos ipsos, *quæ in* 2. *ad Corinthios occurrit. Homines rem decreverant, sed Deus eum* ἀφήρπασε τῶν κινδύνων, eripuit periculo, *quod exprimit Paulus* resurrectione mortuorum, & liberatione ex morte illa, ℣ſ. 10. *Eodem sensu occurrit* κριθῆναι κατ' ἀνθρώπους, 1 *Petr.* IV: 5. & τὸ κατ' ἐμὲ *Rom.* I: 15. Quoad mihi licuit: III. *Ex historia quæ narratur Act.* XIX. *ubi* ℣ſ. 29. *dicuntur Ephesii, cum tota urbs tumultuaretur, consentientes in Theatrum confluxisse, in quo cruenta ejusmodi spectacula exhiberi solebant, atque eo traxisse* Cajum *&* Aristarchum, *Pauli comites; quo etiam Paulus abductus fuisset, si in eorum manus incidisset, aut si passi fuissent Christiani eum ad illos prodire,* ℣ſ. 30. *Cum vero quidam Asiarchæ Paulum, non sine singulari providentia divina, nonnulla benevolentia prosequerentur,* ℣ſ. 31. *miserunt ad eum, qui monerent, se ei authores esse ut domi se contineret et* καὶ μὴ δοίη ἑαυτὸν εἰς θέατρον, neque se conspectui offerret in theatro; *hoc est, ut vitaret periculum in quod incidisset, si exiisset, eo raptum à populo eundi, cum plebs decrevisset eum, si eo se conferret,* θηριομαχίᾳ exponere. *Idem colligere licet ex verbis, quibus scriba turbam sedavit,* ℣ſ. 37. Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemantes Deam vestram; *hoc est, ita eos habuistis, quasi manifestorum scelerum rei essent, & digni proinde qui in Theatro pœnas darent, cum nihil fecerint, quod supplicium commeritum sit.* Porro tantam horum argumentorum fiduciam *Hammondus* habet, ut subjungere non vereatur: *Clara est hæc interpretatio verborum Pauli, ex qua liquet* κατ' ἄνθρωπον *esse* quoad in hominum potestate fuit, *qui Paulum ad decertandum cum feris damnaverant; cum de hoc loco multas easque inanes conjecturas protulerint viri docti.*

XXV. Quæ quamvis non improbabiliter disputata, ab aliis tamen assensum non impetraverunt. *Heinsius*, ut solet, confidenter: *Quæ sint hic* θηρία, *non magis dubito, quam bestiarium nunquam fuisse Apostolum credere audeo. Qui aliter sentiunt, non meminerunt, quare Cretenses, etiam ab Apostolo, verbis Poetæ,* κακὰ θηρία *dicantur. Quare B. Hieronymum hic audire malo* XXV. An parabolice.

quam Erasmum, qui ad Job. v. *Bestiæ hic appellantur, homines mores habentes similes bestiarum, contra quas pugnasse se Ephesi dicit Apostolus. Quos non male, epistolarum quæ Ignatio adscribuntur auctor,* ἀνθρωπομόρφους *dixit, quod tantum forma hominem referrent* Ἀπὸ Συρίας μέχρι Ῥώμης θηριομαχῶ· οὐχ ὑπὸ ἀλόγων θηρίων βιβρωσκόμενος, ἀλλ' ὑπὸ ἀνθρωπομόρφων. *A Syria Romam usque cum bestiis pugnavi; non earum quæ ratione carent, sed quæ formam habent hominis, morsibus petitus. Intelligit autem militarem custodiam, quos decem Leopardos vocat, quibus noctu diuque erat alligatus, & qui etiam beneficio affecti evadebant pejores.* Simile exemplum ex Plutarcho addit *Grotius*, qui in *Lycurgo* homines ferinos θηριώδεις τυράννους dixit. Sic & impii feris comparantur Deut. XXXII: 33. & passim Reges in libris Prophetarum. Erat etiam vulgo receptum, ut, quibus negotium erat cum hominibus efferatis, ii dicerentur θηριομαχεῖν. Metaphoricam istam interpretationem, ut propiorem vero, non contemnendis rationibus ita tuitus est *Baronius* ad *AN. LV. Num.* VI. *p.* 422. *Quia & ipse Paulus alias cum Romæ esset, scribens ad Timotheum his verbis*: Dominus mihi adstitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes: & liberatus sum de ore leonis: *per leonem significare voluit Neronem, ut interpretes omnes summa consensione confirmant; nec est aliquis qui dicat Paulum Romæ ad leonem fuisse damnatum. Rursum vero considerandum est, quod tradit idem Paulus, se Ephesi* pugnasse cum bestiis, *non autem se* traditum bestiis: *diversa quippe ratio utriusque pœnæ est babenda. Damnari enim dicebantur ad ludum, qui in Theatrum immittebantur armati cum bestiis pugnaturi; bestiis vero absque pugna mox devorandi alii tradebantur; sunt plura exempla utriusque supplicii, sed in his modo non immorandum. Cum itaque dicat Paulus se pugnasse cum bestiis, metaphora potius per bestias homines pravos significare voluisse, quam gladio accinctum cum leone in Theatro pugnasse, omnes arbitror perfacile intelligere. Ad hæc, cum constet dictum supplicium vilioribus tantum personis lege solitum irrogari: Paulus, qui alias flagellis cædendus, se esse Romanum Civem excepit; quanto justius & opportunius se ea exceptione liberare potuisset; cum præsertim (ut ipse scribit ad Romanos, & Corinthios, & Lucas in Actis testatur) jam animo concepisset, Jerosolymam primum, ac denique Romam proficisci? Atque demum, si Paulus ejusmodi supplicio affectus fuisset, non putamus ab ipso omitti debuisse, cum scribens post duos annos ad Corinthios, suorum certaminum coronas texuit: Qui cum cætera, ac multa his minora enumerat, eum non facile credimus, quod esse præclarius videbatur, silentio obvolutum reliquisse. Ex his videas; quanta cautela Apocrypha sint admittenda, etiam si ex Scripturis Divinis aliquam sibi fidem videantur adsciscere. Unde magis placet sententia* Tertulliani, *qui ait Apostolum per ea verba significare voluisse Asiaticas pressuras;* & Chrysostomi, *qui eadem sentire videtur. At vero nec assentimur* Theophylacto, *qui existimavit Paulum istis verbis significare voluisse illas pressuras, quas ultimo anno commorationis suæ Ephesi*

passus

passus est instigatione Demetrii argentarii: nam eo tempore quo scripsit primam Epistolam ad Corinthios, qua de pugna cum bestiis meminit, nondum ea de Demetrio contigerant: quod ea ratione facile demonstrari posse videtur, quod Lucas antequam illa recenseat, hæc de eo dicat: His expletis proposuit Paulus in Spiritu transita Macedonia, & Achaia, ire Jerosolymam: *nec aliter Paulus in dicta prima Epistola ad Corinthios:* Veniam autem, *inquit*, ad vos, cum Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo: *& paulo post:* Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten. *Sic itaque ex his liquet, ea quæ postea subdit Lucas de turbis per Demetrium excitatis, post dictam Epistolam scriptam ad Corinthios, contigisse ultimo anno commorationis Pauli Ephesi.* Hactenus Baronius.

XXVI. Meam si quis desideret ἐπίκρισιν, ei fatebor, magis me ad metaphoricam interpretationem inclinare. Certe *Hammondi* argumenta rigidius examen non sustinent. I. Enim quod Apostolus dicit 2 Cor. 1: 8, 9. gravatum se fuisse supra vires, adeo ut prorsus animi, etiam quoad vitam, penderet, & habuisse jam in se decretum mortis, adeo est generale, & infinitis, quos nos ignoramus, applicari potest casibus, ut nulla ratione cogamur id de populi rabie intelligere, qua Paulum ad bestias poposcit. Præsertim, quum illud ipsum unquam factum esse, divinet magis Doctissimus *Hammondus*, quam probet. Sane nunquam dixit Paulus, se aliqua judicum sententia ad bestias esse damnatum, vel a plebe postulatum, quod utrumque singulari numinis ope evaserit: sed disertis verbis scribit, se *Ephesi cum bestiis pugnavisse*. Id quum ne *Hammondus* quidem ipse velit revera contigisse, si feras in theatro intelligas, & tamen factum esse testetur Paulus; quid superest, nisi ut per bestias ferinos homines, quibuscum sæpe, & aliquando quidem decretorie, dimicandum ipsi fuit, designatos esse credamus? II. Phrasis κατ' ἄνθρωπον adeo nihil Hammondum juvat, ut obesse potius videatur. Alibi enim eam adhibet Paulus locutione impropria, catachrestica, & quando locutionis suæ aliquam quasi duritiem emollitum it. Ita Rom. III: 5. μὴ ἄδικος ὁ Θεὸς, ὁ ἐπιφέρων τὴν ὀργήν; (κατὰ ἄνθρωπον λέγω) μὴ γένοιτο. *Secundum hominem dico.* i. e. ita de Deo rebusque Divinis loquor, quemadmodum nos homines de hominibus & rebus humanis loqui solemus. quod Rom. VI: 19. eadem mente, sic effert, ἀνθρώπινον λέγω. Adde Gal. III: 15. videbisque passim τὸ κατ' ἄνθρωπον notare *more humano*. Pariter itaque & hic: *secundum hominem*, sit more humano, ut hominibus contingit cum feris certare. III. Ita historia quæ narratur Act. XIX: 29. ne verbulum quidem est de Paulo ad feras a plebe postulato. Quod vero alii de damnatione addunt, textui etiam adversatur. Faventes enim judices habuit, & ita quidem faventes, ut ex Asiarchis quidam missis nunciis rogarint, ne se daret in theatrum: & scriba publicus a sacrilegio & contumelia in Dianam Paulum cum sociis absolverit. Ne dicam nunc,

XXVI. Ἐπίκρισις.

quod tamen optime a *Baronio* est observatum, illam Paulinæ historiæ partem scripta priori ad Corinthios epistola posteriorem esse; ideoque narrari ibi non potuisse.

XXVII. Incestus Corinthiacus Satanæ traditus.

XXVII. Verum & hoc paulo ante scriptam hanc epistolam contigit, quod Paulus sibi constitutum esse memorat 1 Cor. v. postquam indicatum ipsi esset, quendam in Ecclesia Corinthiaca tam abominando se polluisse incestu ut novercam uxorem haberet. *Enimvero*, inquit, *ego ut absens corpore, præsens autem spiritu, jam ut præsens judicavi, ut is qui hoc perpetravit, vobis & meo spiritu in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis, cum potestate Domini nostri Jesu Christi*, *ejusmodi* TRADATUR SATANÆ AD EXITIUM CARNIS, UT SPIRITUS SALVUS SIT DIE ILLO DOMINI JESU. Cui simile prorsus exemplum statuit in Hymenæum & Alexandrum 1 Tim. 1: 20.

XXVIII. An Ecclesiastica excommunicatione.

XXVIII. Qua locutione quid notetur dissentiunt Interpretes. Plurimi ad supremum Excommunicationis Ecclesiasticæ gradum referunt, ut significet solemnem declarationem, Apostolica auctoritate, consensu Ecclesiæ, in nomine Jesu Christi, publice factam, quod talis facinorosus sit exsors regni Christi, sub imperio ac potestate Satanæ, ejus tyrannidi, nisi pro delicti sui gravitate insigniter resipiscat, æternum mancipandus. Frequens enim in sacris est, ut tum aliquid fieri dicatur, quando ita esse declaratur. Porro eo tendit horrisona ista declaratio, ut incutiatur facinoroso terror, si forte perpensa criminis fœditate, & inevitabilis pœnæ atrocitate, ad saniorem mentem redeat, & destructo corpore peccati, quod *caro* dicitur, interior homo, qui vocatur *spiritus*, servetur die illo Jesu Christi. Ipse *Grotius* sic exponit: *ut iræ Divinæ sensu carnales affectus in illo extinguantur. Ita* σὰρξ *sumitur Rom.* VII: 5. *&* VIII: 9. ὄλεθρος σαρκὸς *pari modo dicitur, quo* θανατοῦν τὰς πράξεις τοῦ σώματος *Rom.* VIII: 13.

XXIX. An speciali potestate Apostolica.

XXIX. Alii vero traditionem satanæ referre malunt ad extraordinariam illam potestatem Apostolis a Christo factam, quo protervam Evangelii oppugnationem corporalibus etiam pœnis, satanæ ope infligendis, ulciscebantur, ad incutiendum aliis terrorem, & procurandam, si pote, tam amara medicina facinorosorum pœnitentiam. Nam & Satanæ ministerio aliquando morbos infligi exemplo Jobi constat, miseræque illius fœminæ, quam a *Satana vinctam* fuisse testatur Christus. Luc. XIII: 16. & Apostolos ea facultate præditos fuisse ut sæva etiam mala cum effectu imprecarentur Evangelii hostibus, historia Bar Jesu docet. denique *caro* hic opposita *spiritui* corpus notare videtur, ut opponitur animæ, & ὄλεθρος σαρκὸς perniciem corporis per dolores, quibus procuretur salus animæ. Ut sensus hujus loci sit, Apostolum constituisse incestum illum tradere Satanæ, qui corpus ejus contereret doloribus, ac duriter affligeret; ut hoc cruciatu tactus pœnitentia servaretur, & anima ipsius adipisceretur salutem. In hanc sane mentem exponunt, ex Recentioribus, *Scultetus*, *Grotius*, *Ludovicus Cappellus*,

Cappellus, *Seldenus*, *Lightfootus*, *Bochartus in Epistolis p.* 1023. *& prolixe Molinæus Vatis Lib.* 11. *Cap.* XI. ubi monet in Synodo Nationali Alensi cautum esse, ne quis deinceps in Excommunicationibus utatur formula tradendi Satanæ. Laudant autem assentientes sibi ex Veteribus *Ambrosium*, *Hieronymum*, *Chrysostomum*, *Theodoretum*, *Sedulium*, *Oecumenium*, *Theophylactum*, alios. Imo, inquit *Bochartus*, VETERES OMNES, *quotquot mihi videre contigit*, *locum hinc sic interpretantur*. Firmandæ expositioni huic ista potissimum argumenta faciunt. I. Excommunicatio Ecclesiastica, quantum deprehendere viri Doctissimi potuerunt, nunquam ea similive phrasi apud Hebræos, quorum idioma sequuntur Apostoli, designata fuit. Sed tradere Satanæ, est ei dare male multandum, aut occidendum. Exemplum adduxit *Lightfootus ad Joh.* xx: 23. ex libro *Succa*. *Duo Cushitæ steterunt coram Salomone. Die quodam vidit Salomo angelum mortis dolentem. Dixit ei, quid doles? Respondit ille, quia me obsecrant duo hi Cushitæ ut hic maneant. Tum* TRADIDIT EOS SALOMON DIABOLO, מסרינהו לשעיר, *qui adduxit eos ad limites Luz*, *ubi mortui sunt*. II. Distinguit Apostolus id quod Ecclesiæ incumbebat, nimirum *Sublationem improbi e medio ipsorum*, quæ est excommunicatio com. 2. ab eo quod ipse constituerat facere com. 5. sicut & traditionem illam Satanæ sibi soli attribuit 1 Tim. 1: 20. Nam quod addit, *vobis & meo spiritu congregatis*, non eo pertinet, ut quod decreverat penderet a consensu Corinthiorum; sed vult eos sententiæ suæ præbere assensum. III. Ut hæc verba ad Excommunicationem referantur, omnino necesse est non agi de tradendo corpore; nam Excommunicatio corpus non afficit: sed de tradenda anima Satanæ. At quo pacto hæc cohærent, *animam tradi Satanæ*, ut *servetur* spiritus, hoc est, ipsa *anima*? ac si dicas, alicujus corpus tradi carnifici, ut servetur illud vivum ac incolume. Manifesta est contradictio in adjecto. Ut & in illis verbis 1 Tim. 1: 20. quibus ait se Hymenæum & Alexandrum tradidisse Satanæ, ἵνα παιδευθῶσι μὴ βλασφημεῖν. Neque enim est credibile, animam, quæ sit in potestate Satanæ, sub hoc magistro posse formari ad Dei cultum, & ad vitandam blasphemiam. Ita *Bochartus*. In hunc modum, atque his potissimum rationibus, interpretationem suam viri Doctissimi tuentur.

XXX. Si mihi etiam sententiæ dicendæ jus sit, non tanti rationes istas esse arbitror, ut idcirco traditio Satanæ non pro parte aliqua gravissimæ Excommunicationis Ecclesiasticæ habenda sit; præsertim talis excommunicationis quæ sub Apostolica directione fiebat. Primo enim, quando loquentes audimus Apostolos non tam attendendum est an & Rabbini in scriptis suis eandem phrasin usurpaverint, & qua mente; quam quid ipsa in sermone Apostolico significare idonea sit. Quamvis igitur verum esset Hebræos ea phrasi in sua excommunicatione non esse usos, (de quo nobis parum constat, qui non omnes veterum Hebræorum locutiones in explorato XXX. Ἐπίκρισις.

 habemus)

habemus) certum tamen eſt, id quod in excommunicatione eſt præcipuum phraſi iſta perquam commode & ſignificanter exprimi. Qui enim in Chriſti nomine & auctoritate, ſolemni Eccleſiæ ſententia, ejicitur ex regno Chriſti, is ſimul declaratur pertinere ad regnum Satanæ, & miſerum illius eſſe mancipium. Sic *Tertullianus de pudicitia Cap.* XIII: *Illis traditis Satanæ, id eſt, extra Eccleſiam projectis.* Rurſus *Cap.* XX. *Abjicitur extra civitatem in locum immundum, deditus ſcilicet Satanæ in interitum carnis.* In eandem ſententiam *Hieronymus.* Epiſt. I. *In veteri lege quicunque ſacerdotibus non obtemperaſſet, aut extra caſtra poſitus lapidabatur à populo, aut gladio cervice ſubjecta contemtum expiabat cruore: nunc vero inobediens ſpirituali mucrone truncatur, aut ejectus de Eccleſia rabido dæmonum ore diſcerpitur.* Multo profecto gravior & Apoſtolico ſermone dignior iſta videtur explicatio, plurimumque illi præferenda quæ ex neſcio qua Talmudica de Salomone & Cushitis fabella arceſſitur, quam ego caſſa non emerim nuce. II. De ea excommunicatione agit Apoſtolus in qua & Eccleſiæ & ſibi ſuæ eſſent partes. Sibi nullas tribuit, ſeorſim ab Eccleſia, niſi quod ſuffragii ſui prærogativa quid faciendum ſit præmonſtret. Diſertim etiam, quando de criminoſo Satanæ tradendo agit, non aliter illud futurum eſſe indicat, niſi *Corinthiis & ſuo ſpiritu in nomine Jeſu Chriſti congregatis.* Bene *Eraſmus: collegium hoc ex tribus conſtitiſſe, ex Pauli decreto, conſenſu multitudinis, & auctoritate Chriſti.* Si ſibi ſoli attribuere videatur I Tim. I:20. attendendum eſt, id quod ab Eccleſiaſtico fiebat cœtu ſingulari ratione adſcribi poſſe præcipuo cœtus illius totiusque negotii directori. Pari ratione ſibi attribuit impoſitionem manuum qua ordinatus eſt Timotheus 2 Tim. I: 6. *διὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μȣ.* attamen ea facta erat, ſuffragante operamque ſuam conferente ſynedrio. I Tim. IV: 14. *μετὰ ἐπιθέσεως χειρῶν πρεσβυτερίȣ.* Diſertus admodum in hanc ſententiam *Chryſoſtomus* eſt, omnia ad Eccleſiam Corinthiacam, quaſi ſub præſidio præſentis Pauli, referens. Sic enim commentatur ad ea verba, *& meo ſpiritu:* Πάλιν ἐπέστησεν αὐτοῖς ἑαυτὸν, ἵν' ὅταν δικάζωσιν, ὡς αὐτῶ παρόντος ȣ̈τως αὐτὸν ἀποτέμωσι, καὶ μηδεὶς τολμήσῃ συγγνώμης αὐτὸν ἀξιῶσαι, εἰδὼς ὅτι Παῦλος εἴσεται τὰ γενόμενα. Quod vero additur, *cum potentia Domini noſtri J. C.* ſic exponit: τȣτέστιν. ἢ ὅτι ὁ Χριστὸς δύναται τοιαύτην ὑμῖν χάριν δȣ̃ναι, ὡς δύνασθε τῷ διαβόλῳ παραδιδόναι, ἢ ὅτι καὶ αὐτὸς μεθ' ὑμῶν κατ' αὐτȣ̃ φέρει τὴν ψῆφον. III. Non eſt difficile explicatu, quomodo traditio Satanæ, qualis in excommunicatione eſt, tendat ad ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, ſi ea notione qua frequentiſſime in ſacris venit carnem intelligamus, nimirum de vitioſis cupiditatibus, quæ per diram illam ſententiam, accedente, quæ nunquam abeſſe debet, excommunicantis Eccleſiæ oratione, & impetrata per eam Spiritus Sancti gratia, compeſci ac mortificari poſſunt, dum ipſum etiam corpus dolore ac jejuniis emaciatur: *ut ſervetur ſpiritus*, interior homo renovetur, ipſaque tandem anima in

æternum

æternum salva sit. Quum enim præcipuus excommunicationis scopus sit promotio pœnitentiæ, aut eo valere excommunicationem, aut in cassum eam a Domino institutam esse oportet. Frustra igitur rogatur, quo modo hæc cohæreant, *animam tradi Satanæ, ut servetur anima?* Optime cohærent, declarare totum hominem criminosum quoad animam & corpus sub potestate Satanæ esse, ut dira ista declaratione ex lethargo suo excitatus per pœnitentiam servetur. Quæ hic manifesta contradictio, imo quæ, nisi ludere velimus, contradictionis species est? Denique non tam per Satanam, quam per sententiam illam qua quis Satanæ traditur, παιδεύεται μὴ βλασφημεῖν.

IV. Quid porro sibi volunt Viri eruditissimi, quum negant excommunicatione corpus affici? Putantne nullas unquam sequelas, nulla excommunicationis effecta in corpore deprehensa esse? Non id crediderunt Hebræi. Notissima & cui non dicta? Cabbalistica Rabbinorum observatio est, vocem חרם literis suis conficere numerum 148. totidem dicunt corporis humani ossa esse, in quæ omnia & singula vim suam tremenda ista exsecratio exerat. Ipsa excommunicationis formula quam *Buxtorfius* exhibet *Lexic. Tal. p.* 828. hanc imprecationem habet: ויהיו עליו מכות גדולות ונאמנים וחלאים רבים ומשונים *Sint super ipsum plagæ magnæ & fideles, morbi magni & horribiles.* De Essæorum excommunicatione memorat *Josephus de Bel. Jud. Lib.* II. *C.* VII. quod *deprehensos in peccatis a sua communione repellant, & qui ita fuerint condemnatus miserabili plerumque morte consumatur. Illis si quidem sacramentis & ritibus obligatus neque capere ab aliis cibum potest, herbas autem pecudum more devorans, & fame exesus per membra corrumpitur.* Sic quidem Hebræi. De Christianis vero non est mihi dubium, quin in Apostolica Ecclesia excommunicationem diri sæpe effectus in ipso etiam corpore consecuti sint: & quod viri Doctissimi per traditionem Satanæ unice intelligendum pugnant, id ego excommunicationis severissimæ sequelam aliquando fuisse pro certo habeo. Præsertim si præside Apostolorum aliquo dira in criminosum sententia fulminata esset. Nimirum ne fulmina a fidelibus servis suis vibrata bruta esse censerentur, placuit Domino tremendam eorum efficaciam evidentissimis quandoque indiciis palam facere, & facinorosorum corpora Satanæ vexationibus & excruciationibus in omnium conspectu exponere. Si scriptoribus Ecclesiasticis fidem derogare nefas sit, ferioribus etiam temporibus simile quid in Ecclesia visum fuerit. Proxime saltem accedit quod *Paulinus* memorat in vita *Ambrosii*. Quum sceleratus aliquis ad Ambrosium adductus esset, dixit Ambrosius, *oportet illum tradi Satanæ ad interitum carnis; ne talia quis imposterum audeat committere. Quem eodem momento, quum adhuc sermo ille esset in ore Sacerdotis sancti, spiritus immundus arreptum cæpit discerpere. Quo viso,* inquit Paulinus, *non minimo timore repleti sumus & admiratione.* Qua confidentia Viri Doctissimi Patres pro sententia sua laudent, supra vidimus. At pari confidentia *Baronius ad Annum*

Annum Christi LVII. *Num.* XI. *Quod sic traditus Satanæ*, inquit, *a communione fidelium haberetur abscissus*, *& quod communi usu loquendi fertur*, *excommunicatus*, PATRES OMNES CONSENTIUNT. Paulo post: *Eodem modo*, scilicet de excommunicatione, *Pauli sententiam explicant Hilarius*, *Hieronymus*, *Ambrosius*, *Augustinus*, *ac reliqui Latinorum*: *Græci pariter*, *ut Origenes*, *Chrysostomus*, *Theodoretus*, *& alii interpretes in dictum Pauli locum ad Corinthios*. Mihi nunc abs re mea tantum otii non est, ut singulos consulere vacet. Neque profecto est necesse.

XXXI. De Epistola ad Titum.

XXXI. At justo fortasse prolixius his immorati, pergamus inquirere, an & alias epistolas Epheso scripserit Paulus. Nonnulli de illa ad *Titum*, & ad *Galatas* suspicantur. Atque illud quidem non caret probabili ratione. Constat utique ad Paulum Ephesi morantem Corintho venisse Apollon, qui Paulo ad eam Ecclesiam scribente Corinthum redire abnuit, ut nuper monui ex 1 Cor. XVI. 12. sed Cretam petere maluit, una cum Zena legis doctore, quos commendat Paulus Tito hac ipsa epistola. Porro jubet Paulus Titum relicta Creta quantocyus ad se accedere. ibid. com. 12. Habuit autem eum sibi comitem non diu postquam Epheso discessisset, eoque ad Corinthios internuncio usus est: de qua re mox plura. Secundum hanc exputationem Titus ultra quinquennium in Creta exegerit. Sed vide & confer in alia omnia euntem *Pearsonum*. *De Success. primor. Romæ Episcop. Dissert.* I. *Cap.* IX. *Num.* VI.

XXXII. Et illa ad Galatas.

XXXII. Epistola ad *Galatas* temporis sui hos characteres habet. Primum quod non diu post Pauli ab iis discessum scripta esse videatur. Sic enim ipse Cap. I. 6. *Miror vos* ITA CITO, *deserto eo qui vocavit vos in gratiam Christi*, *transferri in aliud Evangelium*. Affuerat autem iis Paulus paullo antequam proficisceretur Ephesum. Act. XVIII: 23. col. cum XIX: 1. Unde, probabiliter saltem, infertur *Ephesi* esse datam. Specialius, datam esse *sub finem biennii* quod Paulus Ephesi exegit, inde colligit *Cappellus*, quod Cap. VI: 6. hortetur eos ad beneficentiam erga τὰς κατηχοῦντας, & com. 10. πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως (quibus verbis Ecclesiam Hierosolymitanam innuere videtur, maxime si id comparetur cum iis quæ scribit Rom. XV: 26, 27.) idque inquit, ὡς καιρὸν ἔχομεν, h. e. *dum occasio offertur*, quum jam Asia, Græcia & Macedonia in hanc liberalitatem conspirasse videantur, & ubique parentur collectæ Hierosolymam deferendæ. Quod confirmari putat ex 1 Cor. XVI: 1. ubi jubet Corinthios in eleemosynis colligendis sequi præscriptum quod Galatis dederat: in epistola quidem ipsa generalius, brevius, & obscurius; sed, specialius, latius & apertius explicatum viva voce eorum per quos lata est epistola. Unde infert, scriptam fuisse ante priorem ad Corinthios. Fateor sane argumenta ista demonstrationum vicem sustinere non posse. At quis dabit certiora? Utut de *tempore* sit, *occasio* scribendi hæc fuit: postquam Paulus purum putum Christi

Evange-

Evangelium fideliter Galatas docuisset, supervenerant eo absente falsi quidam doctores, bonum semen vitiosis dogmatibus corrumpentes. Docebant enim rituum Mosaicorum observationem ipsis etiam Christianis hominibus ad justificationem & salutis consecutionem rem esse apprime necessariam. Et quia aliam Paulo mentem esse ex toto doctrinæ ipsius instituto palam constabat; hinc auctoritatem ipsius omni calumniarum & cavillationum genere iminutum ibant. Consensum autem jactabant cum Petro, Johanne & Jacobo, Apostolorum citra controversiam celebratissimis. Et fortasse, quo melius se Galatis venditarent, tantorum Apostolorum nomina prætexuerunt, quasi ab ipsis missi forent. Huic se jactantiæ fortiter hac epistola opponit Paulus, ne locum cederet mendacio, veritatemve in sua persona opprimi sineret. Itaque non perfunctorie Apostolatus sui auctoritatem adversus nefariorum hominum calumnias tuetur. Eaque opera defunctus, doctrinæ suæ veritatem strenue asserit. Galatarum levitatem acriter increpat, eosque ad sinceræ fidei constantiam, & infucatæ pietatis praxin, validis argumentis hortatur.

SECTIO IX.

De iis quæ a Paulo gesta sunt dum novissimo itinere proficiscitur Hierosolymam.

BREVIARIUM.

I. *Paulus Epheso in Macedoniam proficiscitur. Aquila & Priscilla Romam.* II. *Hoc tempore ex Macedonia scribitur posterior ad Corinthios.* III. *An & prior ad Timotheum? Rationes affirmandi.* IV. *Rationes negandi.* V. *Ἐπίκρισις.* VI. *Certe Corintho tunc data illa ad Romanos.* VII. *Unde repente Romæ tanta Judæorum, & Christianorum multitudo?* VIII. *Et, quod mirabilius, tam bene instituta, tam pulcre ordinata Ecclesia?* IX. *Petro id imputat Baronius; qui II Claudii anno Romam venerit.* X. *Sed invita veritate; quod fatentur Valesius, Pagius,* XI. *& Baluzius, Viri Clarissimi.* XII. *Non docuit Petrus Romæ, ante scriptam illam Pauli Epistolam.* XIII. *Quinam probabiliter Romanæ Ecclesiæ fundatores fuerint.* XIV. *Ingens terræ tractus, ab Hierosolyma usque ad Illyricum, quem repetitis itineribus Paulus Evangelio implevit.* XV. *Propter insidias Judæorum Paulus per Macedoniam remeat.* XVI. *Troade Eutychum, ex lapsu mortuum, vitæ restituit.* XVII. *Mileti Ephesinæ ecclesiæ Presbyteros affectuoso sermone alloquitur.* XVIII. *Tyri discipulos invenit, & de impendentibus sibi Hierosolymæ malis monetur.* XIX. *Ut & Cæsareæ per Agabum.* XX. *Intrepido tamen animo Hierosolymam pergit.*

SEdato tumultu facile cognovit Paulus, integrum sibi non esse ut diuturniores moras *Ephesi* necteret: ut itaque meliori se tempori, iisque quæ alibi agendæ restabant rebus, servaret, convocatos Ephesi discipulos paterna

I. Paulus Ephesо in Macedoniam pro-

ficiscitur. paterna pietate complexus, &, quod Syrus interpres dixit, ex more illa-
Aquila & rum gentium osculatus, נשק ונון, abiit, in *Macedoniam* profecturus Act.
Priscilla xx: 1. Credibile est eodem fere tempore *Aquilam* & *Priscillam* Ephesо Ro-
Romam. mam revertisse; postquam pro salute Pauli suam ipsorum cervicem sup-
posuissent. Rom. xvi: 3, 4. Nam Ephesi adhuc apud Paulum fuerunt, quum priorem ad Corinthios scriberet 1 Cor. xvi: 19. Nunc autem redeundi facultatem habebant, Claudii edicto, quo pulsi fuerant, post mortem illius exolescente. *Ephesо* in *Troadem* venit Paulus, de qua dubitatur, sit ne nomen regionis, an urbis. Ubi apertum quidem sibi per Dominum ostium invenit, sed turbatus animo est quod non invenisset Titum. Iis igitur valedicto in *Macedoniam* abiit. 2 Cor. ii: 12, 13. quam perambulans multo sermone fratres cohortatus est. Act. xx: 2. Quumque interim afflictio ejus se non remitteret, dum foris erant pugnæ, intus terrores, ingentem ipsi consolationem adventus Titi attulit, lætusque, quem apportabat, de Corinthiorum statu nuncius. 1 Cor. vii: 5, 16. Quorum exemplo Macedonas etiam provocavit ad expediendas Hierosolymam collectas: ab anno superiori Achajam paratam fuisse dicens. ib. ix: 2. Qua re Macedones commoti, in multa probatione afflictionis, etiam supra vires, liberales se præstiterunt. ib. viii: 1–5.

II. Hoc II. Dubitandum non est, quin hoc tempore, dum in Macedonia versa-
tempore ex batur Paulus, scripserit *posteriorem ad Corinthios*. Totus enim tunc erat in
Macedonia colligendis collectis, Hierosolymam deferendis; in quam rem Corinthio-
scribitur rum munificentiam ac liberalitatem tam accurate laudat, & laudando ex-
posterior citat. Ideoque Titum cum hac epistola e Macedonia mittit, & cum Tito
ad Corin- fratrem illum cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias (qui non im-
thios. merito creditur esse Lucas) ut Corinthiorum collectas paratas esse curarent. 2 Cor. viii: 16, 18. ix: 3-5. simul etiam ut tantæ pecuniæ administratio omni suspicione careret. Oppido profecto laudabilis Pauli in hac re prudentia ac circumspectio est. Nihil enim magis sinistris oblocutionibus patet, quam publicæ pecuniæ attrectatio. Credibile est, non defuturos fuisse inter Corinthios, qui statim prosiliissent ad male dicendum, si relicta iis fuisset occasio. Quare tot sibi hujus negotii testes ac socios esse voluit; neque tot solum sed & tales, quorum ubique perspecta & comperta erat fides; eosque non a se solum, sed & Ecclesiarum suffragiis delectos. Atque ita ostendit, se non tantum bonæ conscientiæ curam apud Deum habere, sed & bonæ existimationis apud homines. Verum ad tempus scriptæ epistolæ revertamur, unde hæc Pauli prudens circumspectio paululum nos abduxerat. Omnia clamant, scriptam esse paucis mensibus ante Pauli adventum Hierosolymam, quem & annum *V. Neronis* refert *Spanhemius*, quamvis alii aliter.

III. Ad idem fere tempus refertur a Viris Doctissimis scriptio *prioris ad*

Timotheum.

Timotheum. De qua *L. Cappellus: Posterior epistola ad Corinthios & prior ad Timotheum certant de prioritate, & sub judice lis est. Utraque scripta est, paulo post quam Paulus Epheso discessisset, adeoque dum Macedoniam peragraret.* Quod quidem de illa ad Corinthios validis argumentis probat: de hac ad Timotheum non ita. Nulla enim fere ratione præter hanc unam utitur. *Liquet*, inquit, *ex verbis Cap.* 1: 3. *sicut hortatus sum te ut maneres Ephesi, quum ego in Macedoniam proficiscerer, Paulum loqui de re nuper gesta.* Aliquanto diligentius eandem rem *Lightfootus* egit. *Chron. Temp. ad Act.* xx. *p.* 89. *Macedoniæ regiones peragrans scripsit Epistolam priorem ad Timotheum: prout e sequentibus constat.* I. *Constat ex* 1 Tim. 1: 3. & III: 15. *scriptam fuisse hanc epistolam, postquam Paulus Epheso digressus fuerat, Macedoniam petens, quumque in animo haberet brevi Ephesum redire.* II. *Verisimile non est scriptam fuisse, dum in Macedoniam iter caperet, scilicet quum recens a Timotheo discessisset.* III. *Neque existimare licet scriptam fuisse quum e Macedonia rediturus Græciam peteret: tunc enim in animo habuit Ephesum ire, neque tunc opus erat aut nuncio, aut epistola: porro subinnuit cap.* III: 15. *tardius forte an ad ipsum venturum. Merito igitur concludimus scriptam fuisse hanc epistolam nunc temporis, dum in Macedonia, aut partibus vicinis ageret.* Et eo quidem usque argumentis istis fidit, ut subjungat: *de tempore & loco, ubi hæc epistola scripta fuit, conjecturas varias & vagas reperire est. Dictu hoc mirum est, quum de hac re liquido constet ex ipsa epistola collata diligenter cum hisce temporibus, & Pauli itineribus hoc loco memoratis.* III. An & prior ad Timotheum? Rationes affirmandi.

IV. Cæterum mihi oppido mirum videtur, non cogitavisse virum doctissimum, Timotheum una cum Paulo in Macedonia fuisse dum scribebatur posterior ad Corinthios: ejus etiam nomine scripta. *Paulus Apostolus Jesu Christi per Dei voluntatem, & Timotheus frater &c.* 2 Cor. 1: 1. Fuisse etiam apud Paulum Corinthi, dum, non diu post, scribebatur illa ad Romanos, quos Timothei etiam nomine salutat. Rom. XVI: 2. Et sane Paulum, quum post tumultum Ephesi excitatum valediceret discipulis in Macedoniam iturus, non rogavisse Timotheum ut Ephesi maneret, ibique suum præstolaretur reditum, invictis rationibus Cestriensis Episcopus *Pearsonus* addixit. *de succes. primor. Romæ Episc. Dissert.* 1. *Cap.* IX. *Num.* V. *Certe Paulus paullo ante tumultum Timotheum & Erastum in Macedoniam præmiserat.* Act. XIX: 22. *Dedit etiam tunc Timotheo in mandatis, ut peracto in Macedonia negotio perveniret ad Corinthum* 1 Cor. IV: 17. *Præterea dum Apostolus remansit ad tempus in Asia, scripsit primam ad Corinthios epistolam, eo ipso tempore quo Timotheus erat adhuc in Macedonia, in qua eum Corinthiis commendat his verbis*, si autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos, opus enim Domini operatur, sicut & ego. *Et quoniam Apostolus ipse, mutato pro re nata consilio, non primo Corinthum, deinde in Macedoniam, sed primo in Macedoniam, dein Corinthum proficisci statuerat; in ipsa Macedonia Ti-* IV. Rationes negandi.

motheum Corintho venientem recepit. Neque diu post ex Macedonia scribit secundam ad Corinthios epistolam. 2 Cor. VII: 5. VIII: 1. IX: 2. *Simul cum Timotheo* 2 Cor. I: 1. *Dein ex Macedonia Timotheus secutus est Paulum in Achajam, eique in Achaja comes fuit; quum scripsit epistolam ad Romanos,* Rom. XVI: 21. *& Achajam simul cum Paulo reliquit. Nihil igitur certius, aut exploratius ea observatione esse potest, quæ asserit in secunda profectione in Macedoniam Paulum non rogasse Timotheum ut permaneret Ephesi.* Et quum nec in reditu per Macedoniam Timotheum Ephesi permanere jusserit, suum quippe in toto isto itinere usque ad Hierosolymam comitem Act. XX: 4. concludit Doctissimus Præsul, eam profectionem in Macedoniam, de qua hic agitur, & consequentur scriptionem hujus epistolæ, factam non esse, nisi post biennalem Pauli in Romanis vinculis custodiam. Ejusdem sententiæ *Usserius* est *Annal. p.* 686.

V. Ἐπίκρισις.

V. Mihi sic videtur: satis quidem constare, epistolam priorem ad Timotheum scriptam esse ex itinere Pauli in Macedoniam. Neque posse illud intelligi de primo itinere. Act. XVI: 10. tunc enim comitem habuit Timotheum, neque vel Paulus vel Timotheus Ephesi ante id tempus fuisse perhibentur. Neque de secundo aut tertio itinere, ob laudatas modo rationes. Non tamen idcirco æque constat, scriptionem epistolæ differendam esse ad solutionem Pauli e Romanis vinculis. Neque enim omnia Pauli itinera descripsit Lucas, sed notabiliora quædam. *Coccejus* existimat, iter in quod nunc inquirimus commode referri posse ad biennium illud quo Apostolus dicitur prædicasse Ephesi Act. XIX: 10. *nempe ut inde ad paucas hebdomadas vel menses abierit in Macedoniam, & inde Ephesum reversus sit: quemadmodum in epistola promittitur* Cap. III: 14. IV: 13. *Nam quum & alii comites Pauli & Timotheus ibi manerent, & ipse mox ad eos rediret, tantundem est, atque si toto tempore apud eos fuisset.* Ingenue interim fatetur Vir optimus, incerta hæc esse, neque quidquam nobis restare præter conjecturas. Pronunciemus itaque, de tempore quo scripta est prior Pauli ad Timotheum epistola NON LIQUERE.

VI. Certe Corintho tunc data illa ad Romanos.

VI. Ex Macedonia in *Graciam*, sive *Achajam* profectus Paulus, tres ibi menses exegit. Intra quos Corinthum venit, eleemosynas in Achaja collectas accepturus. Atque hinc tunc datam fuisse celebrem illam ad Romanos epistolam, dictatam a Paulo, scriptam manu Tertii, missam per Phœben Diaconissam Ecclesiæ Cenchreensis, juxta Corinthum, omnes fere nunc consentiunt eruditi. Quod hisce argumentis post *Origenem Ludovicus Cappellus* probat. I. *Quia subscriptio Epistolæ id habet: sed si nihil aliud esset, foret id leve; nam sæpe falsissimæ sunt Epistolarum subscriptiones.* II. *Ea commendatur Romanis Phœbe Diaconissa Ecclesiæ, quæ erat Cenchreis Corinthi portu, per quam & missa videtur Epistola, ut fert etiam subscriptio.* III. *In salutationibus quæ habentur* Cap. XVI. *eorum meminit, qui cum ipso iter illud Jerosolymitanum*

mitanum ingressi sunt, quique Act. xx. *dicuntur Corintho cum Paulo esse profecti, puta Timothei & Sopatri, sive Sosipatri* (Act. xx: 4.) *Ubi observandum est, qui* Rom. xvi: 21. Σωσίπατρος *dicitur eundem esse cum eo, qui* Act. xx: 4. Σώπατρος *vocatur. Nam in edit. Gr. N. Testamenti Rob. Stephani typis regiis majoribus, notatur in margine* (Act. xx: 4.) *in nonnullis codicibus legi* Σωσίπατρος. *Et sane sic eo loci legit Versio Arab. & Vulg. Vers. quæ est in edit. Græco-Lat. N. Testam. Erasmi. At Syr. translatio, & Vulg. Vers. Clementis VIII habent* Σώπατρος. *Præterea Gajus ille, quem* (Rom. xvi: 23.) *vocat* ξένον *suum, is omnino esse videtur, de quo* 1 Cor. 1: 14. *qui alius est procul dubio a Gajo Derbensi, de quo* Act. xx: 4. *Erastus item quem* Rom. xvi: 23. *vocat* οἰκονόμον τῆς πόλεως, *is esse videtur, quem Paulus una cum Timotheo Epheso præmiserat in Macedoniam, & Achajam. Atque hæc sunt argumenta, quibus Origenes* (*Præf. in Epist. ad Rom. referente Baronio ad* A. Chr. LVIII. *sect.* XLVI.) *adductus est ut diceret scriptam esse Corinthi hanc epistolam. Quæ sane argumenta sunt validissima.* Hæc L. Cappellus. Cui hactenus assentior, ut, quamvis vix singula seorsim, universa tamen junctim, id quod probandum erat haut infeliciter conficere existimem.

VII. Mirum fortasse videri queat, unde tanta tam repente Christianorum Romæ multitudo; quum Claudii edicto nuper Judæi omnes, quo nomine & Christianos comprehendi Aquilæ & Priscillæ exemplo liquet, Judæa pulsi fuerint. Sed sciendum est, edictum illud Claudii, fortean sub ignavo Principe ipso etiamnum vivente paulatim exolevisse; saltem ipsius morte vim suam prorsus, ut fieri solet, amisisse; novumque principem, damnata decessoris severitate, expulsis redeundi facultatem fecisse. Id quoque observandum, magnas Romæ fuisse illecebras, quibus omnes totius propemodum orbis nationes ad se pelliceret. Et Judæos peregrinationibus tunc assuetos, mercaturæ admodum deditos, ubique habitantes, Romanis commoditatibus ac deliciis pridem captos, non segnius rediisse, quam exiverant; neque sine adjunctione & comitatu novorum hospitum. Ad quam rem multum etiam conferre potuit late dedita clementiæ & benignitatis Neronianæ fama. Vulgatum enim omnium scriptorum elogiis primum Neronis quinquennium est. Redeuntibus itaque Judæis, pariter Christiani Romam redire, ex quibus formata Ecclesia est cui epistolam hanc inscripsit Paulus.

VII. Unde repente Romæ tanta Judæorum & Christianorum multitudo!

VIII. Sed illud magis mirum, unde Romæ fuerit tam celebris, tam bene instituta, tam pulcre ordinata Ecclesia; ut *fides ipsorum annunciata fuerit in toto mundo.* Rom. 1: 8. ut *pleni fuerint bonitate, impleti omni cognitione, & qui potuerint etiam se mutuo admonere.* xv: 14. ut habuerint ordinem Ecclesiasticum concinne constitutum, prophetas, doctores, rectores, diaconos. xii: 6, 7, 8. Quis tam insignem Romæ Ecclesiam primus fundavit? quis dissipatam recollegit? quis recollectam tam pulcro regimine stabilivit?

VIII. Et quod mirabilius, tam bene instituta, tam pulcre ordinata Ecclesia!

IX. Petro id imputat Baronius, qui II Claudii anno Romam venerit.

IX. Si hodiernam Romam roges, promte respondebit, PETRO cuncta deberi. Omnium loco audiatur *Baronius ad Ann. Chr.* XLIV. *Num.* XXV. *Imprimis de Petro dicendum, quem anno secundo Claudii Imperatoris venisse Romam,* COMMUNIS OMNIUM SENTENTIA EST. *Id enim Eusebius in Chronico imprimis testatur, id ipsum sanctus Hieronymus, id denique cæteri omnes qui de ea re historiam scripserunt. Hæc enim habet Eusebius: Anno secundo Claudii Petrus Apostolus, quum primum Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur; ubi Evangelium prædicans viginti quinque annis ejusdem urbis Episcopus perseverat.* Nec abludit *Hieronymus*: quo laudato, concludit Cardinalis: EADEM DE TEMPORE ET RELIQUI OMNES CONSCRIPSERE, UT NULLA DE HIS RELICTA SIT DUBITATIO, VEL PENES EOS CONTRADICTIO.

X. Sed invita veritate; quod fatentur Valesius, Pagius,

X. Quæ quidem si vera essent, forent id nobis non invitis; sed falsitatis manifesta esse in tam liquida luce Theologi ac Chronologi nostri ex sacra Lucæ historia posuerunt, ut non difficilem ab æquioribus in ipsa Romana Ecclesia ejusce rei confessionem obtinuerint. Æquis & doctis accenseri jure suo meretur *Henricus Valesius*, qui laudabili exemplo sectam hic suam relinquere maluit, quam veritatem. Is in *Annotationibus ad Euseb. Histor. Eccl. Lib.* II. *Cap.* XVI. hæc habet: *Eusebius quidam in Chronico, Petri in Urbem Romam adventum refert anno secundo Claudii Augusti; quam sententiam secutus est Baronius, & Petavius, aliique plures. Sed hæc sententia refelli videtur ex Actibus Apostolorum: ex quibus constat, Petrum in Judæa ac Syria semper mansisse usque ad ultimum annum Agrippæ Regis. Qui quum Hierosolymis Petrum in vincula conjecisset, paullo post, Divina eum insequente justitia, extinctus est Cæsarea, ut refert Lucas. Quum igitur anno IV Claudii mortuus sit Agrippa, ut inter omnes convenit, Petrus ante hunc annum Romam proficisci non potuit.* Ulterius procedit *Pagius* in *Crit. Amal. Baron. ad Ann. Chr.* LIV. *p.* 44. contendens non ante primum Neronis Petrum venisse Romam. Sic enim ille: *S. Petrum Apostolorum principem, ante præsentem annum Romam non venisse, tertio Claudii Imperatoris anno, statuimus: ideoque primus ejus sedis Romanæ annus cum primo Neronis nobis est inchoandus.* Qua in re sequitur *Lactantium de Mortibus Persecutorum*, Cap. II. *Editionis Ultrajectinæ p.* 30. ita narrantem: *cumque jam Nero imperaret Petrus Romam advenit, & editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipsius Dei data ipsi ab eo potestate faciebat, convertit multos ad justitiam, Deoque templum fidele ac stabile collocavit.*

XI. & Baluzius, Viri Clarissimi.

XI. Non pœnitebit Lectorem hic quoque invenire quæ Doctissimus pariter ac candidissimus, quatenus Romanæ ecclesiæ doctori licet & fas est, *Baluzius* ad hunc Lactantii locum annotavit. „ Ait Lactantius Apostolos, „ & in his Matthiam, & Paulum, qui post mortem Christi Domini reliquis adjuncti fuerant, Evangelium per omnem terram prædicavisse per „ annos XXV usque ad principium Neroniani imperii, & Petrum Romam profectum quum Nero illic imperaret. Et hanc quidem tum

„ fuisse

„ fuisse communem de Petri ad urbem Romam profectione opinionem, ta-
„ metsi aliter post nonnullos Veteres senserit Eusebius, valde probabile est;
„ cum Lactantius nullam de ea re controversiam moveat. Fortassis ergo
„ ex his viginti quinque annis, qui ad prædicationem omnium Apostolo-
„ rum ex æquo pertinent, orta est opinio de viginti quinque annis, quos
„ quidam veteres, & innumerabile recentiorum agmen, Sancto Petro Apo-
„ stolo tribuunt in sede Romána. Sane licet frustra ac supervacanee a non-
„ nullis negari putem adventum ejus ad Urbem Romam, qui clarissimis
„ veterum testimoniis comprobatus est; de tempore tamen multum am-
„ bigo: cum videam tot tantasque difficultates habere eorum sententiam
„ qui illum Romam venisse volunt Claudio imperante, ut coacti sint du-
„ plicare profectionem ejus in urbem, & duplex item ejus cum Simone
„ mago certamen comminisci, primo quidem temporibus Claudii, dein
„ principatu Neronis. Quæ res quam absurda sit, cum id a nullo Veterum
„ proditum sit memoriæ litterarum, pervident istarum rerum periti. Nam
„ quod a recentiore Auctore sine alicujus vetustioris auctoritate profertur,
„ contemnitur, ut monuit Illustrissimus Cardinalis Baronius. Itaque si
„ fas esset recedere a vulgari, & in animum hominum insita opinione, ei
„ Lactantianam lubenter præferrem: id est, Petrum quidem Romæ præ-
„ dicasse Evangelium facile concederem, non sub Tiberio Claudio, ut vul-
„ go putant, sed sub Nerone Claudio. „ Eadem fere habet *Pagius in Crit. Annal. Bar. ad ann. Christ.* XLIII. p. 39. 40.

XII. Sed neque hic subsistendum sibi esse putavit Illustris *Scaliger*, non veritus ad Joh. XVIII: 31. sic commentari: *a Christi in cœlum receptu ad IV annum Neronis certo certius est Petrum Romam non venisse.* Neque ego dubitem, intrepide asseverare, ante hanc Pauli ad Romanos epistolam, nunquam Petrum Romæ docuisse. Non potuisset enim indictum Paulo mansisse, si quidem verum foret. Tota epistola eo comparata est, ut in Orthodoxæ fidei, cujus typus non solum ipsis traditus, sed & cujus typo ipsi traditi erant, professione constanter perseverarent. Plurimum autem ponderis hortationi isti conciliasset auctoritas illius quem primum tam pretiosæ veritatis doctorem nacti erant. Præsertim si fuisset unus ex Apostolis Domini. Maxime si fuisset Apostolorum princeps, cum quo suum in doctrina consensum tam sollicite apud Galatas, quamvis nullo speciali vinculo Petro obstrictos, contestatus est. Nonne idem apud Romanos fecisset, si, quod supponitur, omnia sua debuissent Petro? Timotheo suo scripsit Paulus 2 Tim. III: 14. *At tu maneto in iis quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt,* SCIENS A QUO DIDICERIS. An non idem apud Romanos valuisset? An potuisset omitti? An non fere debuisset Paulus dicere: manete in sana ista sanctaque doctrina, quam audivistis ab initio, scientes a quo audiveritis: non ex vulgari aliquo doctore, sed ex uno illorum qui ipsum Dominum

XII. Non docuit Petrus Romæ, ante scriptam Pauli Epistolam.

num

num quotidie audiverunt docentem, ex Apostolo, ex eo qui columnis in Apostolico ordine accensitus est, ex ipso denique Petro. Paulum in sua ad dispersos Judæos epistola diserte laudavit Petrus, 2 Pet. III: 15. *sicut & dilectus frater noster Paulus pro sibi data sapientia scripsit vobis.* Et Petrum non laudasset Paulus, ubi invitabat occasio, suadebat utilitas, ausim addere, urgebat fere necessitas? Quum igitur ne nomen quidem Petri in tota inveniatur epistola, exinde infero, non modo Petrum eo tempore Romæ non fuisse, sed nec Romanæ Ecclesiæ esse fundatorem.

XIII. Quinam probabiliter Romanæ Ecclesiæ fundatores fuerint.

XIII. At quibus tandem rei tam præclaræ tribuenda laus est? Uti sæpe magnarum rerum initia in obscuro latent; fateor me ignorare. Neque quenquam esse mortalium arbitror, qui, si a Petro discesserit, a quo discedendum esse modo probavimus, asseverate aliquid de primis Romanæ Ecclesiæ fundatoribus determinare ausit. Nil nisi probabiles conjecturæ restant; quas pro probabilibus haberi, sed conjecturis tamen, facile patior. Nimirum in frequenti illa nationum multitudine quæ Apostolos SS. Spiritus plenitudine imbutos lætissima Pentecostis die Hierosolymis concionantes audiverunt, fuere etiam ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι, *advenæ Romani*, ad tempus aliquod ibi habitantes. Act. II: 10. Ex his credibile est sermone Petri aliquos ad fidem Jesu efficaciter esse vocatos. Qui postliminio in patriam reversi gratiam sibi factam maligno silentio non occuluerunt; sed domesticis, cognatis, amicis, vicinis, cæterisque civibus suis admiranda illa quæ Hierosolymis audiverant, viderant, experti erant, magno cum affectu, uti merebantur, prædicarunt. Quod tuto & cum successu potuerunt facere, æquo tunc Christianis Tiberio. Id aliquas Christianæ fidei scintillas injicere animis potuit, mox exarsuras in luculentam flammam. Accedit, quod occasione afflictionis ortæ ob Stephanum multi fidelium ex Judæa quaquaversum dispersi, in iis ad quas veniebat regionibus evangelizaverint D. Jesum. Act. XI: 19, 20. Fieri potest ut in eis quoque fuerint *Andronicus* & *Junias*, cognati Pauli, *qui ante ipsum fuerunt in Christo*, qui & Romæ fuerunt, & *insignes inter Apostolos*, non solum fidei, pietatis, zeli nomine Apostolis notissimi & charissimi, sed & ipsi suo modo Apostoli, atque Evangelicæ doctrinæ strenuissimi propagatores Rom. XVI: 7. Qui quando primum Romam appulerint, non constat. Hoc constat, quando ibi fuerunt, non fuisse otiosos, sed ad amplificandum Christi regnum omnem impendisse industriam. Præterea *Urbanum*, quem Paulus *adjutorem suum in Christo* vocat, uti & *Aquilam* cum *Priscilla*, & *Apellem, probatum in Christo*, cæterosque plures, quos salutat nominatim, credibile est Romanæ Ecclesiæ presbyteros fuisse; olim fortassis cum cæteris Judæis & Christianis Claudii edicto pulsos, at sub Nerone reduces, qui dispersam Ecclesiam recollegerunt, auxerunt, & in eum statum promoverunt, ut tam insignia Pauli elogia meruerit. Non semper felicitas Ecclesiarum a fundatorum

datorum prærogativis pendet. Qui plantat nihil est; & qui rigat, nihil: sed Deus, qui incrementum dat, omnia.

XIV. Ad historiam Pauli pertinet id quod de sua infatigabili diligentia in Evangelii prædicatione, nulla equidem jactantia, sed sola veritatis conscientia, ad Dei gloriam, narrat Rom. xv: 19. se *ab Hierosolyma, καὶ κύκλῳ. & circumjacentibus regionibus, ad Illyricum usque Evangelium Christi implevisse.* *Illyricum* regio est inter Italiam, Germaniam, Macedoniam & Thraciam; quæ & *Illyris* dicta, nunc *Sclavonia.* Habet ab uno latere mare Adriaticum, ab altero Danubium. Et, nisi fallit *Zegeri* calculus, distat ab Hierosolyma xxvi. gradibus, milliaribus Germanicis plus minus 350, Brabanticis 500, Gallicis circiter 545. Quod magnum profecto terræ spatium est, præsertim si interjacentes regiones, in latitudine, quod oportet, sua considerentur. Nam κύκλῳ se prædicasse testatur Apostolus. Non est ut nos fatigemus inquirendo, quando hoc iter in Illyricum a Paulo institutum sit: qua de re supra etiam aliquid monui. *Sect. V. Num. XI.* Omnia Pauli itinera, quæ in hoc usque tempus fecit, simul mente complectenda sunt; ut justam ingentis illius tractus ideam formemus. Neque pigebit cuncta in compendium redacta una veluti obtutu contemplanda præbere. Initium prædicationis Paulinæ a *Damasco* est. Inde in *Arabiam* profectus, ibique triennium commoratus, *Damascum* rediit, mox *Hierosolymam* iturus. Hierosolyma *Cæsaream* profectus est, hinc *Tarsum* patriam suam: unde a Barnaba *Antiochiam* accitus est. Quocum iterum *Hierosolymam* tetendit, sublevandæ necessitati pauperum. Hierosolyma *Antiochiam* regressi, inde *Seleuciam* adiverunt, mox *Cyprum*, & *Pamphyliæ* civitates quasdam, & *Antiochiam Pisidiæ* ab illa Syriæ diversam, denique *Lycaoniam;* inde *Antiochiam* reversuri, unde fuerant commendati gratiæ Dei ad opus quod impleverant. Antiochia iterum *Hierosolymam* missi sunt, Apostolos & Presbyteros illius Ecclesiæ consulturi super necessitate circumcisionis cæterorumque rituum Mosaicorum: quo officio defuncti *Antiochiam* una cum decreto Apostolico redierunt. Dehinc *Phrygiam*, *Galatiam*, *Mysiam* peragravit Paulus, donec *Troada* pervenit; unde cœlesti visione in *Macedoniam* accitus *Europam* intravit, & itinere facto per *Amphipolin* & *Apolloniam*, ad mare Illyricum sitam, uti ex Grotio nuper observavimus, *Philippos*, & *Thessalonicam* Macedoniæ urbes, venit. Inde *Ephesum;* quo visitatis *Galatiæ* & *Phrygiæ* ecclesiis non multo post rediit. Epheso per tumultum Demetrii pulsus in *Macedoniam* & *Græciam* ivit, ibi dum tres menses peragit, hanc ad Romanos epistolam scripsit. Nullibi autem venit, quin asportaverit secum Evangelium Christi. Cuncta hæc animo complectenda sunt, ut universum eum campum nobis repræsentemus, quem semente Evangelii conspersit Apostolus: cujus unus terminus Hierosolyma est, alter Illyricum; ad cujus confinia aliquoties accessit.

XVI. Ingens terræ tractus, ab Hierosolymis usque ad Illyricum, quem repetitis itineribus Paulus Evangelio implevit.

XV. Propter insidias Judæorum Paulus per Macedoniam remeat.

XV. Nunc ad historiæ nostræ contextum redeamus. Quum Paulus tribus in Græcia mensibus exactis recta in Syriam cogitaret, ut collectas compendiosissima via deferret Hierosolymam, insidias sibi structas esse intellexit, a malevolis Judæis; fortassis thesauro, quem secum portabat, inhiantibus; magis tamen innoxium, at exosum sibi, sanguinem sitientibus. Eas insidias ut effugeret consultum duxit flexo itinere per *Macedoniam* remeare, inde in *Asiam* proprie dictam transiturus. Comites itineris habuit Sopatrem, qui Rom, XVI: 11. Sosipater dicitur, Berœensem, Aristarchum & Secundum Thessalonicenses, Gajum Derbensem, & Timotheum, cum Asianis Tychico & Trophimo; quos Philippis in Macedonia præmisit, expectaturos ipsum *Troade*. Quo cum Luca, & reliquis, post dies Azymorum Philippis solvens, intra quinque dies & ipse appulit, septiduum ibi moraturus.

XVI. Troade Eutychum, ex lapsu mortuum, vitæ restituit.

XVI. Magno sane Ecclesiæ istius bono, cui ædificandæ universam indubie hebdomada impendit; ita tamen ut *prima die hebdomadis*, quam cum Johanne Ecclesia Christiana *κυριακὴν Dominicam* dicit, solennem habuerit conventum, *ad fractionem panis*, sive sacrum epulum intelligamus quod ad fraternæ charitatis contesserationem in Veteri Ecclesia frequentatum *Agape* vocabatur: sive sacratissimam Domini cœnam, in perpetuam mortis suæ memoriam institutam, sive, quod malim, utrumque simul. Quorsum enim cogitatione nostra divellamus, quæ jungi a priscis, præsertim in tali qualis nunc erat rerum constitutione, solent? Paulo postridie discessuro, quis dubitat quin cunctorum animi ad omnia charitatis Christianæ officia exarserint? Hinc etiam factum, ut sermonem suum Paulus in multam noctem protraxerit, sine fatigatione loquens, sine tædio auditus. Nondum ad sacra sua Basilicas habebant Christiani; privatis contenti ædibus, modo capaces multitudinis essent. Hic igitur in *cœnaculo*, vilissima ædium parte, hic & alibi Apostolis, ut peregrinis & fortunæ tenuis, tributa (modo non fallat *Heinsii* observatio) congregati fuere; eoque, quod mox esset, *multis lucernis illustrato*. Sic enim non decoro solum, sed & conventuum suorum integritati & sanctitati consulebant: ne qua species esset calumniæ ac maledicentiæ; quam tamen omni prudentia ista sua effugere non valuerunt. Accidit eo tempore res omni commemoratione dignissima. Adolescens quidam, *Eutychus* nomine, dum solito diutius Pauli dissertatio protendebatur, profundo obrutus somno, eoque deturbatus, ex tertia contignatione prolapsus est deorsum, *& sublatus mortuus*. Sunt qui diabolo casum istum imputant, & juvenis intempestive dormientis perniciem, & Paulinæ orationis turbationem molienti. Id an verum sit nescio; hoc scio, providentiam Dei, cunctarum rerum moderatricem, ita hæc disposuisse, ut ad juvenis salutem, ad Paulini ministerii confirmationem, ad insignem piorum consolationem, & Evangelii incrementum cuncta cederent. Paulus enim

enim subito descendens prolapsus est in mortuum, uti Elias olim in filium viduæ Sareptanæ, & Elisæus in illum Sunamitidis 1 Reg. XVII: 21. 2 Reg. IV: 34. arteque complexus, dixit, *ne tumultuamini: anima enim ipsius in ipso est.* Non profecto quod mortuum fuisse neget, aut quod otiosis scholasticorum disputationibus, an anima, soluto informationis, ut vocant, vinculo, in mortuo corpore queat esse superstes, occasionem dare voluerit: sed simpliciter testatur, ad fidem suam & preces experiri jam se redeuntis vitæ indicia. Optime *Beza*: *Sic Paulus locutus est, vel in ipso editi miraculi momento, vel de re mox secutura certissimus. Sic Christus, & quidem dominus vitæ & mortis, quamvis de vere mortua puella, Non est, inquit, mortua, sed vivit. Mat.* IX: 24. Mox adduxerunt puerum viventem, cum in genti cunctorum solamine.

XVII. Mileti Ephesinæ ecclesiæ Presbyteros affectuoso sermone alloquitur.

XVII. Paulus autem, quod reliquum noctis erat piis colloquiis omnibusque sincerissimæ charitatis officiis impenso, prima luce decessit. Pedibus (sic enim constituerat; fortassis ut post diutinos cum hominibus sermones in solitudine liberius Deo & secum loqueretur) *Assum*, urbem in Mysia, profecturus. Quo Lucas cum reliquis sociis navigio eum præverterat, ibi recipiendum. Hinc pervenerunt *Mitylenem*, civitatem littoralem Lesbi, quæ obvia est ad dextram navigantibus in Chium insulam, vel, ut alii, insulam cum ejusdem nominis civitate in Ægeo mari. Inde post unius diei navigationem e regione *Chii*, notissimæ insulæ inter Lesbon & Samon, sequente die *Samum* insulam e regione Cariæ, appulerunt, & quum diversati essent apud *Trogyllium*, *promontorium* e regione Sami, postridie venerunt *Miletum*, urbem maritimam in continenti Ioniæ sitam. Festinabat autem Paulus, ut, si fieri posset, die Pentecostes esset Hierosolymis. Quamvis enim nulla amplius festorum religione teneretur, amavit tamen in solemnitatibus istis esse Hierosolymis, ob immensam quæ tunc undique confluebat non hominum modo sed & nationum multitudinem; quæ Evangelii compendio propagandi lætam spem faciebat. Ephesum igitur prætemavigare volens, ne tempus in Asia terreret, missis Mileto nunciis, Presbyteros Ephesinæ ecclesiæ eo accersivit, quibus suam primum in prædicando ipsis Evangelio alacritatem, fidem, constantiam commemoravit, mox promtitudinem suam exposuit ad ea omnia animose subeunda quæ Hierosolymis sibi imminere Spiritus Sanctus oppidatim testificabatur: deinde gravissima oratione officii sui commonefecit, & cum prolixa suæ adversus eos pietatis protestatione Deo & sermoni gratiæ ipsius commendavit. Tum positis genubus precatus iiscum est; omnibus eam ob rem maxime dolentibus, quod dixisset (ita enim futurum tunc putabat) *ipsos faciem ipsius post hac non esse conspecturos.* Act. XX: O mutuam sanctamque charitatem, quæ Christianismi non decus solum, sed & ipsa anima es, quid sine te inanis fidei jactatio, & prætensus veritatis zelus, & calidissimæ pro secta disputationes,

tationes, auctoribus suis proderunt? & si prophetiam habeas, & noveris mysteria omnia; & si linguis non hominum solum, sed & angelorum de iis loquaris; & si omnem fidem habeas, quæ vel ad montes loco movendos valeat, ne superbias miser: si charitatem non habeas, nihil es.

XVIII. Tyri discipulos invenit, & de impendentibus sibi Hierosolymæ malis monetur.

XVIII. Sic DIVELLEBATUR Paulus a dilectissimis sibi Ephesinæ ecclesiæ Senioribus. Act. XXI: 1. Ipsa vero proficiscendi necessitate adactus, recto cursu cum comitibus *Coum* venit: quæ maris Mediterranei insula est prope Cretam, non modo Æsculapii cultu, & Junonis æde, sed & Hippocratis & Appellis natalibus celebrata. Sequenti die *Rhodum*, solis cultu & Colosso nobilem. Illinc *Patara*, Lyciæ metropolim, & portum. Hic navem nacti quæ trajectura in Phœniciam erat, ea conscensa provecti sunt, & *Cypro* ad sinistram relicta, navigarunt in *Syriam*, & appulerunt *Tyrum*, quæ civitas est maritima, metropolis Phœnices, quondam insula septingentis passibus divisa a continente mari prælto, sed vix credibili opere comportatis aggeribus per Alexandrum Magnum adjuncta continenti. Ibi navis onus suum erat expositura. Id occasionem Paulo, quantumvis festinanti, dedit, ut integrum septiduum moraretur. Leviorem autem moram fecit, quod discipulos inveniret, quibus non ipse solum cognitus erat, sed & eventura sibi Hierosolymis mala, patefacta ipsis per Spiritum Sanctum: quo auctore ea etiam Paulo prædicabant; quamvis de suo adderent illam ex mero pietatis affectu ebullientem hortationem, *ne ascenderet Hierosolymam;* ignari quippe specialis illius impulsus, quo Paulus, spiritu vinctus. Act. XX: 22. eo ferebatur. Hac enim restrictione intelligenda esse puto Lucæ verba Act. XXI: 4. *Paulo dicebant per spiritum, ne adscenderet Hierosolymam.* Proficiscendum tamen Paulo erat. Itaque peractis illis diebus abiit, omnibus eum deducentibus cum uxoribus & liberis, ad extra urbem usque, ubi positis in litore genubus simul oraverunt. Et post mutuos complexus, Paulo navim conscendente, illi reversi sunt domum.

XIX. Ut & Cæsareæ per Agabum.

XIX. Tyro igitur delatus est Paulus *Ptolomaidem*, urbem Phœnices, quam Plinius testatur olim *Acen* dictam, id est, *Acco* Jud. I: 31. ubi salutatis fratribus unum diem manserunt: postridie venerunt *Cæsaream*, Stratonis; & ingressi sunt domum *Philippi*, qui unus ex septem Diaconis fuerat, nunc autem insigni sibi promotione κατὰ βαθμὸν facta, I Tim. III: 13. *evaserat Evangelista*, id est, ut breviter & acute *Grotius*, *presbyter περιοδευτής, nulli certæ Ecclesiæ affixus.* Huic quatuor filiæ erant, omnes ad eum usque diem virgines, & prophetico præditæ spiritu; quod domum, in primitiva ecclesia frequens, nulli sexui aut ætati adstrictum erat. His ex Judæa accessit *Agabus* propheta, pridem Paulo ex alia prædictione notissimus. Act. XI: 28. Qui, more prophetis sueto, accepta Pauli zona manus ac pedes sibi vinciens, vincula Hierosolymis ipsum manentia prædixit. Unde iterata piorum obsecratio est, ne pergeret Hierosolymam.

XX. Ve-

XX. Verum ipse destinationis certus, comiter quidem, ut par est, obtestationes illas admisit, sed de cætero animose respondit, *paratum se esse non solum vinciri, sed & mori Hierosolymis pro nomine Jesu.* Quo audito, fratres acquieverunt, Dei providentiæ res omnes committentes. *Hierosolymam* itaque perrexit: comitantibus eum ex Cæsarea discipulis, & adducentibus apud quem diversaretur *Mnasonem* Cyprium, antiquum discipulum. Act. XXI: 16. tunc, uti credibile est, ad fidem Christi vocatum quando Paulus & Barnabas Evangelium Cypri prædicabant Act. XIII: 4. nunc autem ædes suas Hierosolymæ habentem. Non abs re est quod notaverit Lucas, ipsos apud Mnasonem hunc fuisse diversaturos. Difficile enim fuit, in tanta undique ad festivitates annuas adventantium frequentia, commodum invenire hospitium. Tunc sane, si unquam, φιλοξενίας exercendæ occasio erat. Nam si non lege cautum, moribus certe valebat, ne quis incola Hierosolymitanus domum suam mercede locaret venientibus ad festa: gratis concedendam pio advenæ. Sic itaque sub Divinæ ductu Providentiæ Paulus Hierosolymam venit: magnum ipsi constantiæ ac zeli theatrum futurum.

XX. Intrepido tamen animo Hierosolymam pergit.

SECTIO X.

De Pauli Vinculis in Judæa.

BREVIARIUM.

I. *Paulus Jacobo & Presbyteris Hierosolymitanis exponit Dei gratiam suo ministerio gentibus factam.* II. *Falso traductus, quod defectionem a Mose docuisset.* III. *Ad cujus calumniæ refutationem a Presbyteris persuaderi se patitur ut in voti communionem veniat.* IV. *An recte sic suaserint Presbyteri, recte auscultaverit Paulus.* V. *Exculpantur illi.* VI. *Et hic.* VII. *Paulus templi profanati mendacissime accusatus male mulctatur.* VIII. *A Claudio Lysia, tribuno, sævientium manibus bis ereptus.* IX. *Pauli cum Anania Pontifice disceptatio, multis pressa difficultatibus.* X. *Fieri facile potuit ut Paulus non nosset ejus temporis Pontificem.* XI. *Vel saltem nesciverit, se Pontificis jussu esse cæsum.* XII. *Dura Pauli oratio non ex animi impotentia, sed ex Spiritu Prophetico profecta fuit.* XIII. *Neque ullo pacto Apostolicis prærogativis quidquam derogat.* XIV. *Uti nec Apologia; qua culpam non fatetur, sed negat.* XV. *Senatus Judaicus compositus erat partim ex Pharisæis, partim ex Sadducæis; quorum hi cæteris valde exosi.* XVI. *Quam ob rem se Pharisæum esse proclamat, cui ob assertam mortuorum resurrectionem lis intendatur.* XVII. *An satis candide? Imo; sed & prudenter.* XVIII. *Dominus noctu Paulo apparens bono animo esse jubet, & Romæ de se testaturum esse pollicetur.* XIX. *Nefanda* XL *Judæorum contra Paulum conspiratio.* XX. *A Pauli nepote detecta, & a Tribuno elusa.* XXI. *Paulus apud Felicem accusatus.* XXII.

 Caussam

Caussam suam egregie perorat. XXIII. *Drusillæ historia.* XXIV. *Apud hanc quoque Paulus de religione ac virtute animose disserit.* XXV. *Ab avaro Felice, nummorum spe, in vinculis biennium detentus; donec Felix successorem acciperet Portium Festum.* XXVI. *Quod quoto Neronis anno contigerit, aliter putat L. Cappellus.* XXVII. *Aliter Pearsonus.* XXVIII. *Paulus caussæ apud Portium Festum dicta.* XXIX. *Cæsarem appellat: juste ac legitime.* XXX. *Interim & ab Agrippa ac Bernice magno cum animorum motu auditur.*

I. Paulus Jacobo & Presbyteris Hierosolymitanis exponit Dei gratiam suo ministerio gentibus factam.

VIx pedem Hierosolymam intulerat Apostolus, quin comiter, ut par est, a fratribus, una cum comitibus suis, exceptus sit. Postridie adventus sui invisit *Jacobum*, illum ex Apostolis qui columnis Ecclesiæ cum Petro & Johanne accensitus fuit Gal. 11:9. quique omnium postremus Hierosolymæ mansisse, illiusque Ecclesiæ curam singulari ratione in se suscepisse, videtur. Is, hujus rei in tempore certior factus, convocaverat omnes Ecclesiæ Hierosolymitanæ Presbyteros; ea ex Pauli ore audituros, eaque cum ipso consilia sociaturos, quæ ad commune bonum rei Christianæ quam maxime pertinerent. Paulus itaque eos Christiana pietate complexus, ordine singula exposuit, non tam quæ ipse patraverat, quam quæ ipsius ministerio Deus fecerat; cujus unius gloriæ cuncta in solidum adscribi voluit. Præcipue ea narravit, quæ in gentibus ad fidem Evangelii ac participationem bonorum fœderis gratiæ efficaciter vocandis, mirabilia ipsi acciderant. Tantum vero abest, ut vel gentibus eam salutem, vel Paulo eam Evangelii tam feliciter prædicati gratiam, inviderint fratres Hierosolymitani; ut omnes unanimi corde & ore glorificaverint Dominum, eique propter eam gratiæ suæ, tam late se extendentis, ubertatem gratias egerint gratissimas.

II. Falso traductus, quod defectionem a Mose docuisset.

II. Mansit tamen Judæis istis fratribus suæ potissimum nationis & avitorum rituum amor imis infixus medullis. Quem primo congressu aperuerunt. Vides, inquiebant Paulo, *vides frater, quot sint millia Judæorum qui crediderunt* (adeo intra xxv annos auctum illud sinapi granum est) *qui omnes magno studio totius Mosaicæ legis observandæ tenentur.* Quumque illi primas in ecclesia Christiana partes, neque contemnendas prorsus sententiæ suæ rationes, habere videantur; tam prudentia quam charitas poscit, ut aliquid iis indulgeatur. Porro *de te audiverunt ex aliorum sermone*, (illorum credo Judæorum qui Paulo tot molestias in Asia creaverant) *te defectionem a Mose docere omnes qui inter gentes sunt Judæos, & dicere eos non debere circumcidere filios, neque secundum ritus ambulare.* In ea relatione, uti arbitror, aliquid veri erat, aliquid falsi. Quamvis eo potissimum tenderet Pauli prædicatio, fideles ex gentilibus Mosaicorum rituum jugo gravandos non esse; haut obscure interim indigitaverat, ne Judæos quidem amplius iis teneri: quippe umbris quas corpori jam præsenti cedere decebat, & ejusmodi cerimoniis

moniis quæ ad justificationem consequendam nullius omnino efficaciæ aut utilitatis erant. Cæterum illud mera ac putida erat calumnia, quod idcirco defectionem a Mose doceret. Constanter enim professus est, Mosen esse fidelem Dei famulum in tota domo ipsius, etiam in testimonium eorum quæ postea erant dicenda. Heb. III: 5. neque se quidquam unquam dixisse extra ea quæ prophetæ ac Moses futura prædixerunt. XXVI: 22. Duntaxat verum rituum Mosaicorum scopum, & genuinam Dei in iis olim populo Israëlitico præscribendis mentem indicaverat, eamque ex Mose & ipsa ritum istorum indole, prudenter, & ubi res ferebat, demonstraverat. Quod adeo non cedit in illorum dedecus, ut unicam quæ ex iis hauriri potest utilitatem, & Dei in eorum præscriptione sapientiam, manifestam faciat.

III. At dubitare nefas non est, an omnes illi fratres Hierosolymitani eo tempore accurate & distincte illa intellexerint. Ideoque Paulo dicunt: *Quid ergo est? oportet omnino convenire multitudinem*, universam quæ in hac urbe est ecclesiæ Christianæ plebem: fieri enim non poterit ut tuus adventus clam ipsos maneat. Ne displiceat igitur tibi consilium, quod nos, quibus status Ecclesiæ optime perspectus est, admodum tempestivum, ac propemodum necessarium est arbitramur. *Sunt nobis viri quatuor, qui voto se obstrinxerunt. His assumtis sanctificator cum eis, & adde ad eorum sumtus, ut radant capita, & norint omnes, nihil esse eorum quæ de te auditione exceperunt, sed te quoque ita incedere ut legem observes.* Difficile erit hæc recte intelligere, nisi ex Hebræorum Antiquitatibus aliquantulum clarentur. Vota quæ isthac ætate a Judæis concipiebantur non unius erant generis. Nonnumquam illi qui in itinere erant, qui in morbo cubabant, qui gravibus constricti erant adflictionibus, vota pro salute faciebant. Notabile est exemplum *Berenices*, *Josepho* memoratum *de bello Jud. Lib.* II. *Cap.* XV. Ἐπεδήμει ἐν τοῖς ἱεροσολύμοις τότε, εὐχὴν ἐκτελοῦσα τῷ Θεῷ. Τοὺς γὰρ ἢ νόσῳ καταπονουμένους, ἢ τισὶν ἄλλαις ἀνάγκαις, ἔθος εὔχεσθαι πρὸ τριάκοντα ἡμερῶν ἧς ἀποδώσειν μέλλοιεν θυσίας, οἴνου τε ἀφέξεσθαι, καὶ ξυρήσασθαι τὰς κόμας. *Venerat Hierosolymam, ut vota Deo solveret. His enim qui morbo vel aliis necessitatibus implicantur mos est orare per triginta dies, antequam immolent hostias: abstinere quoque vino, & capillos radere.* Sed & vulgare erat *Nazireatus temporarii* votum; cujus ritus describuntur Num. XXVI. Utrius generis votum fuerit quatuor horum virorum, non exprimente sacra historia, tuto ignorare licet. Si tamen aliquis conjecturæ locus, inclino ad suspicandum votum Naziræatus fuisse; tum quia illud erat solemnius, validiusque observatæ legis Mosaicæ argumentum; tum etiam quia eo nos ducunt sequentia. Petunt enim a Paulo, ut velit δαπανῆσαι ἐπ' αὐτοῖς, *sumtus* vel *pro illis*, vel *una cum illis facere.* Hoc autem ex veteri Judæorum instituto est. Scribit enim *Maimonides Libro* הפלאה, *Tractatu* נזירות, *Cap.*

III. Ad cujus calumniæ refutationem a Presbyteris persuaderi se patitur ut in voti communionem veniat.

VIII: obtinuisse apud Judæos, ut, si quis dixisset, יהרי עלי לגלח נזיר id Græce diceretur, δωπανήσω ἐπὶ ναζαραίω, ἵνα ξυρήσηται τὴν κεφαλήν, teneretur ille sumtus facere in victimas a Naziræo offerendas, peractis voti diebus: sive integros in se sumtus suscepisset, sive partem duntaxat, Naziræo ipso quod reliquum erat præstituro. Quæ præclare a *Petito* observata sunt *Variarum Lectionum Cap. ultimo*. Hujus nunc rei auctores Paulo sunt; ut isthac ratione ostenderet, se & voventibus favere, & voto. Paulus autem, qua erat facilitate, omnibus omnia fieri suetus, gnarusque cerimonias istas, quamvis mortuas, necdum tamen sepultas, nedum mortiferas esse, consilio paret, sanctificat se cum illis, ingreditur templum, denunciat se tantum pecuniæ destinasse in victimarum sumtus, offerendarum expletis diebus sanctificationis, quorum, ut ex com. 27. colligitur, septem duntaxat restabant.

IV. An recte sic suaserint Presbyteri: recte auscultaverit Paulus.

IV. Ambigi fortasse posset, an non omnis iste apparatus hypocrisi & scenæ quam simplicitati & sinceritati Christianæ similior sit. Nam Seniores Hierosolymitani nimio gentis amore ad non probandam indulgentiam videntur fuisse prolapsi. Videntur etiam Paulum ad simulationem inducere. Nam neque de nihilo natus erat rumor quod Judæos a cerimoniis retraheret; nec ambulabat prorsus in observatione legis. Deinde ut ponamus Jacobum cum fratribus Hierosolymitanis Pauli sententiam & doctrinam de observatione rituum non prorsus habuisse perspectam; ipse tamen Paulus optime sibi conscius erat, se constanter docuisse, non solum fideles ex gentibus nulla eorum religione teneri, sed & Judæos ipsos Christum professos a pædagogica legis servitute in libertatem esse assertos. Cur igitur persuaderi sibi patitur, ut ea nunc agat, ex quibus cognoscere possint omnes, *nihil eorum verum esse*, quæ fama de ipso prædicaverat, quum aliqua saltem vera esse videantur? An pudet ipsum Hierosolymis profiteri, quæ in Asia & Græcia docuerat? Cur non solito candore suo usus est, ac sine circuitione declaravit, omnino hanc suam esse mentem, Judæos non teneri amplius circumcidere filios suos, circumcisionem nihil in Christo valere, nihil esse, sed fidem in Christum, & observantiam mandatorum Dei, esse omnia? Quæ profecto dogmata tanti ad omnem rem Christianam momenti sunt, ut nulla dissimulatione sint obscuranda. Imo & ex eventu patere videtur, infeliciter Paulo cessisse, quod novam & insolitam personam induens, minus constanter quam pro suo more libertatem a Christo partam asseruerit. Enim vero non sine specie hæc objiciuntur: & memini locutum esse viro docto & non pœnitendæ in republica litereria existimationis, cui tanti erant istæ difficultates, ut fere de totius sacræ historiæ, imo universæ religionis Christianæ divinitate dubitare se fateretur.

V. Exculpantur illi.

V. Cæterum si quis penitus omnia introspiciat, occurrent, quæ tam senioribus Hierosolymitanis, quam Paulo prorsus exculpando faciant.

Primo

Primo quidem generatim est observandum, sincerum ac prudens hujus rei judicium ex circumstantiis pendere, quarum nonnullæ saltem uti nos hodie latent, ita omnes ipsis fuerunt perspectissimæ. Porro ingens multorum millium turba, legi Mosaicæ addictissima, & malevolorum calumniis seducta, sequiorem de Pauli ministerio suspicionem fovebat; quam evidenti ac fere palpabili argumento animis ipsorum eximi oportebat, ne crederetur Mosaicæ legis contemtor esse. Adde, quod Hierosolymæ multa habebant invitamenta ad servandas legis cerimonias; templum nimirum, totumque sacrificorum & sacrificiorum choragium, quæ quotidie ipsis ob oculos versabantur; ut major esset excusatio si tardius eas desererent. Deinde totum fere corpus Ecclesiæ Hierosolymitanæ constabat ex Judæis; ut minus periculum esset a scandalo gentium. Nam in aliis regionibus hæc discessionis caussa erat, quod suo quisque mori addictus legem aliis imponere nitebatur. Porro non constat, Jacobum & seniores zelum illum immoderatum approbasse, eive favisse. Quamvis enim aperte non damnent, neque asperius de eo conquerantur, quia tamen se separant ab illorum affectu, tacite innuunt eum sibi non admodum placere. Etsi autem vitio non carebat zelus iste, curatio tamen, ut difficilis, tam subita, minus violenta, esse non potuit. Denique auctores Paulo non sunt quidquam faciendi, quod aut animi sui religioni, aut doctrinæ a se prædicatæ contrarium foret; sed solummodo, ut insigni aliquo exemplo dilueret calumnias malevolorum, quasi ipse Mosaicas eas leges contemneret, & apostasiam a principe Prophetarum doceret. Nam uti nihil horum verum erat, ita & Pauli ipsius totiusque ecclesiæ intererat, ut isthac se suspicione exsolveret.

VI. Atque ita a senioribus ad ipsum Paulum oratio nostra delabitur. Cujus ingenuitas candidissima, & invicta constantia, tot tamque præclaris exemplis confirmata, ne hic quidem ipsum destituit. Cæterum uti columbinam simplicitatem ita & serpentinam prudentiam Christo magistro didicerat. Non omnia omni tempori ac loco æque convenientia esse norat: suam ut loquendi, ita & tacendi, esse oportunitatem: tribuendum aliquid consilio prudentum, etiam infirmitati fratrum, præsertim si numero plurimi sint: nihil quidem dissimulandum in præjudicium veritatis, sed exspectandas quandoque oportunitates, quibus ea majore cum fructu doceri possit. Ita ergo se voluntaria subjectione rudibus & minus probe edoctis insinuare studuit, ut prodesset. Nam semel admissus commode ad moderandum istum zelum transisset. Magnam ergo laudem meretur ejus humanitas, quod non modo in gratiam imperitæ plebis comiter se demittit; sed & eorum infirmitati morem gerit, quibus indigne & contra rationem suspectus fuerat. Neque ex eventu de bonitate aut malitia actionum esse judicandum prudentiores omnes sciscunt. Ita enim concludendum foret, displicuisse Deo servorum suorum παῤῥησίαν, quam plerumque ma- VI. Ethic.

ximis afflictionibus redimere debuerunt. Atque hæc sunt quæ pro Jacobo & senioribus Hierosolymitanis, quæ pro Paulo etiam, dicenda habemus; magnam, fateor, partem ex gravissimis & sapientissimis *Calvini* commentariis desumta.

VII. Paulus templi profanati mendacissime accusatus male mulctatur.

VII. Verum interim est, nihil Paulum sua ista humanitate atque indulgentia promovisse. Quum enim in templo illum conspexissent quidam ex pervicacibus Judæis Asiaticis, qui Hierosolymam ad festum adscenderant, magna vociferatione turbas concitaverunt: sive temere credito, sive confricto crimine, quod introducto in templum Trophimo, homine Ephesio & incircumciso, sacratissimum locum polluisset. Iterum historiæ huic ex hebræorum monumentis accendenda fax est. Templum Hierosolymitanum ab Herode ita constructum fuisse testatur *Josephus Antiq. Lib.* XV: *Cap.* XIV: *& de bello Jud. Lib.* VI: *Cap.* VI. ut duplici constaret quadrangulari septo amplissimo, quorum alterum intra alterius ambitum, in medio, situm erat. In secundi, sive interioris septi medio collocatum fuit חיכל, sive Templum stricte sic dictum, quo continetur locus ille qui dicitur Sanctus, & Sanctum Sanctorum. Utrumque septum, tam exterius, quam interius, undique latis & amplissimis cinctum erat porticibus, ad excipiendum populum. Inter utrumque septum spatium fuit sub dio, patente cœlo, vacuum & apertum. In eo spatio lorica lapidea, sive humilis quidam paries, non nisi tres cubitos altus, quo septum interius ab exteriore separabatur. Ad exterius septum, non Judæi solum qui haut usque quaque mundi secundum legem erant admittebantur, sed & ipsis ibi gentilibus qui adorandi caussa Hierosolymam veniebant suus erat locus. Verum lorica illa lapidea ab ingressu interioris septi gentiles omnes discludebantur. Quin & in lorica illa paribus intervallis dispositæ fuerunt columellæ quædam, *legem*, ut Josephus loquitur, *castimoniæ* præmonentes, aliæ Græcis, aliæ Latinis literis, in locum sanctum nefas esse alienigenis, sub pœna capitis irrumpere. Quum igitur Judæi isti Paulum cum suis quibusdam comitibus in interiori septo conspicarentur, scirentque Trophimum Ephesium nuper in ipsius comitatu fuisse; falso criminati sunt, quod hominem gentilem, contra omne jus & fas, violata templi sanctitate, in locum sacrum gentilibus interdictum, introduxisset. Tantum autem insanis clamoribus suis furiosi Judæi effecerunt, ut plebs effera Paulum templo extractum verberibus prope ad necem mulctaverit.

VIII. A Claudio Lysia, tribuno, sævientium manibus bis ereptus.

VIII. Et interfecissent revera, nisi superveniente Tribuno Romano, Claudio Lysia, manibus ipsorum ereptus, & in castra ductus esset. Tribuno interim, quum Græce loquentem audivisset, interroganti, nunquid Ægyptius ille esset, qui nuper tantum turbarum dederat, & quatuor sicariorum millia deduxerat in desertum, cujus historia videri potest apud *Josephum Antiq. Lib.* XX: *Cap.* VI, negat Paulus, asserens se Judæum religione,

gione, civitate vero Tarsensem esse, urbis non obscuræ in Cilicia civem. Veniamque sibi petit alloquendi populum: qua impetrata, manuque silentio facto, Hebraica eos oratione compellat. Eaque totum vitæ suæ institutum, sed imprimis mirabilem sui ad Christianismum & Apostolatum vocationem, accurate exponit. Et quum in eo esset, ut hæc Christi ad se verba commemoraret: *Proficiscere, nam ego te longe ad gentes emittam*, non compescuerunt se diutius, insana vociferatione clamantes, tollendum e terra hominem istiusmodi: non enim convenire ut viveret. Clamantibus igitur Judæis, & projicientibus pallia, & pulverem jactantibus in aërem, tribunus Paulum in castra ductum flagris examinari jubet: a quo tamen supplicio, civem se Romanum esse declarans, liberatus est. Quumque vellet tribunus certo rescire cujus rei a Judæis accusaretur, solvit eum e vinculis, postera die primarios sacerdotes totumque ipsorum synedrium convenire jussit, ac deductum Paulum coram eis statuit. Act. XXII.

IX. Paulus, postquam sibi fandi facta esset copia, intentis in consessum oculis, omni bona *conscientia ad eum usque diem Deo se serviviſſe* protestatur. Ananias vero, Pontifex Maximus, non ferens istam in reo loquendi libertatem, imperavit adstantibus ut os ejus cæderent. Quam iniquitatem Paulus gravi oratione increpuit: *Futurum est*, ait, *ut percutiat te Deus, paries dealbate; tu sedes, ut judices me secundum legem, & legem transgrediens jubes me cædi?* Valde sermo iste adstantibus displicuit: quorum unus, *itane*, inquit, *Pontifici illi Dei maximo conviciaris?* Cui sedata mente respondit Paulus, *Nesciebam, fratres, Pontificem esse maximum: scriptum enim est, Principi populi tui non maledices.* In ista Pauli sermocinatione multæ occurunt magnæque difficultates, quæ interpretum ingenia mirum in modum exercuerunt. Primum enim qua ratione nescire potuit Paulus Pontificem Maximum, quum vix ulla in universa Hebræorum Republica persona existeret pluribus & insignioribus notata characteribus; præsertim in festivitatibus solemnibus? Deinde, si vel nescivisset, quid hoc ad duræ orationis suæ apologiam facit? non enim certe nescire poterat, unum ex summis judicibus, & consequenter ex Principibus populi esse, cui haut magis fas erat maledicere quam Pontifici Maximo. Denique dira illa in Ananiam oratio argumento esse videtur, destitutum eo tempore Paulum fuisse Divini spiritus assistentia, quæ & animum & sermonem regeret. Impotentis enim animi indicium est: quam impotentiam neque spiritus prophetiæ, neque patientia Evangelica Paulo inspiraverat. Quid quod & ipse sua excusatione crimen fatetur? Fieri autem nullo modo potest; ut idem spiritus primo dictet sermonem aliquem justo acerbiorem, & mox sermonis istius retractationem. Immo ne ipsa quidem excusatio bona esse videtur. Evangelium enim nemini permitit maledicere; sive is cui maledicitur in Magistratu sit, sive privatus aliquis ex plebe. Quibus difficultatibus quid respondendum sit, ordine videamus.

IX. Pauli cum Anania Pontifice disceptatio, multis pressa difficultatibus.

X. Fieri facile potuit ut Paulus non nosset ejus temporis Pontificem.

X. Qui credunt Paulum non potuisse nescire Pontificem Maximum, illi nescire interpretantur non agnoscere; non habere pro Pontifice. Quod alii de officio, & munere Pontificio; alii de persona Ananiæ intelligunt. Priores volunt, Paulum nullum pontificem nunc agnoscere, præter Jesum Christum: quia manifestato nunc Christo Pontifice, omne sacerdotium, maxime quod se Christo opponebat, omni jure nullum esset; adeo ut quisquis pro Pontifice gesserit sese, parietis dealbati instar habeat, nomenque tantum inane. Posteriores satius arbitrantur Pauli orationem ad personam Ananiæ restringere, quem scilicet Paulus pro Pontifice non agnoscat. Vel quia revera Pontifex tunc non esset, sed in veri Pontificis, sive Josephi, sive Ismaëlis, partes se obtrusisset; nudo illi Pontificatus nomine relicto: vel quia sacerdotium, quod eo tempore venale erat, pecunia sibi comparaverat; didicerat vero Paulus a Gamaliele, judicem qui honoris consequendi caussa pecunias dederit revera neque judicem esse, neque honorandum, sed Asini habendum loco, ut est in codice *Sanhedrim*: vel quod nihil in ipso Pontifice dignum comparuerit: saltem adversus Paulum se non pro Pontifice gesserit. Quæ quidam acute a Viris doctissimis observata esse quis neget? cæterum an cum Apostoli genio atque ingenio admodum conveniant, non immerito dubitatur. Fateor me quoque ab ejusmodi commentationibus haut alienum olim fuisse: uti videre est ex *Miscellaneorum meorum Tom.* I. *Lib.* I. *Cap.* XXII: *Num.* XXVII. Sed uti dies diem docet, ita & me profecisse agnosco ex Doctissimi *Gatakeri Miscel. Sacr. Lib.* I. *Cap.* VI. atque eas quidem interpretationes quæ simplicissimæ sunt reliquis nunc anteponendas arbitror. Cur autem incredibile nobis videatur Paulum simpliciter nescivisse, quod Ananias eo tempore Pontifex fuerit? quum & diu Hierosolymis abfuisset Apostolus, ipsumque inter alios multos considentem conspicaretur, nullo admodum notabili indicio ab aliis distinctum: nam Pontificatus insignia non nisi in templo conspiciebantur. Accedit, quod iis temporibus Pontificia dignitas nunc a Præfectis Romanis, nunc a Regibus Judæis, modo huic, modo illi delata, eisdemque paullo post pro lubitu ademta fuerit, ut intra unius anni spatium tres quandoque Pontificatum gessisse ferantur. Atque huic quidem sententiæ calculum suum adjicit, quem modo laudavi, laudatissimus *Gatakerus*.

XI. Vel saltem nesciverit, se Pontificis jussu esse cæsum.

XI. Si tamen id minus placeat? en aliud quod æque simplex est, & *Riveto* nostro imprimis arrisit. *In Isagoge ad Script. Cap.* XXI. *Num.* VII. *Mihi*, inquit, *verisimilius est, audivisse quidem Paulum vocem emissam ab aliquo, ex his qui ad judicandum sederant, neque tamen scivisse a quonam illorum vox profecta esset. A Pontifice autem profectam non putavit, quum propter ejus auctoritatem, a qua indignum erat tam præcipitem offensionis significationem edi, tum propter simulatam saltem sanctitatem, a qua tam iniqua vox non videbatur eruptura. Accedit, quod concilium hoc non fuerat coactum in loco consueto, ubi definitus*

definitus esset judicantium seu deliberantium ordo, pro cujusque dignitate & meritis; sed prope arcem, quo accersitum fuerat a Tribuno, & ubi Paulus erat. Quod indicat illud præcedentis Capitis, jussit sacerdotes convenire; pro quo Græce ἐλθεῖν, id est venire. Audivit ergo Paulus vocem in turba, & illi a quo emissa est denunciavit paratam esse a Domino pœnam. Eodem inclinare video Doctissimos Annotatores Anglos. *Clericus* pariter; *Videtur tunc temporis Paulus alio convertisse oculos, ita ut non animadvertisset, quis jussisset ipsum cædi. Itaque supplendum hic ex superioribus, ὅς ἐπέταξε τύπτεσθαι αὐτοῦ τὸ στόμα, qui jusserat os ejus cædi. Nihil est simplicis, nodum in scirpo alii quærunt.* Maneat ergo, vere & sincere Paulum dixisse, non novisse se sacerdotem Maximum; sive prorsus ignoraverit Ananiam eum esse, sive nesciverit eum cujus jussu percussus erat esse Pontificem. Atque hactenus respondit ei qui dicam impingebat violatæ dignitatis Pontificiæ.

XII. Dura Pauli oratio non ex animi impotentia, sed ex Spiritu Prophetico profecta fuit.

XII. Sed quid hoc ad excusandam maledictionem? Enimvero nihil; siquidem verba Pauli eam maledictionem contineant, quæ lege & Evangelio interdicta est: quam neque in Pontificem, neque in judicem ullum, neque adeo in privatum qualemcunque fas est effari. At falluntur qui ita instituunt. Durus quidem Pauli sermo fuit: sed personæ suæ, ac rei præsenti conveniens. Optime Grotius: *utitur jure Prophetæ.* Nam I. Prophetarum est libere reprehendere, non viros tantum Principes, sed & Reges. 1 Reg. XVIII: 18. 2 Reg. III: 13. Jes. I: 10, 23. Ezech. XXI: 25. II. Eorundem est indicere improbis Dei judicia. Jes. XXII: 17, 18. Jer. XXII: 18, 24. 28. Apostoli autem Prophetæ erant, & amplius. Merito itaque Paulus & hypocrisin hominis increpuit, & Dei judicia non quidem imprecatus est, sed denunciavit. Τύπτειν σε μέλλει. Comprobavit Prophetiam eventus. Nam, observante *Grotio,* Ananiæ incertum mortuo, an amoto, non multo post hoc tempus suffectus est Ismaël Phabi. Non fuit ergo impotentia aut iracundia Pauli hujus sermonis origo, sed Spiritus Propheticus. Simile vid. Act. XIII: 9—11. Nihil hic contra institutum Evangelii, sed omnia ex auctoritate Apostolica. 2 Cor. X: 2—6. Nihil contra exemplum Christi, sed secundum illud Matth. XXIII: 27. Jussit quidem suis Christus, ut in sinistram maxillam percussi dextram quoque cederent. Mat. V: 39. sed non idcirco tale ab iis exegit silentium, quo improborum hominum audacia alatur: sed tantum voluit frenare animos ne illatam injuriam ferant impatientius. Parati potius alteram ferre, quam ulcisci priorem.

XIII. Neque ullo pacto Apostolicis prærogativis quidquam derogat.

XIII. Unde consequitur, nullum hinc argumentum peti posse adversus Apostolorum in docendo ἀναμαρτησίαν. Si enim illatio illa procedat, verum erit, Paulum in tam illustri Apologia peccasse adversus prima Christianismi elementa, turpi iracundia abreptum ea fecisse quæ Evangelii ministro, quæ Apostolo, quæ Christiano quovis indigna sunt, excusatione

usum esse absurda atque inepta, si non & subdola: nam etiamsi Pontificem esse ingnoraret; magistratum tamen esse ipse fatebatur: male, & contra Evangelium interpretatum esse Mosis mentem, quasi ita interdixisset magistratui maledicere, ut permiserit maledicere privato: consequenter passum esse ut κακοποιὸν: denique prodidisse hisce omnibus causam Evangelii. Quorsum hæc tendunt? Hoccine conciliari potest cum promissione Christi? Math. x: 19. Luc. xii: 11. aut protestatione Pauli 1 Cor. iv: 12, 13. *convitiis affecti, bene precamur: si qui nos persequantur, sufferimus; infamati precamur.* Tantane impotentia, atque imprudentia, consistere potest cum spiritu δυνάμεως, καὶ ἀγάπης καὶ σωφρονισμοῦ; quem sibi vindicat 1 Tim. 1: 7. Usque adeone Martyribus, & confessoribus e vulgo inferior nunc Paulus est? Vide sodes quo non transversos agat homines improbæ disputationis æstus.

XIV. Uti nec Apologia; qua culpam non fatetur, sed negat.

XIV. At si nihil mali egit Paulus, quorsum ergo apologia? Responsio facilis est. Non ea excusatione utitur Paulus, qua crimen fatetur, uti prætendit cavillator; sed qua se exculpat. Protestatur enim se bene gnarum & memorem Divinæ legis, in hæc verba non prorupisse contra legem; neque convitium dixisse lege vetitum. Quippe cujus sermo non sit iracunda imprecatio, sed justa increpatio, cum pœnæ denunciatione conjuncta, neque profectus ex animo malo, sed ex meliori & superiori principio. Atque ita apologia ista sapiens, prudens, sancta, neque indigna Spiritu Sancto est. Eaque observatione omnes cavillatoris sophisticationes cadunt. Hanc me defensionem Paulo adversus iniquos criminatores debuisse credidi.

XV. Senatus Judaicus compositus erat partim ex Pharisæis, partim ex Sadducæis; quorum hi cæteris valde exosi.

XV. Qui non animum modo probe sedatum, sed & insignem prudentiam in orationis suæ persecutione ostendit. Compositus erat senatus ex Pharisæis & Sadducæis; quorum hi & Spirituum, tam Angelorum quam mentium humanarum, separatam a corpore existentiam, & corporum resurrectionem negant; illi vero credunt & profitentur utrumque. Cui Lucæ observationi adstipulatur *Josephus Antiq. Lib.* xvii: *Cap.* 11. *Pharisæi,* inquit, *animas credunt esse immortales, & sub terris earum judicia fieri: tum præmia cuique contingere ex virtutis aut malitiæ merito: & has perpetuis damnari carceribus, illis facilem esse ad vitam reditum. At Sadducæorum opinio cum corpore extinguit simul & animas.* Quæ sententia quum omnem prorsus religionem evertat, & spem atque exspectationem Sanctissimorum Patriarcharum plane destruat; mirum videri posset, qua ratione tam profani homines, a veri nominis Israëlitis, non modo in eorundem sacrorum communione tolerati, sed & ad Magistratum admissi, imo in supremum populi senatum allecti fuerint. Equidem ante natum Zadocum, qui sectæ nomen fecit, fuerunt & alii in gente Judaica, quibus animorum immortalitatem & mortuorum resuscitationem inficiari collubitum est. Quod a Malachia

vate

vate iis exprobratur Cap. III: 14. Narrant autem in *Talmude Babylonico*, Titulo *Berachot*, adversus hos homines formatum esse decretum in magno illo senatu cui Ezras præfuit. Nimirum stante Templo primo ad coronidem orationum dicere solebant, *Benedictus Dominus Deus Israëlis in seculum.* Quum vero irrumperent Hæretici; instituit Ezras & Consessus ejus ut diceretur, מן העולם ועד העולם *a seculo & in seculum.* Ad innuendum, duplex esse seculum, scilicet hoc & futurum: & ad exstirpandum e corde opinionem eorum, qui mortuorum resurrectionem negant. Quæ si vera sunt, hæresin Sadducæorum, ante natos Sadducæos jam in concilio suo damnaverit Ezras. Seriorum temporum historiæ, quotiescunque de origine Sadducæismi agunt, toties fere exortas tunc hæreses esse conqueruntur, & Sadducæos infami stigmate מינים id est *hæreticorum* notant. Passim videas Zadocum, & Baithosum socium ejus, ראשי מינים *capita hæreticorum* dici. Ab illo tempore, scribit *Maimonides in Pirke Abbot*, יצאו אלו הכתות הארורות של מינים *egressæ sunt sectæ illæ maledictæ Minæorum* sive *Hæreticorum.* De quibus quid senserint, scitum Talmudicum docet in Titulo *Ros Hasschana; Epicuræi* (hoc quoque elogio, ob sententiarum convenientiam, Sadducæos notant) *& socii ipsorum descendunt in infernum, & puniuntur ibi in generationes generationum.* Adversus eosdem dirum illud carmen intonari solet: *Nomen improborum putrescat.* Solemnes etiam preces in Synedrio Jafnensi, cui Gamaliel Pauli nostri magister præfuit, contra eosdem conceptæ sunt. Quam orationis formulam vocant, *Imprecationem Minæorum, Sadducæorum, & Epicuræorum:* tametsi nonnulli Christianos eo convitio designatos esse contendant. At repugnat *R. Judas Levita in Libro Cozri, part.* III: §. 65. הצדוקים והביתוסים אינם כי אם מינים אפיקורוסים מכחשים העולם הבא והם המינים שאנו מתפללין על זה בתפלתנו: *Sadducæi & Baithosæi non sunt nisi hæretici Epicuræi, negantes seculum futurum, & sunt illi ipsi hæretici contra quos idcirco in precatione nostra oramus.* Certum quoque est, quamvis omnibus Israëlitis partem esse dictent in futuro seculo, communi tamen Doctorum decreto eos Israëlitarum eximi, qui mortuos in vitam revocandos esse negant. Ex quibus omnibus apparet, quantopere exosa cæteris Israëlitis Sadducæorum secta fuerit. Non tamen eo usque valuit Pharisæorum auctoritas, ut magistratu eos excludere potuerint; quod & ipsi opibus pollerent, & magnatum multos haberent partibus suis faventes, *Josepho* teste *Antiq. Lib.* XIII: *Cap.* XVIII. Attamen si magistratum ipsos suscipere contingeret, ut plurimum Pharisæorum decretis subscribere cogebantur: ni facerent, non ferendi a plebejorum multitudine. *Ibid. Lib.* XVIII: *Cap.* II.

XVI. Quæ quum non ignoraret Paulus, oppido prudenter elata in consessu voce se Pharisæum & Pharisæi filium esse dixit, qui nunc de sperata mortuorum resurrectione in judicium vocetur. Nam in ea prædicationis ipsius

XVI. Quam ob rem se Pharisæum

esse proclamat cui ob assertam mortuorum resurrectionem lis intentatur.

ipsius summa consistebat, Act. XVII: 18. Quæ si nulla esset, omnem prædicationem suam omnemque Christianorum fidem, vanam esse, ne ipse quidem infitetur. 1 Cor. XV: 13, 14.

XVII. An satis candide? Imo; sed & prudenter.

XVII. Verum profecto est in isthac agendi ratione qua Paulus utitur stratagema aliquod latere. Neque enim caussa ipsius in sola mortuorum resurrectione vertebatur. Alia erant quæ præcipuam ipsi conflabant invidiam: nimirum quod Jesum, ab ipsis crucifixum, Messiam esse contenderet, quod cerimoniis non admodum faveret, quod gentes ad communionem gratiæ admitteret. Nihil tamen in hoc stratagemate est, quod Apostolum Christi dedeceat. Nam præterquam quod vera sint quæ dicit omnia, uti modo est ostensum, notandum est, sic exorsum fuisse Paulum, ut qui ingenue & sincere totam caussam exponere cuperet, nec astute refugisse puram & integram confessionem, qualis a servis Christi edenda esset. Sed quid ageret? Obstructus erat aditus, non dabatur audientia, in ipso orationis exordio importunis alapis turbabatur. Sibi ipsi quidem optime conscius erat, nec difficile fuisset bonam caussam æquis judicibus approbare. Sed experiebatur eos qui pro judicibus se gererebant cæco odio præcipites ferri. Quum igitur sciret intestinis dissidiis laborare eos qui in se conspiraverant, extremo remedio usus est; ut scilicet hostes ipsos inter se committeret. Quod & ex animi sententia cessit. Tantum enim ista Pauli oratio valuit, ut scissis in partes patribus, Pharisæi quidam doctores surrexerint, ac depugnaverint, nihil se mali in homine isthoc invenire: si autem Spiritus aliquis, per influxum Propheticum, aut Angelus, Divinæ voluntatis interpres, locutus ei fuerit; committendum non esse ut Deo repugnare videantur. Contradicentibus autem aliis, magna in senatu orta seditio est, mutuisque jurgiis ita excanduerunt togatorum seniorum animi, uti periculum esset, ne Paulus ab illis discerperetur. Quod veritus Tribunus, jussit militum manum descendere, eumque e medio ipsorum raptum in castra deducere.

XVIII. Dominus noctu Paulo apparens bono animo esse jubet, & Romæ de se testaturum esse pollicetur.

XVIII. Dominus interim afflicti servi sui non obliviscitur: sed sequente nocte, ubi animo in varia distracto cogitationes multiplicabantur, ubi ipsa fortasse terrebant insomnia, vel ardentibus precibus sanctisque meditationibus vigiliæ tædium fallebat, superveniens Jesus, bono animo esse jussit; non enim periturum ista hostium immanitate, sed *uti constanter de ipso attestatus erat Hierosolymis, ita oportere ut & Romæ testaretur.* Magna sine dubio res Paulo erat, tam illustri documento iterum experiri, adeo se curæ ac cordi esse Domino suo, cui unice placere nitebatur; & in quo uno omnem suam collocaverat fiduciam. Magna res erat, quod intelligeret, & actiones hactenus suas, & agendi quem servaverat modum, adeo probari supremo suo judici, ut & similia alibi ab ipso fieri vellet, & quidem Romæ, amplissimo totius orbis terrarium theatro. Magna denique res erat,

erat, quod ad tam strenua generosæ militiæ exercitia se adservatum, sustentatum, roboratum iri, ex ipso Imperatoris sui ore certior redderetur, securus non defuturam eam gloriæ coronam, quæ tot tantisque certaminibus respondeat. Si solius naturæ ratiocinationibus, ex eo quod præsens est cuncta metiri solitis, locus detur; frigida & inanis consolatio ista censeri queat. Satius enim esse videtur semel perire, ac celeri morte defungi, quam longo temporis tractu in vinculis tabescere. Non enim liberationem ei promittit Dominus, ac ne lætum quidem in hac vita exitum. Tantum molestias, quibus plus satis urgetur, in diuturniores moras extrahit. Verum ita est ut dixi strenua in conspectu Imperatoris, incitantis, laudantis, victoriam ac coronam pollicentis, pugna majorem generoso militi voluptatem adfert, quam opimum, sed deses, otium.

XIX. Dum Dominus ita pro servo suo vigilat in bonum, hostes, somni impatientes, vigilant in malum: quod orto die inter se communicant. Prorsus ut illi quibus væ intentatur a Domino Mich. II: I. *Væ cogitantibus iniquitatem, & dantibus operam malo in cubilibus suis; quod illucescente mane faciunt, quum est in potestate manus ipsorum.* Nimirum quidam ex Judæis facta coitione devoverunt se, neque esuros, neque bibituros donec interemissent Paulum. Non modo conspirationem hic habemus in tantum scelus, quantum est innocui, quid dico, innocui? imo & sanctissimi hominis parricidium; sed & conspirationem, juramento sancitam, ne quis a proposito desistat: cui & anathema ac diras addunt, omnia sibi mala sponte imprecantes, nisi quod animo conceperunt nefas effectum dent. In omni quidem jure jurando tacita subest exsecratio, si quis pejeret: sed quo magis se obstringerent hi scelerati, anathematis formulam conceperunt, ac capita sua diris devoverunt, quæ insolitum incuterent horrorem. Incredibile prorsus amoris in gentem suam exemplum Paulus edidit, quum in hæc verba scriberet. Rom. IX: 1, 2, 3, 4. *Veritatem dico per Christum, non mentior, attestante mihi simul conscientia mea per Spiritum Sanctum: magnam mihi tristitiam esse, & sine intermissione cruciatum cordi meo: optarim ego ipse Anathema esse a Christo, pro fratribus meis, cognatis meis secundum carnem; qui sunt Israëlitæ.* At juxta fere incredibile est exemplum odii, quo iidem illi fratres, & cognati Pauli secundum carnem, illi Israëlitæ, tantopere ab ipso dilecti, in ipsum flagrant; ut non in vitam modo ipsius conspirent, sed & omni cibo potuque sibi interdicant, cum diris semet ipsos devoventes, donec mala eum morte, & ipsorum quidem manibus inferenda, periisse cernerent. Tantum religio potuit suadere, si Paulum spectes, bonorum; si hostes ipsius, malorum. Et ne paucos fuisse suspiceris, plures quam quadraginta viri in hac conjuratione fuere: qui, consilio cum primariis Sacerdotibus ac Senioribus communicato, auctores iis fuerunt, ut a Tribuno Paulum ad consessum deduci peterent, veluti caussam ipsius ex-

XIX. Nefanda XL Judæorum contra Paulum conspiratio.

quisitius percognituri: se interim paratos fore ad ipsum interimendum. Cui scelestæ ac nefandæ conspirationi dum subscribunt Sacerdotes, horribili documento produnt, se nec ullo Dei timore tangi, nec ulla humanitate esse præditos. Per eos certe non stetit, quo minus & sibi ipsis, & toti populo extremam accersiverint perniciem.

XX. A Pauli nepote detecta, & a Tribuno elusa.

XX. Sed aliter Divinæ visum Providentiæ est; cuncta ita moderanti ut consilium illud nefarium innotuerit filio sororis Pauli, & per eum ipsi Paulo. Adeo nullum est consilium, nulla prudentia contra Jehovam, vafris populi sui hostibus non sine irrisione è cœlo dicentem, *Inite consilium, & dissipabitur; proferte verbum, & non stabit.* Jes. VIII: 10. Quis credidisset retegendas esse per puerum insidias, quas tanta se vafritie excogitasse, & quarum se solos conscios esse, opinabantur conjurationis socii? Paulus quidem, vitæ non ita cupidus quin lubenter ad mortem properaret, si sic visum fuisset Domino; attamen ea se lege Christo servire gnarus, ut non minus illi vivat quam moriatur, patefactum sibi periculum non negligit, sed quæ clam Judæi moliebantur per nepotem suum Tribuno nunciari curat. Qui comiter exceptum adolescentem promte ac studiose audivit. Neque hoc sine Deo: qui solet mollire corda ferrea, feroces spiritus domare, & ad omnem humanitatem formare, quibus uti decrevit ad suorum defensionem. Tribunus igitur de veritate eorum quæ sibi ab adolescente nunciabantur persuasus, tertia hora noctis Paulum, militum satellitio septum, una cum literis præcipua caussæ capita continentibus, ad *Felicem* Provinciæ præsidem misit. Felix iste, cujus prima hic est mentio, servili genere ortus, Claudii imperatoris, & matris ejus Antoniæ, libertus erat, & ab hac Antonii, ab illo Claudii prænomen acceperat. Frater erat *Pallantis*, quem apud patronum Claudium *flagrantissima gratia* tum fuisse, a *Tacito* notatum est *Annal.* XI. Fuit autem undecimus Judææ Procurator, qui cuncta malefacta impune sibi fore ratus, tanta fratris gratia ac potentia subnixo, *per omnem sævitiam ac libidinem jus regium servili ingenio in Judæa provincia exercuit*, ut & hæc *Taciti* verba mihi sumam ex *Histor.* V. Ad hunc Felicem Cæsaream deductus Paulus, ab eo jussus est in Herodis prætorio custodiri, audiendus quum adfuerint accusatores. Act. XXIII.

XXI. Paulus apud Felicem accusatus.

XXI. Qui non diu se desiderari passi sunt. Etenim quinque post diebus Hierosolyma descenderunt Cæsaream, Ananias Pontifex Maximus, suæ dignitatis prodigus, cum turba togatorum patrum, & Tertullo quodam oratore; ut auctoritati eloquentiam adderent. Ad judicem admissi, & citato Paulo, Tertullus accusationem orsus, ex artis suæ præscripto, Præsidis favorem ante omnia captat, profusis laudibus, & indigna adulatione. *Multa nos pace potiri per te, & ea quæ recte ac feliciter in hac gente providentia tua facta sunt, prorsus & ubique agnoscimus, præstantissime Felix, cum omni gratiarum actione.* Quod exordium uti paucula trahebat ex vero, ita putidis

plerumque

plerumque mendaciis fœdum erat. Quamvis enim latrones aliquos pacem publicam infestantes coërcuisset Felix, perquam tamen avare, crudeliter ac libidinose in tota provinciæ suæ administratione se gesserat. Indolem porro ipsius manifestam fecit indigna nuper ac tragica cædes Jonathæ summi Pontificis, vel saltem alicujus *ἐκ τῶν ἀρχιερέων*, quem subornatis sicariis crudeliter interemit: non aliam ob caussam, quam quod se indomitæ ipsius tyrannidi libera oratione opposuisset. *Cujus facinoris*, sic pergit *Josephus Antiq. Lib.* XX. *Cap.* VI. *quia nemo ultor extitit, invitati hac licentia sicarii, per singula festa ventitantes, & tela celantes, pari modo immixti turbis, alios confodiebant propter privatas inimicitias, alios conducti pecunia, idque non modo in reliquis urbis partibus, sed in ipso etiam Templo. Nam & ibi interdum ausi sunt cædes patrare; ac si nihil hoc modo pietatem læderent. Unde fas est credere, Deum tanta impietate offensum, aversatum esse Hierosolyma: temploque, ut non amplius puro domicilio, induxisse Romanos, flammis lustralibus id purificaturos.* Hæc scilicet erat præclara illa tranquillitas, qua Felicis providentia potiebantur. At perinde Tertullo erat quid diceret, modo faventem sibi, contra Paulum, judicem efficeret; quem & brevitatis pollicitatione docilem reddere conatur. Mox in Paulum sine modo ac mensura detonat, ut *hominem pestiferum, qui omnibus per orbem terrarum Judæis seditionem moveat, quique princeps sit hærezis Nazaræorum* (sic enim in Judæa dicebantur Christiani, a Domino ac Magistro suo, Jesu Nazareno) *qui templum etiam tentaverit profanare: eamque ob rem prehensus, & secundum Judæorum legem judicandus, violentia Tribuni Lysiæ manibus ipsorum ereptus, & ad Felicem abductus sit.* Ubi & ipsi nunc, accusatores quidem, sed non nisi jussi, compareant, rogantes, ut *inquisitione habita ipse de re tota cognoscat.* Æqua petitio; sed ut iniquum auferrent. Sperabant enim Felicem talibus ampullis persuasum iri ut reum, ipsis a Tribuno extortum, ipsorum iterum libidini subjiceret.

XXII. Paulus quamvis tam immanes calumnias non sine justa indignatione audiret, nihil tamen præcipitanter agendum ratus, signum expectavit quo sibi fandi copia a judice daretur. Innuente itaque Præside, eo se alacriori animo defensionem sui suscipere præfatur, quod ei loquatur qui rerum Judaicarum ignarus esse non poterat, neque genium gentis non novisse; quippe cui a multis jam annis (quos *Usserius* decem putat, *Pearsonus* quinque cum dimidio, alii aliter) præfuerit. Porro seditionis crimen a se amolitur: quum non nisi duodecim dies sint quod Hierosolymam accesserit, non malo aliquo consilio, sed pietatis testandæ gratia, adoraturus in templo, ubi nemo ipsum comperit aut disputantem cum aliquo, aut coitionem turbæ facientem, uti neque in urbe, neque in Synagogis. Quumque nihil eorum quæ objecerant probare possent; merito pro falsis habenda esse contendit. Quod vero de *hæresi Nazaræorum* criminati erant, sine dissimulatione ulla, non fatetur solum, sed & gloriatur, se *secundum viam illam, quam*

XXII. Caussam suam egregie perorat.

hæresin isti vocabant, *patrium Judæorum Deum*, Deum scilicet Abrahami, Isaaci & Jacobi, *colere*, *omnibus credentem quæ in Lege & Prophetis scripta sunt*, adeo ut nihil ab Israëliticæ Ecclesiæ consensu diversum habeat. Quacum communem ex scripturis spem conceperit, fore resurrectionem mortuorum, tum justorum, tum injustorum. Eam vero spem tantam in animo suo vim habuisse testatur, ut propterea exercuerit se ad inoffensam semper conscientiam coram Deo & hominibus servandam. Criminationem denique de Templi religione violata, ex eo refellit, quod post multorum absentiam annorum eleemosynas ad pauperum Hierosolymitanorum solatium apportans venerit; tantum abest ut nocere, ut etiam prodesse illis voluerit. Addit, tantum abfuisse, ut quidquam in Dei, Legis, aut Templi contemtum fecerit, ut etiam victimas obtulerit, & in legitimi voti communione se sanctificaverit, idque agens in Templo ab iis deprehensus, & tam insana ferocia pessime habitus sit. Quasi diceret: si beneficia in populum conferre est pestilentem esse, si juxta legem purificari, oblationes offerre, & tranquille in templo agere, est templum profanare, aut seditionis auctorem esse; jam plane vera esse fateor quæ ab illis mihi sunt impacta. Si vero illi templum profanant, qui ejusmodi pietatis officia interturbant; sane Judæi revera ii sunt, quem me credi postulant. Quia vero Judæi quidam ex Asia totius incendii hujus flabella fuerant, hos abesse queritur; caussæ nimirum suæ diffisos, & convictos flagitii. Tandem quasi collecta fiducia, præsentes adversarios provocat, ut libere proferant, si quid probare se posse sperent quod inique ab ipso in eorum consessu actum sit. Quum constet, non alia de caussa tantum se molestiæ subire, nisi quod resurrectionem mortuorum se sperare aperte professus fuerit. Quibus utrinque auditis, Felix ampliandum censuit, & exquisitiorem caussæ cognitionem ad adventum Lysiæ Tribuni distulit. Paulum vero laxiori & liberiori custodia servari jussit.

XXIII. Drusillæ historia.

XXIII. Interjectis aliquot diebus Paulum ad se & uxorem suam *Drusillam*, ejus audiendi cupidam, accersiri jussit. Felicem *trium Reginarum maritum* fuisse testatur *Suetonius*, *Claudii Cap.* XXVIII. Quod nonnulli ad stuprum, alii, & rectius, ad matrimonium referunt; & per Reginas indigitari monent fœminas regio sanguine prognatas, Regum filias aut neptes. Istarum una prorsus ignoratur. Duas autem *Drusillas* habuit: quarum prior fuit Drusilla, Antonii & Cleopatræ neptis, Cleopatræ junioris, cognomento Selenæ, & Jubæ, Mauritaniæ Regis, filia. De hac *Tacitus Histor.* V. *Antonius Felix Drusillam Cleopatræ & Antonii neptem in matrimonium accepit: ut ejusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset.* Altera filia fuit Herodis illius Agrippæ, cujus tragicam mortem habemus Act. XII. Soror junioris Agrippæ, de quo mox. Cujus Drusillæ matrimonia exponit *Josephus Antiq. Lib.* XX. *Cap.* V. *Has donationes quum a Cæsare accepisset Agrippa, collocavit Azizo Emessenorum Regi*, περιτέμνεσθαι θελήσαντι *circumcisionem*

cumcisionem suscipere volenti, sororem Drusillam. Epiphanes enim Antiochi Regis filius recusavit ejus nuptias, quod mutata sententia Judæorum religionem amplecti nollet, ut erat pollicitus puellæ parentibus. Drusilla autem non multo post dimissa est ab Azizo ex caussa hujusmodi; Felix quum esset Judææ procurator, visa hac fœminarum omnium pulcherrima, amore ejus captus, Simonem amicum suum, Judæum genere Cyprium, pro mago se gerentem, ad eam misit, qui mulierem sollicitaret ut relicto priore marito ipsi nuberet, Beatam fore pollicens si non fastidiret hominem. Illa male consulta volens evadere molestationes sororis Bernices, invidentis sibi formæ præcellentiam, consensit calcata religione patria Felici nubere.

XXIV. Hæc est illa nostræ nunc considerationis Drusilla; quæ quamvis profano se coinquinasset conjugio, conjicere tamen ex hoc loco licet, non prorsus ex animo ipsius deletum fuisse quem ab infantia imbiberat religionis sensum. Lucas enim Drusillam nominans, satis innuit in illius gratiam vocatum fuisse Paulum, quem Felix fortasse colloquio cæteroqui suo dignatus non fuisset. Venit itaque Paulus, ac *prædicavit fidem quæ in Christum est*. Quum ad tribunal reus staret, objecta sibi crimina diluenda habuit; de religione Christiana ut prolixam institueret dissertationem, neque temporis illius, neque loci erat. Nunc vero ubi apertam sibi dicendi januam cernit, neque Præsidis offensionem formidat, nec discrimine ullo terretur, quo minus omnem Evangelii veritatem intrepide exponat. Itaque videmus hic tam infractæ constantiæ quam solertis prudentiæ eximium in Paulo specimen: nec unquam Evangelii lucem ab eo fuisse consulto suppressam, sed judicio habitum fuisse temporis delectum. Ita porro de fidei Christianæ articulis disputavit, ut eos omnes ad virtutis studium comparatos esse doceret: nominatim de *justitia & continentia* disseruit, quod apud homines, quales Felix & Drusilla erant, contrariis vitiis immersi, perquam judicabat esse necessarium, mentionem etiam *futuri judicii* injicit, ut securas mentes Divinæ severitatis metu percellat. In omnibus vero eam ostendit dicendi libertatem, eam docendi auctoritatem, eam persuadendi vim, ut tremefactus Felix ad id tempus abire ipsum jusserit, opportuniore occasione iterum audiendum. Mirum enim vero spectaculum! Ex vinculis Paulus disserit de judicio Dei. Is vero a cujus arbitrio vita & mors ejus pendebat, totus exhorrescit; nec aliud invenit solatium, quam si eum a conspectu suo submoveat.

XXIV. Apud hanc quoque Paulus de religione ac virtute animose disseruit.

XXV. Post illa Felix Paulum crebrius ad colloquia accersivit: non ut boni aliquid ex ipso disceret; sed nummos, si pote, eliceret. Quamvis enim de innocentia Pauli animo suo persuasissimus esset, homo tamen avarus & corruptelis deditus gratis insontem absolvere noluit. Non nesciebat sane, parum a captivo suo expectandum esse, homine egeno, & destituto; nec modica præda contentus esse potuit inexplebilis gurges. Sed audiverat de collectis a Paulo Hierosolymam delatis, credebatque non defuturos ei

XXV. Ab avaro Felice, nummorum spe, in vinculis biennium detentus; donec Felix

successorem acciperet Portium Festum.

amicos, ad eum redimendum sumtus libenter facturos. Verum quum ab eo nundinationis genere Paulus abhorreret, & fratribus parceret, factum est ut integrum biennium in captivitate manserit, donec Felix successorem acciperet *Portium Festum.* [r] Cui Paulum judicandum reliquit, ut Judæis gratificaretur. Sed frustra fuit. Vix enim a Procuratione fuerat dimotus, quin Primores Judæorum Cæsaream incolentium Romam ad eum accusandum profecti sint; dedissetque omnino pœnas injuriarum quibus Judæos affecerat, *nisi Nero eum donasset Pallantis fratris precibus, qui tum in pretio erat apud Principem.* referente *Josepho Antiq. Lib.* XX. *Cap.* VII.

XXVI. Quod quoto Neronis anno contigerit, aliter putat L. Cappellus.

XXVI. Quo Neronis anno ista contigerint, nulli Veterum tradiderunt; quia tamen ea res ad Pauli historiam suis temporibus rite dimetiendam non parum facit, recentiores Chronologi conjectando annum illum assequi nituntur; singuli illud imprimis accurantes, nequid hic inveniatur quod hypothesibus suis obsit. *Ludovicus Cappellus* conjectat, Festum Felici successorem missum esse sub finem anni secundi Neronis; hac inductus ratione, quod Pallantis precibus, multum eo tempore apud Principem valentis, supplicio ereptus sit. Jam vero ex Tacito certum est, Pallantem, Agrippinæ Neronis matri charissimum, a Nerone primò imperii sui anno rerum cura fuisse demotum, eodemque anno Majestatis fuisse postulatum, sed absolutum, quod falsa esset illa criminatio. Nunquam postilla in Neronis gratiam rediisse videtur. Saltem ea non potuit esse diuturna. Nam anno quinto Nero matrem suam interfecit: octavo Pallantem veneno sustulit. Sublata matre Neronis, cujus auctoritate Pallas aliquid potuit, gratia omni plane eum excidisse existimandum est: Nerone jam pridem opibus ejus invidente atque inhiante, omnibusque ejus superbia offensis. Unde colligit Cappellus, ab omni verisimilitudine procul abesse eorum sententiam, qui anno demum quinto Neronis, post interfectam matrem, Festum Felici successisse volunt: quum jam antea imminuta esset Pallantis apud Neronem auctoritas.

XXVII. Aliter Pearsonus.

XXVII. Sed longe aliter rationes istas putat *Pearsonus*, qui ad sextum Neronis refert: quoniam Nero non nisi diu post initium imperii sui Pallantem in pretio habere cæpit. Quod ita conficit: Nam ipso statim initio imperii Neronis tædium sui moverat Pallas. *Tacitus Annal.* XIII. *Cap.* II. Secundo imperii anno ineunte a cura rerum demotus est. *ib. Cap.* XIV. Tertio ineunte læsæ majestatis reus fit, & quum absolutus esset, innocentia ejus grata non erat. Quarto imperii anno Nero Poppææ amore capitur, Agrippina contemnitur, tanquam ad libita Pallantis provoluta. Quinto Agrippina ipsa occiditur: & sic odii Pallantis apud Neronem, postquam est potentia exutus, unica caussa sublata est. Post Agrippinæ cædem nulla Pallantis apud Neronem offensio memoratur. Nono tandem imperii anno veneno tollitur, nullius criminis reus, nullius novæ apud Neronem offensionis:

sionis: sed ex arbitrio Tigellini, & tantummodo *quod immensam pecuniam longa senecta detineret. Tacitus Annal. Lib.* XIV. *Cap.* LXV. Quid ni igitur, sic infert Reverendissimus Præsul, sexto Neronis anno exeunte, tanta Pallas apud eum gratia floreret, ut fratrem suum, quem Nero ipse Procuratorem fecerat, a paucis Judæis accusatum, liberaret? Eodem fere *Spanhemii* rationes recidunt; a quibus me non abhorrere pridem professus sum.

XXVIII. *Portius Festus*, Felicis Successor, ut pedem in Provinciam intulit, Cæsarea Hierosolymam adscendit; ubi mox coram eo apparuerunt Pontifex Maximus & primarii ex Judæis, accusationi in Paulum coeptæ insistentes, atque hanc, non tam justitiam adversus eum, quam gratiam sibi fieri obsecrantes, ut Paulum Hierosolymam arcessi juberet: eo animo ut insidiis factis in via ipsum interimerent; clandestina sicariorum usuri opera, quo defugere auctoritatem possent. Respondit autem Festus, Paulum Cæsareæ bene asservari, ibi non minus quam Hierosolymis accusari & a se judicari posse, se brevi eo esse profecturum, & quibus ex Judæorum proceribus commodum erat, licere ut una secum descendant, accusationes contra eum hominem, si quas habeant, intentaturi. Fortassis a Felice de infesto Judæorum in Paulum animo certior jam factus, dolum aliquem petitioni isti subesse suspicabatur; cautius itaque in negotio hoc procedendum ratus. Certe post dies non plures octo aut decem (variant enim Græca exemplaria) Cæsaream profectus, postero die in tribunali sedens (nam quæ de plano, ob rei momentum, fieri non poterant, pro tribunali agebantur) Paulum ad se duci jussit. Nec defuerunt accusatores ex Hierosolymis, multis ac gravibus criminationibus Paulum prementes; sed ad quas probandas idoneis destituebantur argumentis. Paulus autem innocentiæ sibi suæ conscius, quidquam a se vel in Judæorum legem, vel in Templum, vel in Cæsaris auctoritatem, quæ tria accusationis capita fuerant, peccatum esse, strenue negabat, ac futilitatem accusatorum valide arguebat. At Festus gratiam a Judæis inire cupiens, nec quicquam tamen contra Romani Juris severitatem ausus, rogavit Paulum, num & ipse cuperet Hierosolymæ a popularibus suis judicari? Quod prudenter sane multasque ob caussas Paulus abnuit: & judices illos, & urbem, & iter ipsum reformidans. Protestatus se ad *Cæsaris tribunal* stare; ita enim, & recte quidem, vocat illud quod Procurator habebat nomine & mandato Cæsaris. Ibi se oportere judicari, quoniam Præsidis Romani erat, cognoscere de cive Romano. Præsertim, quum Judæos nulla affecisset injuria. Quod tam erat in liquido, ut latere Præsidi non posset. Addit, non deprecari se pœnam, si culpa teneatur; imo ne mortem quidem, si eam meruerit. Si vero omnis criminis purus sit, uti se esse protestabatur, contra jus & fas esse, ut juratis hostibus suis donaretur. Denique, *se appellare Cæsarem*.

XXVIII. Paulus caussa apud Portium Festum dicta.

XXIX. Li-

XXIX. Cæsarem appellat: juste ac legitime.

XXIX. Licuit id ipsi, ut *civi Romano*, in tali casu. Nam (ut consulte Grotius) ante sententiam appellari potest, si quæstionem in civili negotio habendam judex interlocutus sit: vel in criminali contra leges faciat. Erat autem contra leges Romanas civem Romanum Provincialibus hominibus judicandum tradere, id nolentem. Unde *Plinius*, in epistola de Christianis: *Erant & alii similis amentiæ, quos, quia cives Romani erant, annotavi in Urbem remittendos*. Licuit etiam, ut *Christiano*. Non enim Deus, qui ad suum potissimum tribunal respicere Christianos jubet, iisdem humani ac civilis judicii subsidio uti prohibet: quo minus, ubi res poscit, a legibus atque ordine Politico opem petant. Neque exemplo hoc suo evertere censendus est doctrinam quam Corinthiis tradidit Epist. I. Cap. VI: I. Non enim absolute in iis damnavit, quod auxilium Magistratus pro juris sui defensione implorarent: sed quod in iis rebus quæ ad vitæ hujus usum pertinent nihil possent ferre damni, & quod crebro, temere, & cupide nimis litigantes Evangelium multis probris exponerent. Licuit denique, ut *Apostolo*. Nam ex ipsius Domini ore intellexerat, non minus sibi Romæ de Christo testificandum esse, quam testificatus fuerat Hierosolymis. Act. XXIII: II. Ei itaque officio ut semet ipsum reservaret, consilio Dei inserviens, omnem sibi honestam rationem tentandam esse existimat, ut crudelibus Judæorum manibus ereptus Romam veniat, & occasionem coram ipso Cæsare dicendi nanciscatur: cætera committens Deo. Nequaquam committendum sibi Festus credidit, ut appellationi isti intercederet, sed paucula pro more cum Concilio collocutus, respondit, *Cæsarem appellasti, ad Cæsarem proficisceris*.

XXX. Interim & ab Agrippa ac Bernice magno cum animorum motu auditur.

XXX. Interim dum expectatur oportunitas Paulum mittendi Romam, usu venit ut *Agrippa Rex* & *Bernice* Cæsaream appellerent, salutaturi Festum. Erat hic Agrippa abnepos Herodis Magni, sub quo natus est Christus; nepos Aristobuli, a patre necati; filius Herodis Agrippæ de quo Act. XII. a Josepho dictus Agrippa Junior. Magna hic fuit apud Claudium Imperatorem gratia, a quo Herodis Chalcidis Regis, patrui sui, regnum accepit: quo deinceps ei ablato, ab eodem Claudio donatus est Tetrarchia Philippi eum Batanæa, Tachonitide & Abilena, quæ prius fuerat Lysaniæ Luc. III: I. Postmodum Nero ipsi dedit partem Galilææ, cum Tiberiade, Tarichæa & Juliade trans Jordanem, cum pagis XIV. Fuit hic Agrippa Regum Herodiodarum ultimus, qui capta vastataque Hierosolyma Romam concessit: ubi Prætoriis honoribus auctum scribit *Dio*. Certe cum Berenice sorore habitavit in Palatio. Eadem illa quacum nunc Cæsaream venit: prostituti pudoris fœmina. Quæ primum Herodi Regi Chalcidis, patruo suo, nupta, viduitatem ipso mortuo aliquamdiu coluit, sed parum honestam ac pudicam. Suspecta enim erat nimia ipsius cum Agrippa fratre familiaritas. Quod incestus probrum ut extingueret, Polemoni Ciliciæ

Regi

Regi nupsit: rursus tamen, lubidini magis indulgens quam pudori, divortium cum eo fecit, & ad fratrem rediit: aucto hinc nefariæ conversationis rumore. *Joseph. Antiq. Lib.* xx. *Cap.* v. Quam & *Juvenalis* taxavit *Satyra* vi.

Adamas notissimus & Beronices
In digito factus pretiosior; hunc dedit olim
Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori.

Tacitus de eadem Histor. II. Nec *minore animo Regina Berenice partes juvabat, florens ætate formaque, & seni quoque Vespasiano magnificentia munerum grata.* Gratior tamen Tito filio: de quo idem Tacitus: *Neque abhorrebat a Berenice juvenilis animus.* & *Suetonius*, Titi VIII. *propter insignem Reginæ Beronices amorem, cui & nuptias pollicitus ferebatur.* Hic est ille Agrippa, hæc illa Berenice, coram quibus Paulus Christianismi caussam tam diserta, tam flexanima oratione exposuit, ut, quamvis Festus, Romanis superstitionibus incantatus, præ nimio ipsum literarum studio insanire diceret, Agrippa tamen temperare sibi non potuerit, quin fateretur, propemodum sibi persuaderi ut Christianus fieret. In qua re iterum insignis est triumphus, tam veritatis Evangelicæ, quam innocentiæ Pauli. Nam & consessus fere integer, audita hac Pauli apologia, nihil ipsum morte aut vinculis dignum committere judicavit: & Agrippa Festum monuit, dimitti istum hominem potuisse nisi ad Cæsarem appellasset Act. xxvi.

SECTIO XI.

De navigatione Pauli versus Romam.

BREVIARIUM.

I. *Paulus in itinere Romano singularem Dei favorem expertus est.* II. *Comitem gratissimum Aristarchum habuit.* III. *Et centurionem faventem.* IV. *Cum adversis ventis aliquamdiu luctati.* V. *Vehementi tandem tempestate fere oppressi fuere.* VI. *Sed insigni Dei in Paulum favore salvi evaserunt.* VII. *A Melitensibus comiter excepti.* VIII. *Novum in Paulo prodigium, quod fabulis occasionem dedit.* IX. *Publii pater a Paulo curatus. quem Publium primo Melitensis, dein & Atheniensis Ecclesiæ Episcopum factum esse contendunt.* X. *Insigne Castoris & Pollucis.* XI. *Paulus tandem Romam venit.*

Constitutum igitur est a Festo, consciscente Agrippa, ut Paulus in Italiam navigaret: ideoque cum quibusdam aliis vinctis traditus est centurioni alicui, nomine Julio, cohortis Augustæ. Non est mihi animus navigationem Pauli ita exponere, quasi urbium, marium, fretorum, scopulorum, ventorum, aut nauticæ artis peritiam Auditores meos docturus essem. Non est ea res nostri studii. Id nobis præcipue agendum, ut attendamus quam mirabiliter Paulus Dei manu Ro-

I. Paulus in itinere Romano singularem Dei favorem expertus est.

mam perductus fuerit, & ut in ipso itinere gloria Dei in dictis factisque ejus illustris apparuerit, qua Apostolatus ipsius insigniter fuit sancitus. Traditur quidem ducendus cum vinctis aliis; sed mox eum Dominus a maleficis discernet, quibuscum cæteroqui communis ei vinculorum conditio erat. Ex quo portu solverint, non dicitur. Sed quum Adramyttenam navim conscendisse ferantur, juxta Asiæ loca navigaturi, non improbabilem conjecturam esse censet Calvinus longius iter terra fecisse supra Sidonem: vel quia navis alibi non reperiebatur, vel quia ex illa regione sumendi erant vincti illi quorum supra facta est mentio. Sed non admodum opus ea conjectura est. Nihil enim obstat, quo minus *Cæsarea* solvisse credamus: quæ & ipsa maritima est, & satis propinqua Sidoni. Multæ olim urbes *Adramytta* dictæ sunt: sed omnium celeberrima est illa *Africæ* maritima, de qua *Procopius Vandalicorum Lib.* II. Quamque hic designari post *Hieronymum* opinatur *Grotius*. Navis itaque hæc ab Africa veniens, legebat oram Asiæ, urbes quasdam maritimas negotiorum caussa adiens.

II. Comitem gratissimum Aristarchum habuit.

II. Et Paulum nostrum excepit cum *Aristarcho* Macedone Thessalonicensi, qui prædicatione Pauli ad fidem Evangelii persuasus, eum ex Macedonia in Judæam usque fuerat comitatus, Act. XIX: 29. XX: 4. Idem Paulum custodiæ jam datum sponte comitari voluit, Romæque primum adjutor ejus, Phil. com. 24. deinde & vinculorum particeps fuit. Col. IV: 10. Quantum ex tam fidelis amici contubernio solatii hauserit, non difficile cogitatu est.

III. Et Centurionem faventem.

III. Neque hac solum in parte benevolentiam suam erga Paulum declaravit Deus, quod solatii caussa adjunxerit ipsi comitem conjunctissimum, sed & quod reddiderit ei centurionem amicum: qui, post quam *Sidonem* appulissent, comiter ipsum habuit, permisitque ut ad amicos inviseret, & ab illis curaretur. Potuisset fortasse Paulus in urbe ampla & maritima, inter tot amicos, morti se pro ipso exponere paratos, latebras nancisci. Sed vinctus oraculo tenebatur, ne se Dei vocationi subtraheret. Deinde quia tam humaniter cum ipso egerat Centurio, ut amicis curandum permitteret, quem in navis pedore relinquere poterat, non debuit illius periculo vitæ suæ consulere: uti præclare a *Calvino* observatum est. Bona igitur fide in navim rediit.

IV. Cum adversis ventis aliquamdiu luctati.

IV. Sidone provecti ita navigaverunt ut a *Cypro* non procul abessent: non quod rectum iter eo ferret, sed quod ventus adversus cogeret & sinus & iter obliquare. Porro pelagus quod est secundum Ciliciam & Pamphiliam emensi devenerunt εἰς Μύρα τῆς Λυκίας *Myram Lyciæ* urbem. MS. & alii habent *Lystra*. Grotius putat utramque vocem esse corruptam, videlicet pro *Limura*, quod nomen & amni est & urbi ad amnem sitæ in Lycia. Quia Myra interius jacet. Lystra in Lycaonia est. Ego ad correctiones ejusmodi, nisi evidens cogat necessitas, paullo difficilior sum. Illic nactus

est

est Centurio navem Alexandrinam quæ in Italiam tendebat: sed cum adversis ventis dies aliquot conflictati vix tandem in locum aliquem pervenerunt quem *Pulcros portus* vocant, manente in hunc diem eo nomine, prope Lasæam.

V. Ubi multo tempore peracto, quum jam *præteriisset* solemne illud Judæorum *jejunium*, sive annuus expiationis dies, incidens in decimam mensis Tisri, qui partim Septembri partim Octobri respondet, quo fere tempore maria claudi Veteribus solebant, Paulus, a Deo, uti credibile est, edoctus, rectores monuit, non sine magna injuria ac damno navis & oneris, imo & capitum ipsorum, navigationem fore. Sed nequicquam. Obnitentibus *gubernatore*, *& nauclero*, sive naviculario, qui est proprietarius navis: quibus plus quam Paulo a Centurione tributum est. Quoniam igitur portus ille parum ad hiemandum commodus videbatur, in alio potius Cretæ portu, *Phœnice* dicto, hiemare decreverunt. Quumque eo tenderent, adspirante primum Noto, sed mox orto vento turbulento qui Euroclydon vocatur, ad *Claudam*, parvam insulam, delati sunt. Inde abrepti, & vehemente tempestate jactati, jacturam fecerunt: ac tertia die suis ipsi manibus armamenta navis ejecerunt: & quum neque sol neque sidera per complures dies apparerent, durante interim tempestate, ablata tandem omnis salutis spes fuit.

V. Vehementi tandem tempestate fere oppressi fuere.

VI. Donec Paulus, increpita prius ipsorum pertinacia, bono animo esse jussit: apparuisse enim sibi ista nocte Angelum Dei, qui prædixerit, sisti ipsum oportere Cæsari, & gratificatum esse ei Deum omnes qui navigabant cum ipso; futurumque ut in insulam quandam exciderent. Quartadecima igitur nocte; dum adhuc in Adria jactabantur, nautæ circa medium noctis suspicati se non procul a terra abesse, metuentesque nequo modo in aspera loca exciderent, jactis e puppi anchoris quatuor, anxia sollicitudine diem opperiebantur. Et plus suæ arti quam Pauli promissis fidentes, demissa in mare scapha, fugam moliuntur. Non sine insigni perfidia ac scelere. Quum enim sperant se scapha incolumes ad litus evadere posse, neglecta vectorum omnium salute, suæ consulunt; & quos in periculum sua temeritate conjecerunt, eos in periculo perfidia sua volunt derelinquere. Quam perfidiam Paulus centuriori & militibus detexit; addito, nisi isti in navi manserint, non posse ipsos servari. Ita hac rursus parte enituit specialis Dei circa Paulum cura. Cur enim non centurio potius, vel alius quispiam ex turba, fraudem olfecit; nisi ut Paulus ad extremum usque liberationis sit minister? Qui certe multa exercitatione harum rerum callentissimus, & vir in omnibus excellentissimus fuit. Prudenti igitur ipsius consilio qui aufugere conabantur retenti sunt: nam milites abscissis scaphæ funibus eam pelago permiserunt. Orto interim die, cibum eos sumere hortatur, quod quartus decimus jam dies esset quem impransi atque incœnati

VI. Sed insigni Dei in Paulum favore salvi evaserunt.

exegerant: & ipse alacri exemplo præit, certus ipse, aliosque certiores reddens, neminem in navi esse, qui, non dico capitis, sed vel pili jacturam facturus sit. Qua alacritate cæteri animati corporis curæ aliquantulum concedunt temporis, mox servandæ quomodocunque navi omnem adhibituri industriam. Qua tandem in locum bimarem impacta, prora infixa mansit, puppis autem solvebatur præ undarum vehementia. Nihil ergo super erat, nisi ut quisque quantum poterat natando vitæ suæ consuleret. Sed barbara militum crudelitas hanc qualemcumque fortunam vinctis invidebat: quos adacto in viscera ferro interemissent; nisi intercessisset centurio, Paulum servare cupiens, cujus beneficio servabantur omnes. Nam qui natare didicerant abjecerunt se in mare, reliqui partim in tabulis, partim in fragmentis navis, omnes salvi in terram evasere. Act. XXVII.

VII. A Melitensibus comiter excepti.

VII. Quam tandem cognoverunt esse insulam *Meliten;* quæ inter Epirum & Italiam sita, & Siciliam ad septentrionem spectans, hodie *Malta* vocatur. Ubi naufragi homines, spumis marinis lutoque fœdati, frigore etiam rigidi, ac vix spiritum trahentes, a barbaris indigenis comiter admodum excepti sunt. Deo Melitensium animus ad clementiam flectente, ut promissionem suam ratam faceret; quæ mutila potuisset videri, si cui exitiale fuisset naufragium.

VIII. Novum in Paulo prodigium, quod fabulis occasionem dedit.

VIII. Probavit hic eventus Paulum verum Dei Prophetam esse; nunc Deus ut eum in terra, sicut nuper in mari, nobilitet, superiora oracula novo prodigio obsignat. Dum enim collecta quædam sarmenta in pyram ponit, vipera a calore prodiens manum ejus arripuit: quam viperam ut barbari a manu ejus pendentem videre, primo quidem homicidam esse suspicati sunt, quem postquam salvus evasit ex mari ultio non sivit vivere. Mox, ubi nihil incommodi ipsi accidere deprehenderunt, mutata sententia habuerunt pro Deo. Suspicati fortassis esse Herculem ἀλεξίκακον. Utrumque temere atque absurde. Quæ de vipera & barbaris admirantibus adeo exacte & distincte Deum describi ob hanc caussam curavisse, dictat *Baronius*, *ut virtus Pauli per gratiam insulæ illi concessam magis magisque innotesceret: nec naturali ejus proprietati adscriberetur, quod ex eo tempore fuit loco Divinitus impertitum, nimirum ut serpentes omnes veneno carcerent, & quantum libet aliquem momorderint, nihil prorsus adferant detrimenti. Si enim*, inquit, *olim a natura, sicut & aliis locis, id datum fuisset, cur loci incolæ tam certi erant de interitu Pauli?* Addit: *sed & terra ibi, ejusdem merito, contra venena parat antidotum.* Ego vero ista accenseo fabulis.

XI. Publii pater a Paulo curatus, quem Publium Melitensis,

XI. Veriori miraculo Paulus inclaruit, quando Publii, qui insulæ primas erat, patrem febribus ac dysenteria detentum, lectoque affixum, solis precibus ac manuum impositione, repente sanavit. Quo factum est, ut & reliqui qui infirmitatibus tenebantur accederent ad Paulum; pari cum successu curandi. Eam ob rem insulani multis honoribus Paulum comitesque

prosecuti

prosecuti sunt; & discessuris de iis quæ usui erant prospexerunt. Iterum quædam ex *Baronio* appingere lubet, quamvis æque magnam partem apocrypha, & incerta. *Non ea tantum Melitensibus Paulus præstitit, ut ægritudine laborantes curarentur; sed & Christiana eosdem religione imbuit, ipsumque Publium ad fidem Christi conversum eisdem præfecit Episcopum. Id quidem vetera quædam Martyrologia attestantur. Imo & eundem publium inde postea evocatum, in locum Dionysii, Atheniensi ecclesiæ esse subrogatum Episcopum tradunt. Putantes nimirum unum eundemque esse cum hoc illum Publium, quem Dionysius Alexandrinus affirmat Dionysio Areopagitæ Athenarum Episcopo successisse: quem & Martyrio coronatum fuisse sanctus Hieronymus tradit.* Hæc Baronius. dein & Atheniensis Ecclesiæ Episcopum factum esse contendunt.

X. Tribus post mensibus profectus est cum comitibus Paulus navi Alexandrina, quæ in insula ista hyemaverat, cui erat insigne Διόσκουροι, *Jovis filii, Castor & Pollux.* Fingunt Poëtæ, Jovem in Cygnum conversum, quum Venerem jussisset, mutata in Aquilæ speciem forma, se insequi, ad Ledam confugisse, quæ Cygnum gaudens excepit, & tutari sibi visa est: verum eandem, postquam obdormivisset, a cygno compressam, ovum peperisse, ex quo nati sunt Castor, Pollux & Helena. Duo hi fratres crediti sunt propitii esse navigantibus, & periclitantibus in specie geminarum stellarum adesse: hac de caussa, quod quum navigarent cum cæteris Argonautis, orta tempestate, & reliquis misere timentibus, Orpheus, omnes bono animo esse jussit, ac votis diis Samothracibus susceptis, cœpit mare mitescere, duabus stellis super capitibus Castoris & Pollucis apparentibus. Quo miraculo læti, crediderunt se Deorum providentia liberatos: ac deinceps geminos ipsos implorare mos fuit. Crediderunt, si geminæ appareant stellæ, id esse salutare: non item, si solitariæ. Mirum itaque non est, si ex superstitiosa ista imaginatione hoc geminorum insigne navibus suis præstruxerint. Erat autem tale: duo juvenes, unicuique ovi pars dimidia, & stella superne eminens, & jaculum in imanu, & equus candidus, ut ex *Luciano* descripsit *Baronius.* Non temere dixi, insigne hoc præstructum fuisse navi. Nam, ut erudite annotavit *Grotius*, aliud est παράσημον sive *insigne*, aliud *Tutela. Tutela* in puppi est, ut Minerva in Argo, *insigne* in prora. Sic in navi qua vectus Ovidius Tutela erat, Minerva; Insigne, Cassis. X. Insigne Castoris & Pollucis.

XI. Tali itaque navi Melita provecti *Syracusas* appulerunt, notissimam Siciliæ civitatem, ubi merces quasdam expositiuri manserunt triduum. Unde circum legentes devenerunt *Rhegium;* quod, *Grotio* monente, Græci scribere solent Ῥήγιον, & populum Ῥηγινῆς: adduntque omnes, originem esse nominis, quod ibi ab Italiæ latere abscissa esset Sicilia. Regium vero, Latino nomine, oppidum est Galliæ Cisalpinæ. Hinc, flante austro, secundo die venerunt *Puteolos;* quo appellere Alexandrinæ naves solent; præ cæteris nobilitatæ, & a concurrente ad portum populo avidissime XI. Paulus tandem Romam venit.

 spectatæ:

spectatæ: qua de re videri potest *Seneca Epistola* LXXVIII. Ibique a fratribus rogati, quos, fortassis præter spem, invenerunt, septiduum morati sunt: inde Romam perrecturi. Christiani vero qui Romæ erant, quum de Paulo & comitibus ipsius audivissent, prodierunt iis in occursum, nonnulli quidem usque ad *Appii Forum*, alii ad *Tres Tabernas*: illi prius, hi serius. Nam Tres Tabernæ propiores sunt Romæ. Ab urbe ad Appii Forum numerantur miliaria LI. ad Tres Tabernas, XXVIII. Videas ex his, qualia quantaque Christianorum Romæ agentium erga Paulum studia atque officia fuerint: quum non quasi vincto homini, sed in Urbem cum triumpho advenienti, ultra quinquagesimum lapidem obviam iverint. Qua re visa, gratiis Deo actis, fiduciam, ut par est, sumsit.

SECTIO XII.

De Vinculis Pauli apud Romam.

BREVIARIUM.

I. *Varia carcerum Romanorum ratio.* II. *Paulo permissum manere in proprio conducto, ita tamen ut alligatus esset militi.* III. *Cum Judæis ad se accersitis de vinculorum suorum caussa agit.* IV. *Epocha secundæ ad Timotheum an ad priora Pauli vincula referenda sit.* V. *An ad posteriora.* VI. *Responsiones ad prioris sententiæ argumenta.* VII. *Quomodo Paulus in prioribus vinculis de se ut morti jam vicino scribere potuerit.* VIII. Ἐπίχειρσις. IX. *De epistolis ad Ephesios, Philippenses, Colossenses.* X. *Prolixius de illa ad Philemonem. Qui, quis & qualis fuerit.* XI. *De Ecclesia quæ domi ipsius erat.* XII. *Onesimi historia.* XIII. *Is an in fuga sua excusandus an culpandus sit.* XIV. *An factus dein Ephesiorum Episcopus, & Martyr.* XV. *Usserius laudatus.* XVI. *Epistolæ hujus utilitas.* XVII. *De auctore Epistolæ ad Hebræos disputatur.* XVIII. *Multa sunt quæ eam Paulo attribuendam esse suadent.* XIX. 1. *Historica, quæ in ea inveniuntur.* XX. 2. *Epistolæ argumentum & scopus.* XXI. 3. *Phrases Paulo suetæ.* XXII. 4. *Clausula.* XXIII. 5. *Dogmata & modus ea tractandi.* XXIV. *Accedit Petri auctoritas. 2 Pet.* III: 15, 16. XXV. *Et Græcorum Patrum consensus.* XXVI. *Uti & multorum Latinorum.* XXVII. *Non tanta probabilitas pro Luca est.* XXVIII. *Neque pro Barnaba.* XXIX. *Neque pro Clemente Romano.* XXX. *Neque pro Apollo.* XXXI. *An Demas Apostatis annumerandus.* XXXII. *Quis fuerit Crescens, & quæ Galatia, in quam dicitur esse profectus.* XXXIII. *Paulus ab omnibus desertus Dominum sibi adstitem habuit, ad certiorationem Evangelii apud omnes gentes.* XXXIV. *Ereptus ex ore Leonis.* XXXV. *Postquam vincula ipsius manifesta facta sunt in toto Prætorio.* XXXVI. *Fideles Christiani in ipsa Cæsaris domo.* XXXVII. *Onesiphori & Philippensium liberalitas in Paulum.* XXXVIII. *Qui fiducia sibi a Domino facta sui ex vinculis liberationem sperat.*

XXXIX.

XXXIX. *Et libertati, una cum Timotheo, jam redditus videtur, quando ad Hebræos scribebat.* XL. *Ob quam rationem vinculis solutus sit, quid & ubi postea egerit, prorsus in obscuro est.* XLI. *Cur Romam redierit, & quid ibi fecerit, secundum Baronium ex Metaphraste.* XLII. *Chrysostomi incerta traditio de caussis ultimæ Neronis adversus Paulum iræ.* XLIII. *An ante mortem virgis cæsus sit.* XLIV. *Apocrypha de velo Plautillæ, & lacte ex venis Pauli fluente.* XLV. *De sepulcro Pauli.*

ITa tandem Paulus, post tot casus, post tot rerum discrimina, ROMAM venit, Anno VII Neronis, mense Februario. Cæteri quidem captivi traditi sunt τῷ στρατοπεδάρχῳ *Præfecto Prætorii.* Paulo autem, sine dubio ex centurionis commendatione, permissum est, ut seorsim habitaret. Quæ ut melius intelligantur, observandum est, custodiarum Romanarum triplicem fuisse rationem. Captivi enim vel in *Carcere,* vel apud *Magistratus,* vel in *conducto liberoque hospitio,* custodiebantur. In *carcere* rursum triplex custodia fuit. I. *Locus communior,* in cujusmodi detentus fuit Johannes Baptista, sic ut ab amicis adiri potuerit. Mat. XI: 2. II. *Locus interior* tutiorque, qui φυλακὴ ἐσωτέρα dicitur in quam conjecti Paulus & Silas Act. XVI: 24. III. *Locus depressus* in carcere, ut *Barathrum* Athenis, *Profundum* Cyzici, *Tullianum* Romæ. Omnia hæc carcerum genera expertus aliquando videtur Paulus. Cæsareæ in tolerabili carcere detentus biennium. Act. XXIV: 23, 27. Philippis conjectus in carcerem, ut modo audivimus, interiorem: at mox liberandus. Postremum Nero in carcerem trudi jussit; unde non liberatus, sed ad ultimum supplicium raptus est. Nunc vero permissum ei fuit ἐν τῷ ἰδίῳ μισθώματι in *proprio conducto* manere. Quæ ex *Scipionis Gentilis in Epistolam* ad *Philemonem* annotationibus a *Sculteto* excerpta, nos ex utroque hic etiam exhibemus.

I. Varia carcerum Romanorum ratio.

II. Præfectus tunc Prætorio *Burrhus* erat, vir æqui & honesti tenacissimus, una cum Seneca moderandæ Neronis juventuti adhibitus: qui proximo abhinc anno, id est VIII Neronis, vita concessit, incertum valetudine, an veneno; & civitati grande sui desiderium per memoriam virtutis reliquit. *Tac. Annal.* XIV. Non difficile Julio fuit ab homine tanta virtute prædito, singularem aliquem favorem Paulo exposita admirabili vitæ ipsius historia, impetrare. Cui itaque seorsim manere datum est; sed cum custodiente eum milite. More Romano: ita nimirum ut eadem catena & captivum & militem constringeret; quæ captivi dextro, militis sinistro brachio alligata erat. Sic enim *Seneca, Epistol.* V. *Eadem catena & custodiam & militem copulat. Et de Tranquil. Eadem custodia universos circum dedit. alligatique sunt etiam qui alligaverunt. nisi tu forte leviorem in sinistra catenam putas.*

II. Paulo permissum manere in proprio conducto, ita tamen ut alligatus esset militi.

III. Pri-

III. Cum Judæis ad se accersitis de vinculorum suorum caussa agit.

III. Primum eorum quæ Romæ a Paulo gesta narrantur hoc fuit, quod tertio ab adventu suo die convocaverit Judæorum primores, quibus candide exposuit, se, quamvis nullius criminis contra populum suum ritusque patrios convictum, a Judæis tamen vinculis onustum, & Hierosolymis in manus Romanorum traditum fuisse. Romanos caussa cognita voluisse ipsum dimittere; idque facturos fuisse, nisi obstitissent Judæi. Inde se coactum appellare Cæsarem. Non eo tamen animo, ut gentem suam accusaret; quam tenerrimo semper pietatis affectu prosecuturus erat. Obque eam rem ipsos a se accersitos esse, ut cognoscerent, se non propter maleficium aliquod, sed propter spem Israëlis, de Messia & resurrectione mortuorum, catena ista circumdatum esse. Quibus auditis Judæi Romani responderunt, neque per literas se, neque per nuncios, quidquam de ipso mali intellexisse. Idcirco æquum esse ut ipse animi iis sui sententiam exponat. Id unum ipsos de ea quam profitebatur secta scire, multis ubique contradictionibus esse expositam. Cujus rei caussam esse putat *Grotius* legatos illos, quos Justinus narrat ab Judæis Palæstinis post mortem Jesu ad Synagogas missos esse; *Κηρύσσαντας ὅτι αἵρεσίς τις ἄθεος καὶ ἄνομος ἐγήγερται ἀπὸ Ἰησοῦ τινος Γαλιλαίου πλάνου, annunciaturos sectam aliquam impiam & sacrilegam excitatam esse a quodam Galilæo, seductore.* Quarum literarum exemplar Judæi quidam ajunt asservari apud Synagogam antiquissimam quæ est Borbetomogi Vangionum. Non equidem inficior, vera hæc esse posse: attamen, & alia multa fuisse certum est, ex quibus Judæi, Romæ commorantes, cognoscere potuerint, Evangelii prædicationem multas ubivis terrarum contradictiones experiri. Hactenus tamen laude dignum est, quod & ipsi de ista Doctrina uberius erudiri cuperent. Itaque constituto die complures ad diversorium Pauli comparuerunt, quibus totam Evangelii doctrinam prolixe exposuit, & ex collatione Mosis ac Prophetarum, solita sibi accuratione atque ardore, confirmavit, a mane usque ad vesperam. Eo quem sæpius expertus est successu: ut alii quidem assentirentur, alii repugnarent; non sine mutuis altercationibus. Unde Paulo occasio nata, imo & necessitas quædam imposita fuit, commemorandi atque ipsis applicandi gravissimam illam Jesaiæ Prophetiam, de surditate, cæcitate, & amentia populi Israëlitici, quibus futurum erat ut audientes non animadvertant, videntes non cernant, neque corde intelligant, neque se convertant, neve sanentur. Gentilibus igitur eam Dei salutem missam esse; qui & audituri sint. Quo dicto, litigantes inter se Judæi discesserunt. Paulus autem biennium totum in conducto sibi proprio hospitio mansit, omnes qui ad ipsum ingrediebantur comiter excipiens; prædicans regnum Dei, & docens de Domino Jesu Christo, cum omni dicendi libertate, nemine prohibente Act. XXVIII.

IV. Hactenus sacram Lucæ historiam pro commentationis nostræ Cy-

nosura

nosura habuimus. Nunc vero ea tacente, quæ de Paulo dicenda porro sunt, aliunde colligere necesse erit. In quam rem Divinæ ipsius epistolæ multum nobis opis præstabunt: modo verum earum ordinem & epocham perspectam habere queamus. Quod quanta fieri potest industria conabimur. Quoniam vero epocha *Secunda ad Timotheum* maxime controversa est, ab ea ordiamur. In eo quidem omnes fere consentiunt eruditi, Paulum bis Romanis constrictum sub Nerone fuisse vinculis; quorum priora evaserit, posterioribus necatus. Certum etiam est, hanc de qua agimus epistolam a captivo Romæ scriptam esse. An vero ad priorem, an ad posteriorem captivitatem pertineat, hoc est quod disquiritur. Veterum plerique, & Recentiores sine numero, in eo conspirant, quod posteriorem ad Timotheum omnium Paulinarum epistolarum postremam, & in novissimis vinculis, paullo ante martyrium, scriptam esse credant. His potissimum ducti argumentis. I. Quia Timotheus in primis Pauli vinculis perpetuus ipsi Romæ comes fuit, συναιχμάλωτος, vel saltem σύνεργος, si quidem epistolæ eo tempore Roma missæ Timothei non minus quam Pauli nomen præferunt. II. Quia 2 Tim. iv: 12. Scribit se Tychicum misisse Ephesum. Per Tychicum autem missæ sunt epistolæ ad Ephesios & Colossenses. Eph. vi: 21, 22. Col. iv: 7, 8. quo tempore Romæ jam erat Timotheus, uti ex inscriptione illarum epistolarum liquet. III. Quia ibid. ℣. 20. scribit Erastum Corinthi mansisse. Quæ monitio scribi non potuit a Paulo in prioribus vinculis; quum Timotheus præsens Paulo adfuerit, eo tempore, quo hæc gesta esse supponuntur: quippe Pauli in itinere συνέκδημος, Act. xx: 4, 5. Quam ridiculum esset ipsum per epistolam moneri de re pridem sibi comperta, idque triennio, aut ut minimum biennio, post quam res facta esse creditur, lapsuque temporis aliam prorsus faciem induisset? IV. Quia narrat, se Trophimum ægrotantem Mileti reliquisse. ibid. ℣. 20. Quod spectare non potest tempus illud, quo Mileti fuit antequam Romam missus est. Tunc enim Trophimus una cum Paulo Hierosolymam venit. Act. xxi: 29. V. Quia jubet sibi adferri penulam quam Troade apud Carpum reliquerat, & libros maxime membranas Cap. iv: 13. Ineptum autem est vel cogitare Paulum hæc Troade reliquisse, quum tot secum haberet comites, & collectas Hierosolymam perferendas, & navem ubique conduceret. VI. Quia testatur, inveniri se ab Onesiphoro non potuisse, nisi post sollicitam inquisitionem. Cap. i: 17. Quod de prima captivitate intelligi non posse videtur: tunc enim habitabat in domo conducta, omnibus nota, & vincula ipsius in toto prætorio celebria erant. Intelligenda igitur sunt de captivitate secunda, quando in carcerem conjectus arctaque custodia detentus fuit. VII. Quia ℣. 6, 7. expressissime monet, se jam libari, & præstitutum dimissionis suæ tempus instare, decertatum jam sibi certamen, peractum cursum, servatam fidem esse, nihil-

Epocha secundæ ad Timotheum an ad priora Pauli vincula referenda sit.

que restare nisi ut repositam sibi justitiæ coronam accipiat. Quæ in primis vinculis scribi non potuere; quippe quibus se solvendum sciebat. Hæc ego argumenta ex *Ludovico Cappello*, & *Johanne Pearsonio*, collegi: qui præ cæteris caussam hanc egerunt accuratissime.

V. An ad posteriora. V. Attamen non obstante veterum consensu, totque rationum pondere, reperti sunt viri eruditissimi, tam Romanæ quam nostræ communionis Theologi, *Baronius*, *Estius*, *Salmero*, *Hammondus*, *Lightfootus*, *Cavius*, alii, qui in alia sibi omnia eundum esse existimaverunt; contendentes epistolam hanc inter eas quæ Roma datæ sunt, vel primam esse vel secundam, missamque una cum ea quæ ad Ephesios scripta, vel non multo post. Et neque hi suis destituuntur argumentis, quæ pari fide ac sedulitate exponam. I. Pro certo habent, Timotheum initio priorum Pauli vinculorum Romæ non fuisse. Etenim in Actibus Apostolicis nihil ultra de Timotheo dicitur quam quod Paulum Hierosolymam proficiscentem in Asiam fuerit comitatus. Act. xx: 4. Exinde nulla Timothei mentio: de itinere Hierosolymitano, nedum de navigatione Romana, οὐδὲ γρῦ. Quia vero res ipsius adeo Pauli rebus innexæ fuere, ipseque tam eximiam sustinuit personam, vix videtur præteriri potuisse in tanta rerum quæ Paulo acciderunt varietate. Porro quum ipsum in omnibus propemodum amicis præcipuum habuerit Paulus, oppido probabile est, ex primis quoque fuisse, quem eorum quæ sibi Romæ evenerant certiorem faceret. II. Observant, jussisse hac epistola Paulum, ut festinato ad se accederet; &, si fieri posset, ante hiemem; assumto secum Marco. Cap. IV: 21, 11. Venit autem Paulus Romam, mense, ut creditur, Februario. Pone scriptam hanc epistolam esse ineunte æstate; potuit Timotheus cum Marco ante hiemem Romæ esse; uti fuit, quando illæ scribebantur epistolæ quibus præfixum illius nomen est: quemadmodum & Marcus ibi fuit quo tempore scribebatur illa ad Colossenses. IV: 10. & ad Philemonem ℣. 24. Quidquamne probabilius est, quam omnia ista ex mandato Pauli ita esse facta? III. Narrat hic Paulus, quid factum sibi sit in prima sua defensione. Cap. IV: 16. Credibilene est, toto illo biennio primorum vinculorum nullam Paulo sui defendendi factam esse copiam? Lubet hic Clarissimi *Cocceji* annotationem adscribere, ad laudatum modo textum ita differentis. *Narrat de prima sua Apologia. Apologiam nominat defensionem suam contra Judæos accusatores. Notum est enim, Apostolum senatui Judæorum fuisse exhibitum; & e medio illorum ereptum: tum paratis ei insidiis Cæsaream missum, & coram præsidibus caussam dixisse, & ad Cæsarem provocasse: & ea de caussa Romam missum. Ergo Romæ in vinculis apud Tribunal Cæsaris caussam dixit. Id commemorat Timotheo. Quo tempore id factum sit non liquet. nisi quod non diu, postquam Romam venisset, id factum credibile sit. Neque enim solent tales caussæ ad annos differri. Et Paulus hic loquitur, tanquam nuper Hierosolymam, & inde Romam profectus.* Ita Coccejus.

VI. Eas

VI. Eas vero quæ objiciuntur difficultates jam prospexisse viri eruditissimi videntur; adeo paratas responsiones habent. Et de I. quidem objectione plura dicere nihil attinet. II. Ad ea quæ de Tychici missione dicuntur, respondent, nihil obstare quo minus hæc epistola cum ea ad Ephesios eodem tempore missa sit; & Apostolum præteritum tempus pro præsenti usurpasse; sicut & quum ad Ephesios de eodem scribens ait. VI: 22. *Quem misi ad vos ob id ipsum, ut cognoscatis res nostras.* Cur non utraque epistola eidem eodemque tempore tradi potuit tabellario? Nisi quis cum *Coccejo* & aliis dicere malit: *Credibile est, Tychicum non semel missum.* III. Quod Erastum Corinthi mansisse scribit, non tanquam rem novam incognitamque Timotheo renunciat; refert tamen uti attinentem ad scopum suum. Nimirum Timotheum & Marcum Romam evocaverat. Ut eos ad hoc iter carpendum stimularet, duobus argumentis utitur. Primum conqueritur ab omnibus se necessariis suis desertum, aliis nunc adjutoribus indigere. ℣. 9, 10. Deinde monet, præsto esse qui ipsorum absentium vices supplere possent. Licet enim Marcus Corintho digrederetur, Erastum, qui ibi mansit, vicem ejus obire posse. Ita *Lightfootus. Chron. Temp. ad an. Ch.* LIX. Qui ad IV. de Trophimo addit: *& licet Timotheus Epheso digrederetur, tamen Trophimus, quem Paulus Mileti ægrotum reliquerat, paratus erat qui ejus vicem præstaret.* At paullo fortassis plenior censeri posset *Cocceji* commentatio; quæ paucis multa complectitur, atque ita se habet: *Hic Bezæ judicat, legendum* Μελίτη. *Id Grotius & Pricæus approbant. Ratio eorum est, quod Paulus Melitam quidem appulerit in itinere Romano, ut constat ex Act.* XXVIII: 1. *non autem venerit Miletum. Syrus tamen legit* Μιλήτῳ. *Trophymus venerat cum Paulo Mileto Hierosolymam.* Act. XXI: 29. *Credibile est, eum ægrotantem se commisisse navi Miletum eunti, ut ibi curaretur. eo forte tempore, quum Myram Lyciæ venissent.* Act. XXVII: 5. *Unde in navi Adramyttena in Italiam ivit Paulus. Communicat autem hanc rem Timotheo, ut qui & de Erasto & Trophimo poterat esse sollicitus, & mirari, si ab iis non salutaretur.* Ad V. Non magis ineptum esse cogitare, Paulum penulam suam cum libris quibusdam & membranis Troade reliquisse in illo itinere quod Lucas narravit, quam in alio, quod supponitur, quocunque. Si enim id consulto factum sit; ratio consilii æque nobis semper in obscuro manet: quippe nullibi tradita. Si per oblivionem aliquam aut negligentiam ejus qui Paulo ministrabat; quo plures erant majorisque momenti sarcinæ, eo facilior esse videtur unius alicujus, & vilioris forsan, neglectus. Adde, quod, tam anxium de adducenda sibi penula mandatum prioribus quam posterioribus vinculis convenientius esse videatur. Cui enim usui esse posset penula a tam longinquo asportanda homini qui arctissimo carcere inclusus mortem in horas exspectat? certe longe plus utilitatis allatura ei qui ad diuturna & remota se accingit itinera. Ad VI. Quando Onesiphorus Paulum Romæ

VI. Responsiones ad prioris sententiæ argumenta.

quæsitum invenit; non videtur invenisse in carcerem conjectum, arctaque custodia detentum, sed militi suo alligatum, in diversoriolo. Sic enim Paulus, καὶ τὴν ἅλυσίν μου οὐκ ἐπῃσχύνθη. Id *Grotius* ita exponit: *Non puduit eum catenæ hujus militaris, qua trahor ut sontes solent. Quod alibi sæpe vincula dixit, id distinctius* ἅλυσιν, *& Eph.* VI: 20. *Nimirum eodem modo iterum vinctus fuit Paulus quo quum primum adveniret.* Act. XXVIII: 20. Addit *Grotius*, *Paulum inventum esse ab Onesiphoro, in diversoriolo ubi erat cum suo custode.* Et sane quamvis vincula Pauli nota fuerint in toto prætorio, non tamen inde consequitur, domum Pauli ita notam omnibus fuisse, ut homini peregre advenienti, in urbe quæ orbis compendium erat, ad captivi Judæi domum inveniendam diligenti inquisitione non fuerit opus. Præsertim si attendamus, facta hæc esse initio vinculorum Pauli, antequam eum celebritatis gradum esset nactus. Operæ pretium erit hic quoque *Coccejum* audivisse. *Laudat Onesiphorum, quod non tantum aliàs, quum adhuc liber esset Paulus, eum sæpius recrearit, tanquam æstuantem, h. e. a tristitia & dolore ad lætitiam; sed etiam quum jam in vinculis esset, catenam ipsius (qua militi suo erat alligatus) non erubuerit: sed etiam Romam venerit, & Romæ cum studio eum quæsiverit, perrepans curiose urbem, donec invenerit. Et hæc de ipso testatus, denuo Timotheo in memoriam revocat, ut gnaro, imo melius cognoscenti, scilicet quam Romana Onesiphori officia, quot modis, vicibus, partibus sibi ministraverit Ephesi. Timotheus igitur Romæ non fuit, quum Onesiphorus ibi esset. Nec videtur hactenus Romæ fuisse: nam non fuisset ignotum, quid Onesiphorus Romæ egisset; aut melius notum, quid Ephesi egisset.*

VII. Quomodo Paulus in prioribus vinculis de se ut morti jam vicino scribere potuerit.

VII. Hactenus doctissimorum virorum objectionibus ita responsum esse videtur, ut nonnullæ etiam in auctores suos retortæ sint. At præcipua difficultas restat ex eo, quod jam se libari dicat Paulus, & dimissionis suæ tempus instare &c: verum ne hic quidem interclusam sibi evadendi viam esse ingeniosissimi homines ostenderunt. *Baronius ad Annum Christi* LIX. §. XIV. XV. sic respondet: *Dicant mihi velim: nonne idem Paulus in eadem epistola testatur, sibi Dominum apparuisse, dum in summo illo discrimine versaretur, hortatumque esse, ac fore prædixisse, ut per ipsum in omnes gentes prædicatio impleretur? Quomodo igitur hæc cohærent, ut instans Pauli consummatio esset; idemque ipse sic a periculo liberandus, in omnes gentes prædicationem Evangelii propagaturus esset? --- Quam ob rem non in alium sensum atque sententiam ea Pauli verba de instanti suo obitu intelligi posse videntur; nisi quod fortasse fuerat sibi Divinitus revelatum, se sub Nerone capite plectendum esse. Satis enim tempus illud instans videri poterat, quod sub eodem foro nosset implendum. Et quo modo non videri poterat breve ac fere momentaneum novem, quod reliquum erat vitæ suæ annorum spatium, si eadem plane mensura Salvatoris ad judicandum adventum post modicum tempus affore prædixit ad Hebræos* X: 37. *Adhuc modicum aliquantulumque, qui venturus est veniet, & non tardabit?* Hæc quidem Baronius:

ronius: verum *Lightfootus*, cætera licet Baronio ὁμόψηφος, *minimi hæc momenti esse* pronunciat: *potuisse enim Neronem per ætatem quinquaginta aut sexaginta annos vixisse post exaratam hanc a Paulo epistolam.* Existimat itaque ex ipso textu petendam esse rationem, qua lis ista dirimatur. *Nimirum Paulus Timotheum tanquam præcipuum in Evangelii opere successorem suum spectabat, & sibi fore superstitem: erat enim juvenis, non tantum eximiis donis imbutus, & ad hoc opus capessendum instructus, verum prophetiis quibusdam, & prædictionibus ad id muneris præmonstratus.* 1 Tim. 1: 18. *Hoc igitur eum hortatur, ut pro virili opus Evangelistæ impleret, & ministerio summa cura defungeretur; eo quod ipse haud diu permansurus esset, senex jam factus, & labore fractus, captivus etiam tunc temporis; & in discrimine perpetuo positus. Timotheum ergo oportet semel se parare ad id muneris obeundum defuncto demum Paulo.* At longe subtilius in Pauli verba commentatus est *Hammondus*, in *Præmonitione ad hanc epistolam.* Existimat verba, ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι, optime posse verti, *ego enim jam libatus sum*, hoc est, nunc versor in tanto periculo mortis (uti hominibus certe videbatur) ut jam sim instar vini effusi in caput victimæ, mox mactandæ. Credit autem Paulum id potuisse dicere postquam ad tribunal judicis productus fuerat, ut caussam capitis diceret. Quæ sequuntur verba, ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέστηκε, *tempus mei discessus imminuit*, in eam exponit mentem, ut notent maximum vitæ periculum jam præteritum, non brevi futurum. Quo sensu optime convenire putat cum eo quod ℣. 17. extat, *liberatus fui de ore leonis*, ereptus maximo periculo, sed jam præterito. Eodem modo interpretatur ℣. 7. *bonum certamen certavi*, nimirum vexationum quas pertuli; magna pericula subii, quæ constantia mea superavi. *Cursu contendi*, non absolvi cursu (nam τελεῖν significare putat non semper *finire*, sed etiam *facere*) *fidem servavi*, nullo periculo ab eo deterritus fui. Ita ut cursus non referatur ad totum vitæ curriculum, sed ad certamen quod nuper decertaverat Romæ, cujus recens erat memoria. Si vero & hæc quæsitiora & duriora esse videantur quam ut facilem sibi in legentium animos illapsum impetrent; omnium fortassis simplicissima eorum interpretatio censeri queat, qui vel non loqui Paulum de se putant ut jam jam rapiendo ad martyrium; sed solummodo testari, se jam senem esse; & de tempore mortis incertum, paullatim autem per carceres & tribunalia parari ad victimam, & immolari incipere: vel si omnino de instante & propinquo sibi martyrio loquatur, non loqui illud ex instinctu Spiritus prophetici, sed ex rerum, uti tunc se habebant, consideratione: quemadmodum 2 Cor. 1: 8, 9. *Coccejus: quum dicit*, ἐφέστηκε *instat, significat quid ipse judicet; scilicet ex argumentis idoneis, quæ id sibi persuadeant. Quandoquidem enim in vinculis erat, & eum cursum confecerat ut videretur Canonem suum absolvisse, prudenter judicat restare ultimum actum sui sacerdotii, nimirum libationem sui, sive effusionem sanguinis sui, &*

 abitum

abitum ex hac commoratione terrena. Ita eum argumentari ex sequentibus apparet.

VIII. Ἐπίκρισις.

VIII. Et hoc quidem modo studiose conquisivimus, & candide lectori exhibuimus, quæ de epocha posterioris ad Timotheum epistolæ utrimque ab eruditissimis hominibus prolata sunt. Mea si desideretur ἐπίκρισις, fateor equidem aliquamdiu me in rationum conflictu animi ancipitem hæsisse quæ quibus anteponendæ forent. Omnibus tamen expensis, non dissimulo eo me magis propendere, ut scriptionem hujus epistolæ ad priora Pauli apud Romam vincula referenda esse arbitrer.

IX. De epistolis ad Ephesios, Philippenses, Colossenses.

IX. Cui proxima esse videtur ea ad *Ephesios:* quippe per Tychicum missa, cui in mandatis datum erat, ut res Pauli notas Ephesiis faceret Eph. VI: 21. Missionis autem Tychici ad Ephesios mentio fit 2 Tim. IV: 12. Unde colligitur, eodem fere tempore utramque hanc epistolam esse missam; quod & supra observatum est. Quod occasionem scribendæ huic epistolæ attinet, neque ex ipsa epistola, neque ex Sacra Lucæ historia, colligere licet, vel schismata & dissidia scriptionis caussam fuisse, uti priori ad Corinthios, vel defectionem a pura Evangelii veritate, uti illi ad Galatas; sed piam potius pro hac Ecclesia curam ac sollicitudinem; quam Apostolo intendebat periculum, prophetico spiritu prævisum, quod Ephesiis ab hominibus seductoribus imminebat. Act. XX: 29, 30. Huic occasioni accedebat & alia, cujus expressam ipse mentionem facit: nempe ne puderet ipsos vinculorum ejus, quibus Romæ pro Evangelio captivus detinebatur: neve idcirco animus ipsis fatisceret aut languesceret, & a veritatis ac pietatis recto cursu metu pudoreve declinaret. Ita vero universam religionis Christianæ summam Divina hac epistola exponit, ut exuberantem quandam non sermonis tantum Evangelici παῤῥησίαν, sed & Spiritus Sancti vim & sensum, & charitatis Christianæ flammam quandam ex electo illo pectore emicantem, & lucis Divinæ fulgorem quendam admirabilem inde elucentem, & fontem aquæ vivæ inde scaturientem, aut ebullientem potius, animadvertere liceat: idque tanta copia, ut superabundans illa cordis plenitudo, ipsa animi sensa intimosque conceptus, conceptus autem verba prolata, verba denique priora quæque subsequentia, premant, urgeant, obruant: ut emphatice in commentariorum suorum præfatione loquitur Doctissimus *Bodius*. Hanc secutæ sunt illæ ad *Philippenses* & *Colossenses:* quippe Roma pariter ex vinculis scriptæ; quo tempore Timotheus jam Paulo aderat: uti ex inscriptione patet. Quas, quia vix quidquam continent quod ad historiæ illustrationem faciat, præter ea quæ mox ordine exponenda sunt, brevi nunc sermone transmittimus.

X. Prolixius de illa ad Philemonem.

X. Eas excipit illa ad Philemonem, a quo Paulus, jam spei de sui liberatione plenus, hospitium sibi parari jubet ℣. 22. Hæc, quamvis omnium quæ exstant Paulinarum brevissima, majorem tamen orationis nostræ moram

moram exigit; ut & eum cognoscamus ad quem, & eum de quo scripta est. Scripta est ad *Philemonem*, quem natione Phrygem, officio Colossensium, quod nobilissimum Phrygiæ oppidum est, Antistitem fuisse, veteres tradiderunt. Jungitur ei *Appia*; quæ uxor fuisse creditur, insigni pietate fœmina. Neque enim aliter videtur Paulus eam *Archippo* præpositurus fuisse, & viro, & diacono, & suo aliorumque Christi ministrorum commilitoni, ipsiusque Philemonis collegæ. Col. IV: 17. Certe Græcus Scholiastes Philemonem atque Appiam δεσπότας τοῦ Ὀνησίμου vocat. *Theodoretus* etiam rationem addit, cur eam Paulus hic compellaverit; nimirum ne, si prætermissa fuisset, repugnaret iis quæ dicebantur: unde & factum putat, quod Paulus pari eam, quo Philemonem, titulo ornaverit, ἀγαπητὴν nuncupans. Aliis tamen probabilius videtur, voluisse Paulum blandissima hac ratione sexum infirmiorem honorare, & in fide confirmare, & ad charitatem, & cum marito ὁμόνοιαν excitare. Qui, quis & qualis fuerit.

XI. Laude imprimis digna est privata utriusque pietas, quod *domi suæ Ecclesiam* quandam haberent. Quod non absurde de domesticis intelligas fidelibus, qui & numero frequentes, & pietate excellentes, & in religionis quotidianis exercitiis ferventes essent; quibus se & alii fortassis ex vicinia ad statorum exercitiorum communionem junxerunt. *Chrysostomus* in *Præfatione ad hanc epistolam*, Philemonem admirabilem virum fuisse hinc colligit, ἀπὸ τοῦ τὴν οἰκίαν αὐτοῦ πᾶσαν εἶναι πιστὴν, καὶ οὕτω πιστὴν, ὡς καὶ ἐκκλησίαν αὐτὴν ὀνομάζεσθαι, *quod tota domus ipsius fuerit fidelis, atque ita fidelis ut & Ecclesia vocaretur.* Non male. Ubicunque enim vel duo sunt in nomine Christi congregati, ibi Ecclesia est. Ideo *Nyssenus*, *oratione de euntibus Hierosolyma*, currum, quo cum paucis vehebatur, Ecclesiam vocat. Τὸ γὰρ ὄχημα ἡμῖν ἀντὶ ἐκκλησίας καὶ μοναστηρίου ἦν, διὰ πάσης τῆς ὁδοῦ συμψαλλόντων πάντων, καὶ συννηστευόντων τῷ κυρίῳ. *Vehiculum enim nobis loco Ecclesiæ & Monasterii erat, toto itinere cunctis concinentibus & una jejunantibus Domino.* Eadem locutio invenitur in *Ignatii ad Heronem epistola.* πρόσειπε δὲ καὶ τὴν σεμνοτάτην Μαρίαν, τὴν θυγατέρα μου τὴν πολυμαθεστάτην, καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτῆς ἐκκλησίαν, ἧς ἀντίψυχον γενοίμην, τὸ ἐξεμπλάριον τῶν εὐσεβῶν γυναικῶν. Quæ ita vertuntur: *saluta autem & venerabilissimam Mariam, filiam meam, multimode eruditissimam, & eam quæ secundum domum ipsius Ecclesiam: cui consimilis animæ fiam* (inepte: melius, *pro qua devovear.* Nam & sic *ad Ephesios*, sub finem: εἴην ὑμῶν ἀντίψυχον, *utinam meam pro vestra liceat impendere animam*) *exemplarium piarum mulierum.* Sed & nihil obstat, quo minus credamus totam Colossensium Ecclesiam, vel sane notabilem illius partem, conventum suum domi Philemonis habuisse: quippe qui & Episcopus esset, & locuples ac liberalis, & ædes potuit habere amplas, atque huic rei idoneas. Certe Philemonis domum istam, quam hic Paulus nominat, ad sua usque tempora integram mansisse, usibus XI. De Ecclesia quæ domi ipsius erat.

publicis

publicis Ecclesiæ destinatam, in Præfatione ad hanc epistolam testatur *Theodoretus*. Atque hæc quidem de Philemone dicta sunto, ad quem epistola hæc scripta est.

XII. Onesimi historia.

XII. Nunc de *Onesimo* videamus, de quo, & cujus gratia est scripta. Videtur fuisse natione Colossensis, ineunte Paulo Col. IV: 9. certe conditione servus fuit. Qua ratione autem civis civi servierit, in obscuro est. An ipse se Philemoni vendidit, participandi pretii caussa, quo modo & apud Romanos civis in servitutem civis venire poterat? An verna Philemonis fuit, ex ancilla in domo ejus natus? An potius a patre venditus? Id enim patrium & usitatissimum apud Phryges fuisse ex *Philostrato* ostendit *Scipio Gentilis*. Incerta omnia. Sufficit fuisse Philemonis servum; & quidem ἄχρηστον domino suo, hominem nauci, qui, si quo pollebat ingenio, eo ad domini fraudem fuerat abusus, & denique infami fuga ac furto se subduxerat.

XIII. Is an in fuga sua excusandus, an culpandus sit.

XIII. Non enim eorum adstipulor sententiæ quam Baronius laudat, *non scelere aliquo ex ædibus herilibus aufugisse Onesimum, sed Pauli amore, cujus prædicationem in Asia positus paululum degustasset, Romam se contulisse*. Caussam profecto non video, cur Interpretes aliqui ita exculpare Onesimum conati sint, ut magnam culpæ partem in Philemonem rejicere maluerint. Onesimo scilicet ad fugam capessendam, & secum aliquid absportandum, non tam nequitiæ ipsius auctor duxque fuerit, quam Evangelii amor, & viaticuli necessariarumque rerum inopia: & quis scit, inquiunt, an etiam ipsius Philemonis sævitia aut importunitas? Id enim nonnulli cum ex veteribus, tum ex novis prodiderunt. Addit *Scipio Gentilis*, epistolæ hujus interpres longe doctissimus: *quid si e contrario (nihil enim certi nobis constat) dicamus nimia eum heri indulgentia corruptum fuisse? Quam non esse parvam injuriam, qua domini servos afficiunt, sed fere omnium maximam, disertissimus Orator, & Philosophus gravissimus, Dio Prusensis docet Oratione* X. *Quare pessimus sic a domino effectus jure ab eo profugit, ut idem Dio scribit, ut operaretur videlicet, & non otium, ut antea, agens, dormiensque & edens, indies semper fieret pejor.* Si cui lubet tam precariis, & ab omni verisimilitudine abhorrentibus hariolationibus indulgere, is a sua sententia sejunctam sciat esse meam. Paulus enim, qui totus in Philemonis laudibus est, ad Onesimum excusandum prorsus obmutescit: in suis pro ipso deprecationibus, & in heri benignitate ac clementia, omnem reconciliationis spem fundans. Si tantum pro Onesimo dici potuisset, enim vero non omisisset Paulus tam probabile argumentum. Sed singulari Divinæ providentiæ ductu factum esse videtur, ut miser ille fugitivus, in frequentissima urbe latebras quærens, animi inops, propriæque conscientiæ lancinatione excarnificatus, tandem ad Paulum, pridem sibi in herili domo visum, se receperit: si qua forte ratione, eo deprecatore, in gratiam cum domino redigi posset.

Longe

Longe vero plura per Paulum consecutus est, quam ipse unquam vel votis concipere valuisset. Tantum enim Sanctissimi Viri increpationes, admonitiones, institutiones, effecerunt, ut ex servo nequam in hominem frugi, &, quod omnia complectitur, in vere Christianum transformatus sit; a Paulo filii loco unice dilectus, Philemoni accuratissime commendatus, ab ipso in gratiam receptus, libertate donatus, futurus denique insignis Ecclesiæ Christianæ Antistes.

XIV. Saltem si *Baronio* fides, in hæc verba commentanti: *Annuisse vero Philemonem votis Pauli, ut redeuntem Onesimum non ut servum susceperit, sed ut fratrem, ac libertate donarit, perspicue ex eo colligi potest, quod constat Onesimum, post Timotheum esse factum Episcopum primatis Ecclesiæ quæ est in Asia, nempe Ephesi. Ad Ephesios enim scribens Ignatius summa cum laude meminit Onesimi, tunc apud eos agentis Episcopi, sic dicens:* Posteaquam itaque numerosam vestram multitudinem in Onesimo, viro nunquam satis ob charitatem prædicando, vestro autem Episcopo, exceperim; quem opto juxta Jesum Christum vos amare, omnesque vos illius similes esse: Benedictus Deus, qui donavit vobis, qui tales estis, talem habere Episcopum. *Meminit rursus ejusdem, scribens ad Antiochenos, nec non ad Heronem Diaconum. Porro hunc Onesimum, Ephesiorum Episcopum, eundem esse cum eo de quo agit Paulus apud Philemonem, tam Græcorum Menologium, quam Latinorum Martyrologium fidem faciunt.* XI. An factus dein Ephesiorum Episcopus, & Martyr.

XV. Hæc quidem Baronius: sed ex usu studiosæ juventutis erit, ne ignorent quæ Reverendissimus *Usserius* ad laudatum Ignatii locum annotavit. *Hunc eum esse de quo S. Paulus ad Philemonem scribit, & post sanctum Timotheum Ephesiorum ordinatum ab eo fuisse Episcopum, in libello de festivitatibus Apostolorum ad* XIV. *Kal. Mart. affirmat Ado. Eundemque Philemonis servum a B. Paulo Ephesinæ Ecclesiæ post Timotheum constitutum fuisse Episcopum, in Bedæ, Notkeri, & Romano martyrologio, ad eundem diem similiter legimus. Quod si verum; non alius Ephesinæ Ecclesiæ quærendus fuerit Angelus, cui in* II. *Apocalypseos capitulo scribendæ a Domino mandantur literæ, quam hic ipse Onesimus. In Græcorum vero menæis, & Symeone Metaphrasta, die præcedente memoria ejus celebratur: sed Ephesinus ipsius Episcopatus ab illis omnino non agnoscitur. Et vero in Clementinis Constitutionibus, Lib.* VII. *Cap.* XLVIII. *ille Philemonis Onesimus Berbææ in Macedonia ab Apostolis constitutus fuisse dicitur Episcopus: & Gajum, cujus Apostolus meminit, post Timotheum Ephesiorum fuisse Episcopum, in Synopsi sua Dorotheus affirmat. Ut Gajo huic (quem Ephesi fuisse Episcopum, etiam in inedito Hippolyti de* LXX *discipulis libello legimus) successisse videatur ab Ignatio nostro laudatus Onesimus: seniore illo, ante hanc ab eo scriptam epistolam, sub Domitiano martyrio jam coronato; ut in libro* III. *historiæ suæ cap.* XI. *Nicephorus significat.* At Nicephorum erroris arguit *Baronius* ad Annum Christi CX. Sect. X. *Nam quum certum sit*, inquit, XV. Usserius laudatus.

ſupervixiſſe Oneſimum Ignatio, qui ſub Trajano martyr factus eſt, quomodo ante Ignatium ſub Domitiano martyr potuit ex hac vita migraſſe? Ipſe itaque Baronius ex antiquis Eccleſiaſticis tabulis refert, *Oneſimum ab Aſiæ Proconſule vinciri juſſum, Epheſo Romam abductum, ibi lapidibus obrutum, martyrium egregie conſummaſſe.*

XVI. Epiſtolæ hujus utilitas.

XVI. Laudanda profecto Dei benignitas eſt, quod ex tot Paulinis epiſtolis quæ perierunt hanc tamen, mole exiguam, & de re domeſtica agentem, ſuperare voluerit. Nihil enim nobis exile videri debet, quod ad Apoſtolorum hiſtoriam pertinet. Et imprimis operæ prætium eſt hoc exemplo diſcere, ad quam minuta ſe demiſerit, modo charitas exigeret, Apoſtolica ſublimitas: & quam ſpirituali animo atque oratione res hujus etiam ſeculi tractaverint: ita ut excelſus ille Chriſtianiſmi genius in omnibus eluceat. Optime *Chryſoſtomus*: ἀλλ' ἐπειδή τινές φασι περιττὸν εἶναι τὸ καὶ ταύτην προσκεῖσθαι τὴν ἐπιστολὴν, εἴγε ὑπὲρ πράγματος μικροῦ ἠξίωσεν, ὑπὲρ ἑνὸς ἀνδρὸς, μαθέτωσαν ὅσοι ταῦτα ἐγκαλοῦσιν, ὅτι μυρίων εἰσὶν ἐγκλημάτων ἄξιοι. οὐ μόνον γὰρ τὰς οὕτω μικρὰς ἐπιστολὰς, καὶ ὑπὲρ οὕτω πραγμάτων ἀναγκαίων ἐπισταλμένας ἔδει ἐγγεγράφθαι. ἀλλ' εἴθε γὰρ ἐνῆν τοῦ τὴν ἱστορίαν ἡμῖν παραδιδόντος τῶν Ἀποστόλων, οὐ λέγω ὑπὲρ ὧν ἔγραψαν καὶ διελέχθησαν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἄλλην αὐτῶν ἀναστροφὴν, καὶ τί ἔφαγον, καὶ πότε ἔφαγον, πότε ἐκάθισαν, καὶ ποῦ ἐβάδισαν, καὶ τί καθ' ἑκάστην ἡμέραν διεπράξαντο, ἐν ποίοις μέρεσι γεγόνασι, καὶ εἰς ποίαν οἰκίαν εἰσῆλθον, καὶ ποῦ κατήχθησαν, καὶ μετὰ ἀκριβείας ἅπαντα διηγήσασθαι. οὕτω πάντα τὰ παρ' αὐτῶν γενόμενα πολλῆς ὀφελείας γέμει. Quæ Latine in hunc ſenſum ſonant: *Quia non deſunt qui hanc epiſtolam ſuperfluo adjectam putant, quando & pro re adeo parva, & pro uno homine conſcripta eſt, diſcant plane qui hujus modi ſunt innumeris ſe criminibus reprehenſionibuſque obnoxios eſſe. Non modo enim tam parvas epiſtolas, & pro rebus adeo neceſſariis oportuit ſcribi; ſed utinam non defuiſſet qui nobis Apoſtolorum hiſtoriam diligentiſſime tradidiſſet; non tantum quid ſcripſerint, quid locuti ſint, ſed ut ſeſe per omnem vitam habuerint, quid & quando comederint, quando ſederint, quo iverint, quid diebus ſingulis geſſerint, & quibus in locis vixerint, quam ingreſſi fuerint domum, quo navigaverint, ubinam applicuerint, cæteraque diligenter expoſuiſſet! Adeo eorum omnia eximia utilitate ſunt referta.* Mox ſingulatim oſtendit Patrum diſertiſſimus, quantum utilitatis ex hac epiſtola capere poſſimus. Ac primo quidem, diſcendam hoc exemplo diligentiam eſſe circa omnes & omnia. Si enim Paulus ὑπὲρ δραπέτου, ὑπὲρ λῃστοῦ καὶ κλέπτου τοσαύτην ποιεῖται πρόνοιαν *tanta ſollicitudine fugitivi & latronis & furis cauſſam agit*, quomodo non magis nos dedecet ſocordes eſſe in talibus? Deinde, ne de ſervis quidem eſſe deſperandum, quo minus Divinæ participes evadant gratiæ, etiamſi ad extremum nequitiæ devenerint. Porro, homines ſervos, ſi ad Chriſti fidem religionemque accedant, non propterea liberos fieri, vel invitis eripi dominis,

minis, etiam Chriſtianis. Quibus omnibus adjici poteſt, quam admirabilibus prorſuſque inſperatis viarum anfractibus electos ſuos ad ſalutem deducat Dominus ſoſpitator ipſorum. Atque hæc de epiſtola ad Philemonem, propter ea quæ ad hiſtoriam faciunt, prolixius diſputata ſunto.

XVII. De auctore Epiſtolæ ad Hebræos diſputatur.

XVII. Omnium noviſſimam arbitror ad HEBÆOS epiſtolam, cujus Divinam auctoritatem qui cum Catholica Eccleſia agnoſcunt, eorum plerique *Paulum* illius ſcriptorem eſſe contendunt, alii a Paulo diſcedentes, eam vel *Lucæ*, vel *Barnabæ*, vel *Clementi*, vel *Apollo* vindicant. Priorum ſententia multo mihi probabilior, certioribuſque rationibus nixa eſſe videtur. In quibus exornandis omnium induſtriam ſuperavit noſter SHANHEMIUS, in ſuis de hoc ipſo argumento Exercitationibus: quibus plurimum me adjutum eſſe, uti in aliis rebus compluribus, ita & hic, gratus profiteor. Quamvis autem videri poſſem Iliada poſt Homerum ſcribere; non patitur tamen inſtituti mei ratio, ut Pauli hiſtoriam tam notabili ſui parte mutilem. Paucis igitur, & in uberi argumento quam fieri poteſt breviſſime, Paulo epiſtolæ hujus ſcriptionem adſeram. Et rationes hoc quidem ordine diſponam. Primo ex *ipſa* EPISTOLA ea colligam quæ ad Paulum ducunt: dein PETRI auctoritate pugnabo: tum conſenſu PRISCORUM, & ECCLESIÆ ferme CATHOLICÆ: denique oſtendam, ſi a Paulo diſceſſeris, neminem reſtare, cui vel decima tantæ probabilitatis parte attribui queat.

XVIII. Multa ſunt quæ eam Paulo attribuendam uſſe ſuadent.

XVIII. Ipſa, ſi accurate attendatur, Epiſtola multa pro Paulo argumenta ſuppeditat: ſive conſideremus *Hiſtorica* quæ in ea inveniuntur; ſive totum *Epiſtolæ argumentum*, & *ſcopum*; ſive *phraſes* Paulo ſuetas; ſive *dogmata* ipſa, in quibus pertractandis eximius eſt.

XIX. I. Hiſtorica quæ in ea inveniuntur.

XIX. Ad HISTORICA hæc pertinent: I. Quod ſcripta ſit ex *Italia*, unde ſalutat. Heb. XIII: 24. Quod in quem magis quam in Paulum quadret, quem in Italiam profectum docetur. Act. XXVII. Unde & plures dedit literas: ad Philippenſes, Coloſſenſes, Epheſios, Philemonem. II. Quod data ſit ex *vinculis*. Heb. X: 34. Quod ſoli fere Paulo uſu venit: qui omnes quas ex Italia miſit epiſtolas vinculorum ſuorum mentione quaſi diſtinxit. Vid. Eph. III: 1. IV: 1. VI: 20. Ad Philippenſes etiam quater meminit τῶν δεσμῶν. Etiam Col. IV: 18. 2 Tim. II: 9. Philem. vſ. 10, 13. Neque ullum ſcriptorem ſacrum novimus cujus tam nobilitata fuerunt vincula. III. Quod mentionem faciat *Timothei* tanquam itinerum & vinculorum ſuorum ſocii. Cap. XIII: 23. quod Paulo in epiſtolis omnibus ſuetum, ſolis ad Galatas & Titum exceptis: quem etiam, ut hic, *fratrem* appellare ſolet. 2 Cor. I: 1. Col. I: 1. 1 Theſ. III: 1. & quem itinerum ſuorum comitem plerumque ſolus habuit. Frigidum eſt quod Calvinus excipit, Paulum Timotheum *filii* magis nomine vocare ſolitum eſſe. Quamvis enim filium vocet, quando ipſi loquitur; fratrem

tamen constanter dicit, quando de ipso loquitur: si unicum fortassis locum exceperis 1 Cor. IV: 17. Frustra etiam alii conjectant, plures illa ætate fuisse Timotheos: quum neque Sacra neque Ecclesiastica monumenta id doceant. IV. Quod spem faciat, sui ad eos adventus, ubi solutus fuerit vinculis. Et hoc solenne Paulo. Philipp. 1: 26. Philem. 22. Hinc etiam tempus scriptæ epistolæ colligi potest. Nimirum post illam ad Philippenses; prioribus Pauli vinculis vel solutis, vel jam jam solvendis. V. Quod protestationem edat sinceritatis suæ ac bonæ conscientiæ. Heb. XIII: 18. Et hic Paulo mos est propemodum singularis. Act. XXIII: 1. 2 Cor. 1: 12. 1 Thes. II: 4.— Cujus etiam singularem quandam rationem habuit. Audiebat enim apud Judæos, quasi διδάσκων ἀποςασίαν τῦ νόμυ. Hinc in eum Judæorum invidia, exacerbatio, querelæ: contra quas bonæ conscientiæ protestatione se purgat. Hæc Historica sunt.

XX. 2. Epistolæ argumentum & scopus.

XX. Nunc SCOPUM & ARGUMENTUM totius Epistolæ consideremus. Ubi attende I. *Occasionem*. II. *Rem quæ tractatur*. III. *Tractationis methodum*, & scripti totius œconomiam. *Occasio* scriptionis fuit amor erga gentem Hebræam, cerimoniis Mosaicis, in templo, tunc adhunc stante, observari solitis, nimis addictam: quarum externo fulgore præstricti Judæi, a spirituali meditatione spiritualis regni Christi arcebantur. Nullus vero eo tempore ulla verisimilitudine adsignari potest, in quem hæc magis quam Paulum quadrent. Qui amore in suam gentem fuit eximius. Rom. IX: 3. Totoque Apostolatus sui ministerio id egit, ut Judæos a cerimoniis abstraheret, ad gratiam Christi: quod & ipsi vitio versum a Zelotis. Act. XXI: 21, 28. Certe huc tendunt Epistolæ ad Galatas, & Colossenses. Neque quisquam invenitur alius, qui tanto animo ac zelo caussam istam egerit. Frustra recurritur ad aliquem ex Pauli schola discipulum. Nata enim hæc epistola est, stante Sacerdotio Levitico. Heb. VIII: 4. IX: 9. adeoque vivo Paulo. Quis autem discipulorum ejus tantæ tunc in Ecclesia auctoritatis fuit, ut tam sapientem, tam vehementem, tam Paulo dignam, illiusque genium spirantem epistolam, discipulo potius quam magistro transscribere debeamus? Neque opponi velim, Paulum gentium fuisse Apostolum: scrupulum enim hunc ipse eximit Rom. XI: 14, 15. *Res* ipsa quæ tractatur de Paulo magis quam quovis alio cogitare jubet. Hic enim Christi personam, officia, beneficia, totiusque Evangelii præstantiam, ac Christianorum circa illud officia, tam luculenter, tam sublimiter, tam sapienter describi, & ex Mosaicis institutis tanta ratiocinationum accuratione deduci cernimus; ut nihil, si a Paulinis epistolis discesseris, in omnibus Evangelicis scriptis simile iis inveniatur. Qua de re mox plura. Denique *Oeconomia* tractationis Paulinæ simillima est. Duabus siquidem partibus absolvitur: altera διδασκαλικῆ, altera παραινετικῆ. Prior doctrinalis, de Christi persona, Cap. I: II: III: IV. de Christi sacerdotali officio,

officio, & beneficiis. Cap. v: — IX. ex parte etiam X. de Fide & percipiendi modo Cap. X: XI. agit. Posterior, hortatoria ad Christianas virtutes, tolerantiam, constantiam, sanctimoniam, charitatem &c. postremis duobus capitibus pertractatur. Methodus autem hæc peculiaris Paulo est: in epistolis ad Romanos, Ephesios, Galatas, Colossenses. Quando canonicæ reliquæ, Jacobi, Petri, Johannis, in genere hortatorio fere consistunt: vel arbitrario ordine theoretica practicis miscent.

XXI. Quamvis Spiritum Sanctum Sacros Scriptores non solum circa res docendas, sed & circa dicendi rationem ac modum, direxisse credamus: accommodavit se tamen scribentis genio, & reliquit cuique suam loquendi rationem, quam sanctificatam suo applicuit instituto. Paulo autem singularis GENIUS SERMONIS est, quem & hic deprehendas; si epistolam hanc cum aliis conferre libeat, Prolixius in hac re *Spanhemius est Part.* II. *Cap.* II. Nos pauciora, sed notabilia exhibebimus. *Cap.* III: I. *κλήσεως ἐπουρανίου.* Phil. III: 14. *τῆς ἄνω κλήσεως.* *Cap.* III: 6. *καύχημα τῆς ἐλπίδος.* Rom. v: 2. *καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι.* *Cap.* v: 14. *τελείων δέ ἐστιν ἡ στερεὰ τροφή.* I Cor. II: 6. *σοφίαν λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις.* Phil. III: 15. *ὅσοι οὖν τέλειοι.* *Cap.* v: 13. *πᾶς ὁ μετέχων γάλακτος.* I Cor. III: 2. *γάλα ὑμᾶς ἐπότισα.* *Cap.* VI: II. *πληροφορία τῆς ἐλπίδος.* & X: 22. *πληροφορία πίστεως.* Vox soli Paulo usurpata. Col. II: 2. *πληροφορία τῆς συνέσεως.* I Thes. I: 5. *πληροφορία πολλῇ.* *Cap.* VIII: 6. IX: 15. alibi passim Christum vocat *τὸν μεσίτην.* soli Paulo expressum elogium. Gal. III: 19, 20. 2 Tim, II: 5. *Cap.* X: 33. *ὀνειδισμοῖς καὶ θλίψεσι θεατριζόμενοι.* Pauli phrasis. I Cor. IV: 9. *ὡς θέατρον ἐγενήθημεν τῷ κόσμῳ.* *Cap.* XIII: 9. *διδαχαῖς ποικίλαις μὴ περιφέρεσθαι.* Eph. IV: 14. *περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας.* Hæc suffecerint iis retundendis, qui tantam stili a Paulino diversitatem crepant: quum e contra multa horum Paulo singularia sint. XXI. 3. Phrases Paulo suetæ.

XXII. CLAUSULA quoque hujus epistolæ eadem quæ cæterarum Paulinarum. Solet ille suas claudere voto, salutatione, signaculo. Eadem hic. Votum est Cap. XIII: 20, 21. Simile vide I Thes. V: 22. 2 Thes. III: 16. Rom. XVI: 25, 27. Phil. IV: 19, 20. Subjungit salutationem, Paulo fere perpetuam. Cap. XIII: 24. Omnia denique solito terminat signaculo. Cap. XIII: 25. *ἡ χάρις μετὰ πάντων ὑμῶν, ἀμήν.* Hanc autem suam esse formulam, & quidem epistolarum suarum ab aliis distinctivam, monet 2 Thes. III: 17. XXII. 4. Clausula.

XXIII. Denique in SENTENTIIS & DOGMATIS, & MODO ea TRACTANDI & probandi, insignis hujus epistolæ cum aliis Paulinis convenientia est. I. Solet Paulus elogiis quibusdam Christum insignire: quæ & hic reperias. Pro exemplo sint: Vocat Christum *εἰκόνα τοῦ θεοῦ ἀοράτου.* 2 Cor. IV: 4. docet omnia *δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν* creata esse: Col. I: 16. & *ἐν αὐτῷ συνεστηκέναι.* XXIII. 5. Dogmata & modus ea tractandi.

ςηκέναι. ℣ſ. 17. attribuit ei *καθαρισμὸν* Eccleſiæ. Eph. v: 26. & ſeſſionem ἐν δεξιᾷ θεῦ ἐν τοῖς ἐπυρανίοις. Eph. 1: 21. denique hæreditatem Dei. Rom. VIII: 17. Omnia autem dicta iſta in limine hujus epiſtolæ coacervantur. Cap. 1, 2, 3. II. Solet Paulus quædam V. T. dicta laudare: quæ & hic laudantur. *Pſ.* II: 7. Act. XIII: 32. Heb. 1: 5. v: 5. *Hab.* II: 4. Rom. 1: 17. Gal. III: 11. Heb. x: 38. *Pſ.* cx: 1. 1 Cor. xv: 25. Heb. 1: 13. *Deut.* XXXII: 35. Rom. XII: 19. Heb. x: 30. *Gen.* XXII: 9. Rom. IX: 7. Heb. XI: 18. III. Solet Paulus obſcura quædam oracula V. T. & priſcas hiſtorias Chriſtianæ rei applicare, pro inſigni ſua in his talibus ſapientia. In qua re nemo tam frequens eſt. Idem autem ſpiritus per totam hanc epiſtolam elucet. Omnia hæc ſimul ſumta plus quam probabile reddunt Paulum epiſtolæ hujus eſſe auctorem.'

XXIV. Accedit Petri auctoritas. 2 Pet. III: 15, 16.

XXIV. Multa etiam & valida argumenta colligi poſſunt ex 2 Pet. III: 15, 16. *Domini noſtri tarditatem ad iram ſalutem ducite, ſicut & dilectus frater noſter Paulus pro ſibi data ſapientia ſcripſit vobis; ut in omnibus fere epiſtolis, loquens de ipſis, in quibus ſunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parumque ſtabiles detorquent, ut & reliquas ſcripturas, ſuo ipſorum exitio.* Unde primum invicte infertur, Paulum epiſtolam aliquam ſcripſiſſe Hebræis: hoc modo. Poſterior Petri iiſdem ſcripta, quibus prior. 2 Pet. III: 1. Prior ſcripta ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς &c. 1 Pet. 1: 1. qua phraſi Judæos intelligi conſtat. Illi enim *παρεπίδημοι*, *advenæ* inter gentes, patriis ſedibus moti, & alibi ut peregrini viventes. Illi *diſperſi*: diſperſione Aſſyriaca, Babylonica, Antiochena per Epiphanem, & Claudiana Act. XVI: 2. Acceſſit etiam diſperſio non coacta, ſed voluntaria; non exſulum, ſed colonorum. Volentes enim multi inter gentes agitabant. Conferri etiam Jacobææ epiſtolæ inſcriptio debet. Cap. 1: 1. & Act. II: 1, 9. unde patet hos ex diſperſione per Petrum primo fuiſſe converſos. Pergo, quibus Petrus ſcripſit; iiſdem ſcripſit Paulus: ergo Judæis. Quod magnum jam pro ſententia noſtra præjudicium eſt. Procedo ulterius: Paulus in ea ſua ad Judæos epiſtola de eodem quo Petrus ſcripſit argumento, λαλῶν περὶ τύτων. Quænam iſta? Dubium non eſt quin commode id referatur ad *hortationem* proxime præcedentem. ℣ſ. 14, 15. Ei ſimilis invenitur; tam quoad officium. Heb. x: 22, 23. quam quad motivum, non tardaturum Dominum. ibid. 25, 36, 37. Unde infero, hanc ipſam deſignari Epiſtolam. Sed & ad eadem quæ utrobique tractantur referri debet *tota cauſſa de qua agitur*: nimirum confirmatio Hebræorum in fide, perpenſa irreparabili miſeria quæ voluntarie lapſos, & a fide deficientes manet. De qua Petrus Cap. II: 10, 22. Paulus Heb. VI: 4—7. x: 26—31. Ubi tanta deprehenditur in materia difficili doctrinæ conformitas, ut nuſpiam major; & vix ulla dubitandi ratio ſit, quin hæc ipſa loca in memoriam Hebræis revocare Petrus voluerit. Eandem ergo hanc epiſtolam in mente Petrus habuit.

habuit. Quod & ex eo confirmatur: quod Paulum Judæis scripsisse adfirmat κατὰ τὴν δοθεῖσαν αὐτῷ σοφίαν. Eam sibi ipse Paulus attribuit. 2 Cor. XI: 6. Eam se prædicare dicit. 1 Cor. 11: 6, 7. Eam habebat suo studio. Gal. 1: 14. & donatam sibi a Christo. ib. 12. Nulla re maximis Apostolorum minor. 2 Cor. XI: 5. Si vero in ulla epistola splendeant Divinæ cujusdam sapientiæ radii, certe hic fulgent luculentissime: in sententiarum conspicua ubique majestate, in sublimitate mysteriorum, denique in stupenda vi ratiocinationum, quibus ex V. T. oraculis typisque, mira arte, N. T. res exponuntur, probantur, demonstrantur. Denique quod addit Petrus, περὶ τῶν δυσνοήτων, ubi magis quam in hac verat epistola? quum ipse fateatur auctor πολὺν sibi λόγον esse δυσερμήνευτον τῦ λέγειν. Cap. V: 11, & omnium id Interpretum, in enodandis difficultatibus magnopere semper sudantium, commentarii probent. Unde & Judæi occasionem sumserunt fidem epistolæ huic derogandi, Photiniani ei ogganniendi, Novatiani ad sua principia torquendi, profani cavillandi, & ad perniciem suam calumniandi. Cuncta hæc simul sumta, valide ostendunt Petrum hanc ipsam ad Hebræos epistolam, veluti Paulinam laudare.

XXV. Tertium argumentum ex Veterum petitur testimonio. Ubi potissimum occurrit GRÆCÆ antiquitatis consensus: quæ universa Paulo hanc epistolam adscribit. Triginta & amplius Græcorum in hanc rem testimonia collegit *Spanhemius: Par.* 1. *Cap.* VI. Unde *Hieronymus Epist.* CXXIX. *ad Dardanum: Illud nostris dicendum est, hanc epistolam quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab Ecclesiis orientis, sed ab omnibus retro Ecclesiis, & Græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli Apostoli suscipi.* XXV. Et Græcorum Patrum consensus.

XXVI. In Ecclesia Occidentali LATINA publice neque agnita, neque rejecta fuit hæc epistola ante seculum IV. *Eusebius* & *Hieronymus* testantur Latinorum ad sua usque tempora consuetudinem ne quidem inter scripturas Canonicas recipere, tantum abest ut Paulinam esse determinaverit. Cujus rei hæ videntur fuisse caussæ. I. Quod fortasse ejus exemplar nullum a Paulo Romæ relictum sit antequam in Orientem mitteretur. II. Quod Judæis scripta, Christianis ex gentibus videri posset minus esse necessaria. III. Quod contineret δυσνοήτα τινα, unde tutius esse credebatur eam publice non prælegi. Ita *Jacobus Cappellus*. Sed & illud certum I. Exstitisse magnos illius Ecclesiæ doctores, qui Paulinam esse agnoverunt, quos citat *Spanhemius Par.* 1. *Cap.* VII. In quibus sunt *Clemens Romanus*, Apostolis coævus, quem *Hieronymus* testatur, multis de eadem epistola non solum sensibus, sed & juxta verborum ordinem usum esse: & *Gobarus* apud *Photium*, eam ταῖς ἄλλαις Παύλε ἐπιστολαῖς annumerasse. *Cyprianus* etiam ut Paulinam citat, in Libro de Cardinalibus operibus Christi: qui liber si Cypriani non sit, certe antiquus est. *Arnobius* item in Ps. CIV. allegans aliquid ex Heb. VI. *Paulus*, inquit, *clamat Hebræus ex Hebrais*, XXVI. Uti & multorum Latinorum.

bræis. *Marius Victorinus Afer*, qui sub Constantio & Constantino claruit, in scriptis adversus Arrium Lib. II. *Ipsum substantiam dicit Paulus ad Hebræos.* alios vide l. citato. II. Cæteris exiguas, vel nullas potius fuisse dubitandi rationes; ex eo ortas, quod perperam putaverint eam favere quibusdam erroribus. Dum fervebant contentiones cum Novatianis, premi se credebant Patres Heb. VI: 4. & X: 26. & quum solvere non valerent nodum, secuerunt: epistolæ ipsi de auctore & auctoritate litem intendentes. Quum Arriani nonnulla ex epistola hac pro se allegarent; ex cap. I: 3. colligentes filium esse participatum, essentiatum, Patre minorem. ex vs. 4. γενόμενος, factitium, creatum; ex cap. III: 2. πιστὸν ὄντα τῷ ποιήσαντι αὐτὸν, esse creaturam: multi interpretationis difficultate territi, sequius de epistola senserunt. Mirum quam exigua veterum quibusdam ad id suffecerint. Sic quæ de Christi lacrumis & agonia narrant Evangelistæ, quum indigna ipso viderentur, ὀρθόδοξοι ἀφείλοντο τὸ ῥητὸν, ait *Epiphanius* in *Ancorato.* De Jacobi epistola, etiam dubitarunt multi, quia cum Pauli doctrina conciliare nequibant. III. Denique IV seculo publice fuisse pro Divina & Paulina a Latinis quoque agnitam. *Synod. Carthag.* III. 397. cui interfuit Augustinus, *capitulo* 47. recensentur Pauli Apostoli epistolæ 13. ejusdem ad Hebræos una. *Paulinus*, Episcopus Nolanus, σύγχρονος Augustino & Hieronymo, aliquoties eam citat ut Pauli Apostoli. Plurimique post ipsum: de quibus prolixe *Spanhemius* d. l. Adde *Jac. Cappelli Prolegomena.*

XXVII. Non tanta probabilitas pro Luca est.

XXVII. Denique nullus est Divinus Scriptor, pro quo decima pars horum argumentorum pugnet. Quidam LUCÆ attribuerunt, non abludente *Calvino*, & probante *Grotio*. I. Quia sic aliqui veterum. II. Quia Epistola bene Græca est, & florida, ut Lucæ sermo. III. Quia scripta ex Italia, ubi Lucas fuit, una cum Timotheo. Col. IV: 14. 2 Tim. IV: 11. IV. Quia habet vocabula & loquendi genera Lucæ velut propria. At hæc nihili sunt. Nam I. Multo plures Veterum pro Paulo sunt: quidam voluerunt Lucam transtulisse in usum Græcorum: ex translationis fama orta de scriptione suspicio. II. Scatet Hebraismis & Syriaismis, Lucæ non ita suetis. III. Et Paulus in Italia fuit. IV. Similitudo vocabulorum a Grotio laudata exigua est, præ ea quam nos assignavimus inter hanc cæterasque Paulinas: ut conferenti patebit.

XXVIII. Neque pro Barnaba.

XXVIII. *Tertullianus*, & Veterum alii, adscribunt BARNABÆ: adsentiente *Camerone.* At nullo argumento probabili. E contra. A. Non constat, Barnabam fuisse in Italia, nedum invinculis. B. Uti nec Timotheum, qui Paulo constanter adhæsit, Barnabæ comitem fuisse, post separationem illam de qua Act. XV: 39. C. Non tanta Barnabæ lux, nec tantus zelus fuit pro libertate Christiana, quanta hic demonstrantur. vide Gal. II: 13. Apostolum stricte dictum fuisse negat Spanhemius. p. 246. D. A

Barnabæ

Barnabæ ſermone (obſervante Grotio) multum diſtat, ſi vere Barnabæ altera illa epiſtola ſit quam etiamnum habemus. Eſt enim illa Barnabæ dictio præ hac rudis & incomta & *βαρβαρίζυσα*.

XXIX. Alii CLEMENTI ROMANO vindicarunt; quod *Eraſmo* allubuit. Clemens hic Romæ natus eſſe fertur, ad montem Cœlium, patre Fauſtino, matre Mattidia: quod tamen incertum. Fuit Pauli *συνεργὸς*. Phil. IV: 3. cum Petro creditur laboraſſe in ædificanda Eccleſia Romana: tertius a Petro Pontifex, Lino & Anacleto brevi ſublatis. Ejus mortem *Euſebium* rejicit in Trajani III. Chriſti C. ſcripſit Epiſtolam ad Corinthios: quæ Euſebio *μεγάλη καὶ θαυμασία, καὶ ἀνωμολογυμένη παρὰ πᾶσι*. At nulla probabili ratione Epiſtola ad Hebræos ei adſcribitur. Solam ſermonis convenientiam laudant aliqui. Cæterum de eo quiſque pro ſuo ingenio judicat. Contra Clementem eſt, I. Quo Clemens ſcriptoribus Eccleſiaſticis annumeretur, non *θεοπνεύςοις*. II. Quod homo Romanus & alienigena, non adeo immixtus videatur rebus Hebræorum. III. Quod ipſi non quadret, Heb. XIII: 19. quomodo enim ſperabat ſe ex Italia Hebræis reſtituendum? XXIX. Neque pro Clemente Romano.

XXX. Denique nonnulli de APOLLO cogitant. Quod *Lutherus* opinatus aliquando fuit, & *Beza* veriſimillimum putat, ſi a Paulo recedendum foret. Revera Hebræus fuit, eloquens: cui Corinthiorum quidam plus quam ipſi Paulo adhæſerunt. 1 Cor. I: 12. III: 4. Potens in ſcripturis, fervens ſpiritu, diſputans frequenter cum Judæis. Act. XVIII: 24, 28. At nemo Veterum ei epiſtolam aliquam, nedum hanc adſcripſit. Concludimus pro nemine tantum adferri poſſe, quantum pro Paulo. XXX. Neque pro Apollo.

XXXI. Nunc ea quæ ad Pauli hiſtoriam pertinent ex omnibus hiſce epiſtolis collecta ordine diſponamus. Non diu poſtquam Romam venit cauſſam ſuam ad Neronis Cæſaris tribunal dixit; ea tunc rerum ſuarum anguſtia, ea animorum conſternatione, ut amicorum fidiſſimi, de ſucceſſu deſperantes, eum deſeruerint; ne eidem involverentur exitio. 2 Tim. IV: 16. Nominatim de deſertione *Demæ* queritur; qui amore inductus præſentis ſeculi Theſſalonicam profectus fuerit. ib. com. 10. Nimis duram eorum eſſe ſententiam arbitror qui Demam Apoſtatis annumerant; quaſi non Paulum ſolum, ſed & ipſum cum Evangelio Chriſtum deſeruiſſet, eo præſentis ſeculi amore victus, qui omnem prorſus Dei amorem expectorat: nedum ut neſcio cui *Dorotheo* credendum ſit, factum eum eſſe Theſſalonicæ *ἱερέα εἰδώλων*. Quod & ipſi improbatum *Baronio eſt*. Bene *Coccejus*: *Nihil cogimur amplius intelligere, quam quod & ipſis Apoſtolis accidit: qui, quum Chriſtus comprehenderetur, fugerunt. Non ſemper eadem eſt animi præſentia, & conſtantia in fidelibus. Qui noſtrum, recte ſe æſtimans, non mavult uti Divina longanimitate in hoc ſeculo, quam ad judicium ire? Ita aliquando fides tenuis eſt in nobis, licet habeamus maximas promiſſiones, quum cor noſtrum de nobis* XXXI. An Demas Apoſtatis annumerandus.

judicem statuimus. Ita profecto decet ad nostræ potius imbecillitatis confessionem erubescere, quam de aliorum, nobis fortasse meliorum, non factis duntaxat, sed & statu, inclementius judicare. Non possum mihi temperare, quin & alia ejusdem *Cocceji* adjungam: adeo mihi & erudita pariter & pia esse videntur. *In hoc exemplo*, inquit, *est speculum humani ingenii. Etiamsi ærumnosum sit hoc seculum; nihilominus tamen ab eo non libenter discedimus; & omnia tolerabiliora morte putamus. Ipsum verbum, quo hic utitur Apostolus, ἀγαπήσας, non tam significat πόθον ac voluptatem ex præsenti seculo, quam prælationem, ut minus incommodi. Eleganter enim & ἀγαπᾷν & στέργειν dicitur, non, qui admodum appetit, sed, qui boni consulit, & ἀρκεῖται.* Ut ut sit, resipuisse Demam, atque ingentiore animo sumto ad Paulum rediisse, non absurda quorundam opinio est. *Beza: Videtur ille postea resipiscens ad Paulum revertisse: quum fiat ejus mentio in epistola ad Philemonem, quam probabile est post hanc scriptam fuisse; quum in ea fiat mentio Timothei ipsius in inscriptione, atque etiam Marci, quasi jam cum Paulo versantis.* In eadem sententia *Grotius* est: qui præterea conjectat, τὸ Demas & Demetrius idem nomen esse: & suspicatur eundem hominem laudari a Johanne Epist. III: 12. *Demetrio testimonium perbibetur ab omnibus, & ab ipsa veritate.* Quod ego neque probare neque refellere habeo. Sed de Dema satis.

XXXII. Quis fuerit Crescens, & quæ Galatia, in quam dicitur esse profectus.

XXXII. Quod addit Apostolus, *Crescentem* profectum esse in Galatiam, *Titum* in Dalmatiam, non puto eidem adscribendum esse caussæ. Credibilius est, eo profectos ministerii caussa, & Paulo ita volente. Quis *Crescens* ille fuerit, aliunde non constat. Qui libertum statuunr fuisse Neronis, de quo *Tacitus Hist. Lib.* I. *Cap.* LXXVI. eorum opinionem *audacem nimis conjecturam* vocat *Coccejus*. Uti nec certum est, an per *Galatiam*, quo profectus esse dicitur, intelligatur *Gallo-Græcia*, meditullium Asiæ minoris, ubi Ecclesias Christo collegerat Paulus; an ipsa *Gallia*, quod Grotio videtur suadere Italiæ, ubi tunc erat Paulus, vicinitas, & vetus apud Gallos fama. Quam tanti fecit *Baronius*, ut pro certo habuerit, Crescentem in Galliam fuisse amandatum, Viennensemque erexisse ecclesiam, nec non & Moguntiam venisse, & longe lateque fidem Christianam in istis oris propagasse: quamvis simul profiteatur, negari omnino non posse, quod & in Galatiam profectus sit. Dalmatia, quo Titus ivit, vicina Illyrico est, sita ad Adriam. Cujus urbs, olim *Epidauri* nomine celebris, hodie *Ragusa*, casibus suis & terræ motibus nobilitata est. Iterum hinc liquet, quod Apostolus scribit Rom. XV: 19. se ab Hierosolyma usque ad Illyricum annunciationem Christi implevisse. Nam ne in vinculis quidem eorum est oblitus, quibus liber Evangelium prædicaverat. Huc tamen tendit ista commemoratio, ut sciret Timotheus eo sibi studiosius Romam esse veniendum, quo, varias ob caussas, major esset apud Paulum fidelium ministrorum solitudo.

XXXIII. Cæ-

XXXIII. Cæterum in ista solitudine Dominum sibi adfuisse, seque corroborasse, gloriatur. Sic enim solet omnium maxime præsto esse Divina gratia, ubi humana destituunt subsidia. Agnoscit, εὐθυμίαν illam alacritatem, magnamque animi præsentiam, quam in Apologia sua expertus erat, Divinæ benignitati acceptam esse ferendam: Dominumque sibi præstitisse id quod pollicitus suis erat Mat. x: 19, 20. Luc. xxi: 15. Eo autem pertinebant omnia, *ut per ipsum Evangelium certioraretur*, *quod audirent omnes gentes*. Puto hæc ad ea quæ Romæ tunc gesta sunt referenda esse. Ibi enim constitutus tunc fuit Paulus, ut in summo totius mundi loco, unde Evangelii ab ipso prædicati sonus, non tanquam buccinæ, sed tanquam tonitrui, quaquaversum audiretur. Erat autem ea in re non vulgaris præconii sui confirmatio, quod quum totus mundus furiose in eum insaniret, humana vero omnia præsidia ipsum deficerent, invictus tamen steterat. Sic res ipsa comprobabat, Apostolatum Pauli a Christo esse. Porro ea quæ Romæ, quæ in Prætorio, quæ ad tribunal Cæsaris dicebantur, vel agebantur, in tanta confluentium undique nationum multitudine, celeri fama per omnes totius propemodum orbis gentes vulgata fuere. Quibus non parum ponderis ex eo accessit, quod captivus iste tam mirabilium rerum annunciator, a popularibus quidem suis accusatus, sed a Cæsare absolutus, vel certe non damnatus esset.

XXXIII. Paulus ab omnibus desertus Dominum sibi adstitem habuit, ad certiorationem Evangelii apud omnes gentes.

XXXIV. Atque hoc est quod dicit: *& ereptus fui ex ore leonis*. Per leonem aliqui diabolum intelligunt, qui circuit fideles tanquam leo rugiens, & quærens quem devoret. 1 Pet. v: 8. Alii Neronem, ita dictum, vel propter Imperii magnitudinem & robur, vel, quod malim, propter sævitiem, ut Ezech. xix: 6. Prov. xxviii: 15. Alii denique volunt esse locutionem παροιμιώδην, quasi diceret non minus circa se Divinam providentiam vigilasse, quam circa Danielem, & se eripuisse ex præsentissimo mortis periculo.

XXXIV. Ereptus ex ore Leonis.

XXXV. Eodem pertinent quæ scribit Phil. i: 12, 13, 14. *Velim autem vos scire*, *Fratres*, *quæ mihi acciderunt magis ad profectum evangelii evenisse*. Credibile est malos operarios, qui minimis quibusque nocendi occasionibus imminebant, non cessasse quin calamitatibus Apostoli insultarent, ac inde contemtibile redderent ejus Evangelium. Sed Divina providentia secus accidit. Hinc enim nata Paulo occasio est, quid esset Evangelium, & quantæ in animis credentium efficaciæ, non verbis solum, sed & exemplo suo, in amplissimo orbis habitabilis theatro palam faciendi. Nam revera *vincula ipsius*, quæ Christi nomine, & in negotio ac caussa Christi, tam invicta fiducia ferebat, *manifesta facta fuerunt in toto prætorio*. Exstant de *Prætorio* nuperæ doctissimorum hominum disputationes, in quibus optarim tantum esse modestiæ ac lenitatis, quantum est eruditionis. Equidem non lubet mihi isti me liti immiscere. Si *Prætorium* circa controversiam notat

XXXV. Postquam vincula ipsius manifesta facta sunt in toto Prætorio.

etiam militum prætorianorum in unis castris ad Urbem tendentium multitudinem; non intercedo sane quo minus Pauli innocentia prætorianis militibus, apud quos custodiebatur, & quibuscum multum negotii ac consuetudinis habuit, maxime cognita fuisse censeatur. Qui quum cæteroqui minime pietati & sanctimoniæ, tum suæ, tum aliorum attenderent, in Paulo tamen eam vereri & venerari, vi virtutum victi, debuerint. Sed & sine invidia alias duorum magnorum Virorum commentationes adscribere liceat: *Calvini* nimirum, & *Grotii*. Calvinus ita habet: *Prætorium pro aula vel palatio Neronis accipitur; quod Fabius vocat Augustale. Nam quum Pætoris nomen generale esset initio, ac magistratus omnes significaret qui præcipuum imperium haberent (unde factum ut & Dictator summus Prætor diceretur) mansit deinde consuetudo ut Prætorium vocaretur in bello tabernaculum vel Consulis, vel ejus qui præerat; in urbe autem, palatium Cæsaris, ex quo Monarchiam Cæsares occuparunt. Alioqui Prætorium etiam vocatur Consessus Prætoris.* Grotius multa paucis, omnia erudite. *Prætor olim dictus is qui præiret exercitui, ut Varro explicat: hinc cohors prætoria, navis prætoria. Hinc prætorium dici cæpit, tentorium Imperatoris; inde etiam Præsidis provinciæ domus; duo prætoria coli, apud Tacitum. Romæ Cæsarum domus Palatium dicebatur: sed provinciales, assueti vocabulo prætorii, appellabant & hanc πραιτώριον.* Profecto caussam non video, cur ea explicatio, spreta omnium fere tam antiquiorum quam recentiorum interpretum auctoritate, rejiciatur. Nam Cæsarem appellaverat Paulus: ad Cæsarem missus erat: &, si subscriptioni posterioris ad Timotheum aliqua fides est, παρέςη καίσαρι Νέρωνι. ab ipso Cæsare auditus; præsentibus, uti credibile, Burrho præfecto prætorii & Seneca, qui officii ratione ab audientia illa vix poterant abesse, & qui ni eo loco ubi Cæsar jus dicere solet? Ibi caussam suam solus, sine advocato & patrono, egit, & solita sibi animi præsentia ac παῤῥησίᾳ, Christi etiam spiritu verba dictante, locutus, sui admiratione totum auditorium implevit. Sic ut caussa Dei in meliorem partem innotesceret, quum in ipso Prætorio apud Cæsarem, ejus præfectum, Assessores judicii, comitesque & reliquos ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας ex domo Cæsaris, tum apud alios omnes qui affluxerant auditores, totamque adeo urbem.

XXXVI. Fideles Christiani in ipsa Cæsaris domo.

XXXVI. Atque hinc factum ut & *in ipsa Cæsaris domo* reperti sint fideles Christiani, quorum nomine Philippenses salutat cap. IV: 22. in his *Torpetem* quendam laudat *Baronius*, quem postea martyrio coronatum esse, Romanum testatur martyrologium. Aliqui etiam de *Sabina Poppæa* suspicantur, quam Josepus quoque pietatis nomine laudat, quod se Judæorum aliquoties protectricem præstiterit. *Antiq.* XX: VII. At ego *Tacito* malim credere, *huic mulieri cuncta alia fuisse præter honestum animum. Annal.* XIII. Majore cum veri specie, nisi forte temporis ratio obstet, *Pomponiam Græcinam*, nobilissimam matronam, Pauli triumphis annumeres. De qua *Tacitus*

citus eodem Annal. Libro. Et Pomponia Græcina, insignis femina, Plautio, qui ovans se de Britannia rettulit, nupta, ac superstitionis externæ rea, mariti judicio permissa. Isque prisco instituto, propinquis coram, de capite famaque conjugis cognovit, & insontem nunciavit. Longa huic Pomponiæ ætas, & continua tristitia fuit. Nam post Juliam Drusii filiam dolo Messalinæ interfectam, per quadraginta annos, non cultu nisi lugubri, non animo nisi mæsto egit. Idque illi imperitante Claudio impune, mox ad gloriam vertit. Admodum probabile est, externæ superstitionis nomine Christianam religionem intelligi, qua sola plus offendebantur Romani quam omni peregrinorum numinum cultu. Neque a vero abhorret, eum animi habitum, qui se, pio de admissis peccatis dolore, & generoso omnium terrenarum deliciarum & mundanarum voluptatum contemtu, prodidit, mœstitiam hic vocari.

XXXVII. Dubitari nequit, quin qui Romæ erant Christiani Paulo de rebus ad vitæ hujus commoditatem necessariis prospexerint. Sed nec alii committendum sibi existimaverunt ut officio hic suo deessent. *Onesiphorus*, vir locuples & beneficus, ex Asia Romam venit, Paulumque studiosissime quæsivit, ut liberalitatis suæ muneribus recrearet. 2 Tim. I: 16. *Philippenses* ex Macedonia *Epaphroditum* misere, Paulo futurum adjutorem & commilitonem, & tam uberis simul munificentiæ latorem, ut abunde sibi esse cum gratissimi animi testificatione scripserit. Philip. II: 25. IV: 14, 18.

XXXVII. Onesiphori & Philippensium liberalitas in Paulum.

XXXVIII. Iisdem indicat, se, primæ Apologiæ periculo defunctum, spem & fiduciam liberationis ac dimissionis suæ concepisse, ex consideratione scilicet charitatis Dei ac misericordiæ erga tenellam suam ecclesiam: quantum ipsi licebat rationes Divinæ sapientiæ perspectas habere, & ex iis judicare. Phil. I: 25. Addit, se *sperare in Christo Jesu*, fiducia sibi a Domino facta, *quod Timotheum*, *cito ad ipsos missurus*, imo & *ipse cito venturus esset*. Phil. II: 19, 24. Eademque fiducia hospitium sibi a Philemone parari jubet; *spero enim*, inquit, *me per preces vestras donatum iri vobis*. Philem. com. 22.

XXXVIII. Qui fiducia sibi a Domino facta sui ex vinculis liberationem sperat.

XXXIX. Videtur denique libertati jam fuisse redditus, quum Hebræis scriberet XIII: 23. *Scitote fratrem Timotheum solutum esse, cum quo, si mox venerit, videbo vos.* In quæ verba *Chrysostomus*: Ἀπολελυμένον, φησί. πόθεν; οἶμαι, αὐτὸν καὶ εἰς δεσμωτήριον ἐμβεβλῆσθαι. ἢ εἰ μὴ τοῦτο, ἀπὸ Ἀθηνῶν ἀπολελυμένον. καὶ γὰρ τοῦτο ἐν ταῖς πράξεσι κεῖται. Scilicet ambiguitate non caret vox Græca ἀπολελυμένος. Significare enim potest, captivitate exemtum, vinculis solutum: quæ quamvis alibi non narrentur, ex hoc tamen loco supponuntur. *Grotius*: *Timotheus cum Paulo Romæ fuerat, & eo digresso remanserat in Italia, datusque in vincula, ac deinde liberatus iter aliquo instituerat, in Galliam forte, inde redire in Italiam cogitans.* Sed quum precario ista dici videantur, alii maluerunt ἀπολελυμένον vertere

XXXIX. Et libertati, una cum Timotheo, jam redditus videtur, quando ad Hebræos scribebat.

 dimissum,

dimissum, scilicet ab ipso Paulo. Sic *Jacobus Cappellus: Quippe Phil.* II: 19. *pollicitus est, se quam primum eum in Orientem remissurum. Id nunc dicit a se factum. Emanuel Sa vult quidem hæc a Paulo dici; sed dimissum Athenis, non Roma, vult Timotheum: multos laudans auctores sententiæ suæ, Chrysostomum, Theophylactum, Oecumenium, Anselmum, Thomam. Sed certe series historiæ Paulinæ refellit hanc interpretationem, adeoque cum verbis Pauli non satis convenit. Ut enim* DIMISSUM *interpreteris, dimissum a me, id cujusvis linguæ proprietas admittere potest. Quum autem Athenarum in hac epistola nullo modo meminerit Paulus; quo jure vocem Athenis potius, quam aliam quamvis urbem in qua modo commoratus fuerit Timotheus, subintelligendam censebimus?* Non multum recedit *Coccejus: Caterum in verbo ἀπολελυμένον hærent docti. Putant enim significari, eum e vinculis dimissum fuisse. Atqui de vinculis nihil legimus. Potest autem dimissio intelligi & Apostoli. q. d. ἀπολελυμένον ὑπ' ἐμοῦ, a me dimissum, sive alio eum siverit ire, sive, ipsius flagranti cupiditate motus, eum siverit abire a se ad Ecclesias omnes, ut eas obiens etiam Hebræos cum primis alloqueretur verbis hujus epistolæ & omni sermone adhortationis. Quod posterius si dicimus, facimus cum antiqua traditione; quæ dicit, hanc epistolam missam esse per Timotheum.* Post pauca sic concludit: *si hoc sequimur, hæc paraphrasis erit: Timotheus valde cupivit vos invisere. Eum igitur permisi discedere. Is vobis non incognitus est (γινώσκετε, cognoscitis, in indicativo.) Spero igitur vos & epistolam ex manu ipsius suscepturos cupide, & sermonem adhortationis patienter admissuros. Spero tamen, & me ad vos rediturum, quum is venerit; & quidem simul ac venerit, etiamsi cito venerit.* Non diffiteor equidem subtiliter hæc a viris eruditissimis annotata esse; plenum tamen assensum hactenus a me impetrare non potuerunt. Quamvis enim haut ignorem, verbum ἀπολύειν dimittendi ad ministerii alicujus præstationem significatione nonnunquam venire, quando οἱ ἀπολύοντες simul indicantur, ut Act. XIII: 3. tamen ἀπολελυμένον, simpliciter sic positum, sine designatione τοῦ ἀπολύοντος, magis videtur denotare aliquem e captivitate liberatum & vinculis solutum, quam a Paulo ad Ecclesias aliquas salutandas missum ac dimissum. Confer. Act. XXVI: 37. ἀπολελύσθαι ἐδύνατο ὁ ἄνθρωπος οὗτος. Probabile itaque est, Timotheum aliquo tempore iisdem cum Paulo compedibus Romæ adstrictum fuisse. Ut qui Pauli audiret sive discipulus, sive minister, sive socius. Nec desunt, qui prædicatum illud ὁ δέσμιος de utroque, & Paulo & Timotheo, conjunctim intelligendum esse sciscunt Philem. I. Quod si minus solidum esse censeatur; certum tamen est, in tanto historiæ Evangelicæ defectu, ex unius quandoque verbi designatione rei alicujus gestæ veritatem colligendam esse, de qua aliunde non liquet. Hebræos itaque læto illo nuncio exhilarare voluit Apostolus, carcere jam suo solutum esse Timotheum, atque adeo, communis rei Christianæ caussa, nunc absentem: sed cujus reditum brevi præstoletur, tunc ad ipsos amandandum,

amandandum, ut sui adventus prænuncius esset. Huc, nisi fallor, nos ducit ipsa perspicui satis sermonis simplicitas.

XL. Qua vero occasione, quave ratione, Paulus vinculis suis solutus sit, quid postea & ubi egerit, ob quam rem dein Romam redierit, ibi condemnandus ac capite plectendus, si verum fateri volumus, prorsus in obscuro est. *Baronius ad Annum Christi LXI. Num. X.* conjectat, *post nefandum Agrippinæ parricidium; quum publica adulatione, lætitia quoque publica omnium esset, fortasse ex ea caussa accidisse, ut Paulus in carcere jam insumto biennio, una cum cæteris vinctis, solutus vinculis, liber abire juberetur.* Celeberrimus *Spanhemius* noster ad Historiæ Christianæ seculum I. p. 546. edit. in Fol. hæc habet: *Dimissus nempe fuerat Paulus, ea lege ut in Asia coram accusatoribus suis sisteretur; aut Romæ rursus se sisteret, quum ante nulli in ipsum Romam missi a Judæis essent. Ea occasione adiit Corinthum, hinc Troada, Miletum, (nisi legas Μελίτην) Colossos, collatis locis 2 Tim.* IV: 13, 20. *cum Colos.* IV: 9. *Philem.* XI. 22. *Sed apparentibus Hierosolyma Judæis, Romam redire coactus est, anno, ut videtur, sequente; ubi conjectus in vincula, ibidemque ultima Pauli certamina &c.* Quæ quam debili nitantur fundamento, non puto mihi esse ostendendum. *Usserius*, Paulum, expleto in libera Romæ custodia biennio, in Asiam inde navigasse scribit, & Colossis, uti videtur, a Philemone exceptum esse. Hinc multa per Orientem itinera narrat, colligenda ex epistolis quas priore captivitate posteriores esse putat. *Pearsonus* ex Italia in Hispaniam, quam *Clemens Romanus* τὸ τέρμα τῆς δύσεως vocat, profectum esse post *Chrysostomum, Theodoretum*, aliosque e Græcis opinatur. Inde in Cretam, hinc cum Timotheo in Judæam navigasse; e Judæa in Asiam venisse, Nicopolim, Troadem, Miletum &c. denique quum persecutio Romæ biennium & amplius cessasset, & Nero in Græcia esset, Romam petiisse: ubi ultimo Neronis anno, sub Præfectis in urbe, Nerone absente, capite plexus sit. Laudanda *Baronii* ingenuitas est, fatentis res Pauli a liberatione ex vinculis usque ad martyrium prorsus obscuras esse. Neque enim satis esse certum, an in Hispaniam profectus sit; quoniam, dum Romæ in vinculis teneretur, propositum consilium in Hispaniam proficiscendi mutasse visus est, & profectionem in Orientem instituisse. At neque illud certo adfirmari posse, an revera in Orientem profectus sit: quum præsertim olim Mileti Ephesios allocutus, numine Divino afflatus illis prædixisset, eos non esse visuros amplius faciem suam. Quot haut potuisse contingere existimat Baronius, si in Orientem Paulus & in Asiam (ut pollicitus fuerat scribens ad Philemonem) iterum rediisset, quin ad optatissimam Ecclesiam Ephesinam, Asiæ totius metropolin, concessisset.

XL. Ob quam rationem vinculis solutus sit, quid & ubi postea egerit, prorsus in obscuro est.

XLI. De ultimo Pauli in urbem Romanam adventu, ex *Metaphraste* aliisque, *Baronius* ita narrat ad *Ann. Chr. LXVIII. Num.* I. Petrus & Paulus Divino consilio, ex diversis orbis partibus Romam se iterum contulerunt,

XLI. Cur Romam redierit, & quid ibi

fecerit, secundum Baronium ex Metaphraste.

runt, ut afflictatæ nimis gladio Neronis Ecclesiæ succurrerent, & collabentem pene instaurarent. Gladio enim Neronis in Romanos proceres converso, occasione detectæ alicujus conjurationis, a sanguine Christianorum aliquantum temperatum esse videtur. Hac igitur bene usi oportunitate Petrus & Paulus, Romæ (ut licebat) rursus prædicarunt Evangelium. In qua prædicatione quum multa alia mira, tum etiam hoc futurum prædixisse memorat *Lactantius Lib. IV. Cap. XXI*, *ut post breve tempus immitteret Deus regem, qui expugnaret Judæos, & civitates eorum solo æquaret, ipsos autem fame sitique confectos obsideret. Tum fore ut corporibus suorum vescerentur, & consumerent se invicem: postremo ut capti venirent in manus hostium, & in conspectu suo acerbissime conjuges suas vexari cernerent, violari & prostitui virgines, diripi pueros, allidi parvulos, omnia denique ferro ignique vastari, captivos in perpetuum terris suis exterminari; eo quod exsultaverant super amantissimum & probatissimum Filium Dei.*

XLII. Chrysostomi incerta traditio de caussis ultimæ Neronis adversus Paulum iræ.

XLII. Quæ novarum irarum caussa Neroni contra Paulum fuerit, non satis constat. *Chrysostomus* in Oratione adversus vitæ Monasticæ vituperatores, *Tom.* VI. *p.* 164. narrat Paulum pellicem quandam Neronis, ipsi dilectissimam, ad Christianam fidem convertisse, & persuasisse ut relictis impuritatibus quibus assueverat castam vitam degeret. Quod indignatus libidinosissimus princeps, Paulum ut seductorem & planum vinciri primum jussit, dein & interfici. Verba Chrysostomi hæc sunt: *ὗτος ὁ Νέρων τὸν μακάριον Παῦλον (καὶ γὰρ ἔτυχε κατὰ τοὺς αὐτοὺς ἐκείνῳ γενόμενος χρόνους) τοιαῦτα ἐγκαλῶν, οἷάπερ ὑμεῖς τοῖς ἁγίοις τούτοις ἀνδράσι (παλλακίδα γὰρ αὐτοῦ σφόδρα ἐπέραστον πείσας τὸν περὶ τῆς πίστεως δέξασθαι λόγον, ἔπειθεν ὁμοῦ καὶ τῆς ἀκαθάρτου συνουσίας ἀπαλλαγῆναι ἐκείνης) τοιαῦτα γοῦν ἐγκαλῶν ἐνεῖνος, καὶ λυμεῶνα καὶ πλάνον, καὶ τὰ αὐτὰ ἅπερ ὑμεῖς φθέγγεσθε, τὸν Παῦλον ἀποκαλῶν, τὸ μὲν πρῶτον ἔδησεν. ὡς δὲ οὐκ ἔπειθε τῆς πρὸς τὴν κόρην ἀποσχέσθαι συμβουλῆς, τέλος ἀπέκτεινε.* Sed hæc incertæ traditionis sunt.

XLIII. An ante mortem virgis cæsus sit.

XLIII. Uti & illud, an ante capitis truncationem virgis cæsus sit. Qua de re ita disputat *Baronius ad Ann.* LXIX. *N.* VIII. *De Petro, quod vilis haberetur persona, nulla potest esse dubitatio; quum more majorum, qui ultimo supplicio damnati essent, antea virgis cæderentur. De Paulo vero, quod civis Romanus esset, & lege Valeria primum, ac deinde lege Porcia, haberetur immunis; addubitari posset. Verum constat, tam ex lege XII. Tabularum, quam etiam lege Sacra, quum aliquid ab his immane fuisset perpetratum, tunc eosdem centuriatis comitiis condemnatos, affectos verberibus primum, capite deinde truncandos. Quum igitur apud omnes gravissimum omnium scelus haberetur impietas; Paulum ejus criminis judicio postulatum ac condemnatum, antequam ultimo supplicio subjiceretur, virgis cæsum fuisse, nullus jure poterit dubitare: quum præsertim adhuc Romæ in Ecclesia S. Mariæ trans pontem exstent & in honore habeantur columnæ illæ, quibus ambo Apostoli alligati & virgis cæsi feruntur.*

XLIV. Neque pluris facio quæ de *Plautilla*, nobilissima femina, olim a Petro baptizata, narrantur: quam scilicet obviam habuerit Paulus, quando, comitantibus populorum turbis innumeris, ad locum passionis pergebat: & a qua, quum flentem intuitus esset, velum petierit, quo feriendus gladio ex more obduceret oculos. Quod illa liberaliter tradiderit, postea receptura, ab Apostolo post mortem sibi apparente. Ejusdem commatis esse censeo, quod ex sectis per carnificem cervicis Paulinæ venis non tam sanguinis, quam lactis fluenta manarint: quamvis *Ambrosius* & *Chrysostomus*, nimis sæpe creduli & superstitiosi, suis id rhetoricationibus amplificaverint, & ad mysteria detorserint. Nec melioris fidei sunt, quæ de tribus dulcis aquæ fonticulis fabulantur, qui in loco martyrii Paulini tunc primum erupisse feruntur, quum excisum Pauli caput tribus se saltibus vi quadam spiritus divinitus agitavit: quorum primus dulcior, lactis saporem aliqua ex parte reddat; cæteri, quamvis haut longe a primo distent, paulo diversum gustui saporem adferant. Cujus rei ea ratio solet adferri, quod in ipso primo fluxu lac venæ dederunt, ac inde sanguinem. Fabulæ, nullis veterum scriptis consignatæ: quibusque res Christiana non indiget.

XLIV. Apocrypha de velo Plautillæ, & lacte ex venis Pauli fluente.

XLV. In eundem censum refero, quæ de sepulcro Pauli traduntur; corpus Apostoli a Lucina Clarissima femina Senatoria sublatum, & in suo prædio, via Ostiensi, honestissimo tumulo locatum fuisse. Sicut & de Petro referunt, ejus corpus a Marcello Presbytero curatum, & aromatibus conditum, magnificentissime more regio, in Viticano sepulturæ esse traditum. Quibus addunt, loca ubi eorum sacra corpora sepulta fuere, non quidem obscura, sed (quod mirandum est) inter persecutores absque jactura & contumelia aliqua, clarissima remansisse, eademque veluti nobilissima tropæa victoriæ a Christianis summo honore habita esse. Et consuevisse Christianos, etiam persecutionis tempore, non tantum qui Romæ erant, sed & ex remotioribus tam Orientis quam Occidentis partibus, atque ex ipsa adeo Perside, Romam venire, ut veneranda Apostolorum sepulcra inviserent, ac venerarentur. De qua re & *Chrysostomus* ita rhetoricatur: *in homilia quod Christus sit Deus. Editionis Savilianæ Tom.* VI. *p.* 631. Ἐν τῇ βασιλικοτάτῃ πόλει Ῥώμῃ, πάντα ἀφιέντες, ἐπὶ τοὺς τάφους τοῦ ἁλιέως καὶ τοῦ σκηνοποιοῦ τρέχουσι καὶ βασιλεῖς καὶ ὕπατοι καὶ στρατηγοί. Καὶ ἐν τῇ Κωνσταντινουπόλει δὲ, οὐδὲ πρὸς τοὺς Ἀποστόλους ἐγγὺς, ἀλλὰ καὶ παρ' αὐτὰ τὰ πρόθυρα, ἔξω ἀγαπητὸν εἶναι ἐνόμιζαν καὶ τὰ διαδήματα περικείμενοι τὰ σώματα αὐτῶν κατορύττεσθαι, καὶ γεγόνασι θυρωροὶ λοιπὸν τῶν ἁλιέων καὶ οἱ βασιλεῖς. *In ipsa urbe Roma, quam maxime Imperatoria, relictis omnibus ad sepulcra Piscatoris & Pellionis currunt & Reges, & Præsides, & militiæ duces. Et Constantinopoli Reges nostri magnam gratiam putant, si non prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula, corpora sua sepeliantur, fiantque piscatorum ostiarii Reges.* Quæ si vera, certe oppido superstitiosa sunt. Æque ac illud,

XLV. De sepulcro Pauli.

quod Conſtantinus Auguſtus, ex ſuggeſtione, ut ajunt, Silveſtri, Epiſcopi Romani., inter Viam Oſtienſem & Tiberim Baſilicam Paulo ſtruxerit, eamque opulentiſſimis donariis ditarit: quam, quia propter loci interjacentis anguſtias amplioribus ſpatiis ædificari non potuerat, Valentinianus Imperator, prætergreſſus viam illam, ampliſſimam reddidit; ambitu murorum viam Oſtienſem complexus.

SECTIO XIII.

De Pauli Proſopographia, Dotibus, & Cælibatu.

BREVIARIUM.

I. *Proſopographia Pauli.* II. *Eruditio.* III. *Eloquentia, improbe taxata.* IV. *Qua mente ſe ſermone idiotam eſſe fateatur.* V. *Quamvis non deſit ipſi Prophetarum & Oratorum, ubi res poſcit, ſublimitas.* VI. *Bezæ judicium de ipſius ſtilo, & docendi ratione.* VII. *Chryſoſtomus de orationis Paulinæ efficacia.* VIII. *Eximiæ Pauli virtutes.* IX. *Cælibatus.* X. *Quid intelligatur per ἀδελφὴν γυναῖκα* 1 Cor. IX: 5.

I. Proſopographia Pauli.

Atque ita nunc vitam Pauli Apoſtoli, & quæ præclare ab ipſo geſta ſunt, quanta a me fieri potuit accuratione expoſui. Paucula adhuc de corporis ſtatura, de animæ dotibus, de vitæ an cælibis an conjugatæ ſtatu, de ſcriptis denique ipſi attributis, expedienda reſtant. *Corpore* non valde ſpectabilem fuiſſe, ipſe innuit 2 Cor. X: 20. *Chryſoſtomus* alicubi *ἄνθρωπον τρίπηχυν komuncionem tricubitalem* nuncupat. *Lucianus*, aut quicunque Philopatridis auctor eſt, Paulum in mente habuiſſe creditur, quando in ſcenam producit Γαλιλαῖον, *ἀναφαλαντίαν, ἐπίρρινον, ἐν τρίτον οὐρανὸν ἀεροβατήσαντα, Galilæum, recalvaſtrum, naſo aquilino, qui in tertium uſque cælum per aërem ingreſſus eſt.* At nemo diligentiorem Pauli *προσωπογραφίαν* reliquit quam *Nicephorus Calliſtus Lib.* II. *cap.* XXXVII. *ὁ δέ γε θεσπέσιος Παῦλος μικρὸς ἦν καὶ συνεσταλμένος τὸ τοῦ ζώματος μέγεθος. καὶ ὥσπερ ἀγκύλον αὐτὸ κεκτημένος. σμικρὸς καὶ κεκυφώς. τὴν ὄψιν λευκός. καὶ τὸ πρόσωφον προφερής. ψιλὸς τὴν κεφαλήν. χαροποὶ δὲ αὐτῷ ἦσαν οἱ ὀφθαλμοί. κάτω δὲ τὰς ὀφρῦς εἶχε νευούσας. εὐκαμπῆ καὶ ῥέπουσαν ὅλω τῷ προσώπῳ περιφέρων τὴν ῥῖνα. τὴν ὑπήνην δασεῖαν καὶ καθειμένην ἀρκούντως ἔχων. ῥαινομένην δὲ ταύτην καὶ τὴν κεφαλὴν ὑπὸ πολιαῖς ταῖς θριξίν. Paulus autem corpore erat parvo & quaſi incurvo atque paululum inflexo, facie candida, annoſque plures præ ſe ferente, & capite calvo: oculis multa inerat gratia, ſupercilia deorſum verſum vergebant: naſus pulcre inflexus, idemque longior: barba denſior & ſatis promiſſa: eaque non minus quam capitis coma, canis etiam reſperſa erat.* Quæ qua auctoritate Nicephoro tradita ſint, meum non eſt præſtare.

II. Cer-

II. Certiora & compertiora de eximiis animi dotibus habemus: quibus tam *intellectus* quam *voluntas* ipsius exornata verum fecere diverbium, in vili vasculo ingentis sæpe prætii uniones condi. Ingenio præditus fuit sagaci, judicio solido & subacto, memoria tenaci; in Tarsensi fortassis schola non segniter imbutus iis artibus quibus mentes ad humanitatem formari solent; ne Poëticæ quidem elegantiæ rudis, &, si quæ a *Chrysostomo* narrantur credere fas est, Philosophiæ ad eum modum peritus, ut cum ipso contendere potuerit Platone. Verum hæc videri possunt ὑπερβολικώτερα. Dubium non est quin in Hebraica literatura magis excelluerit; uti in initio a nobis est demonstratum. Sed quod Evangelii mysteria attinet; enimvero hic fuit veluti aquila in nubibus. Neque meritis cujusquam laudibus detractum iri existimo, si quis arbitretur in omni Prophetarum & Apostolorum choro paucos admodum rerum Divinarum scientia pares Paulo fuisse, superiorem fortasse neminem.

II. Eruditio.

III. Equidem non sine indignatione delicatulorum quorundam interpretum miniatulas lego, nunc ratiocinationes Apostoli, nunc stilum & loquendi modos, temeraria præsumtione sugillantium; quasi intelligi & exponi non possit, nisi frequenter ei veniam male connexeram argumentationum, & incommodarum locutionum faciant. Ita qui instituunt, sive illi Græci, sive Latini, sive Veteres, sive Recentiores sint, eos ego non Paulo solum, sed & ipsi Spiritui Sancto, cujus ductu & argumentatus est & scripsit, convitium dicere, nec veram ejus mentem in iis quæ criminantur unquam assecutos esse, fidenter assevero: sine ulla hæsitatione *Coccejo* nostro subscribens. *Init. comment. ad Rom.* I. §. 8. *Cui videtur Apostolus confragose loqui, eum necesse est mentem Pauli non assequi, nec habere.* & paulo post §. 9. *Non est metuendum, ne non, quum attenderis, & te docilem Spiritui Sancto præbueris, &* κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως *secundum conformitatem fidei interpretatus fueris, ac salutares sermones retinueris, atque ita intellexeris, tum appariturum tibi sit, ita scripturam locutam esse, ut nos aliter locutam esse. Quare qui de stilo Sanctorum conqueruntur, se suspectos faciunt, quod pro verbis Spiritus Sancti parati sint sua, tanquam meliora, substituentes nobis imponere.* A quibus non multum abludunt *Epiphanii* ista *Hæresi* LXIV. *Num.* XXIX. *Ὥσπερ ἀκοντιστὴς ὁ Ἀπόστολος δεινὸς διεστραμμένα ῥήματα τῶν λόγων εἰς μέσον ἐμβαλὼν, ἀσαφῆ μὲν καὶ ἐπικεκαλυμμένην ποιεῖσθαι εἰς βάθος τῶν ἀναγνωσμάτων τὴν ἐξεργασίαν, ἀληθεστάτην δὲ, καὶ ὀρθόδοξον, καὶ μηδὲν ἔχουσαν ἀπημελημένον, ἢ δύσφημον. Τοῖς μὲν γὰρ μὴ μετὰ σπουδῆς, ἀλλὰ ἀγεννῶς ἐκπίπτουσι τοῖς λόγοις, ἀσυνάρτητα ἔσθ' ὅτε δοκεῖ καὶ ἀσύμφωνα λέγεν. Τοῖς δ' ἂν σπουδαίοις, καὶ λογισμῷ νήφοντι, ὁπόσης τάξεως ἔμπλεα, καὶ ἀληθείας. Etenim Apostolus, velut peritissimus quidam jaculator, contortas verborum sententias in medium emittens, ut obscuram, profundissimisque sensibus occultatam orationem instituit; sic verissimam, rectaque fidei consentaneam, quæ*

III. Eloquentia, improbe taxata.

nihil aut negligentius dictum aut absurdum continet. Qui enim non studiose, sed oscitanter, in illius sermones incurrunt; iis nonnunquam minus sibi consentanea, ac coharentia dicere videtur. Qui vero operam adhibent, & sobria, atque experrecta mente in illos incumbunt, ex ordine omnia, ac rei veritate pronunciata judicant.

IV. Qua mente se sermone idiotam esse fateatur.

IV. Fatetur quidem de se Apostolus, aut saltem videtur fateri, *se idiotam sermone esse* 2 Cor. XI: 6. Sed non idcirco fatetur, se inconsiderate, ἀπαιδεύτως, & contra legitimi discursus canones, indocte verba fundere. Non temnenda prorsus *Augustini* in hunc locum commentatio est: *Id,* inquit, *quasi concedendo obtrectatoribus sic locutus; non tanquam id verum agnosceret, confitendo.* At demum *Hieronymo*, improbe petenti, ut Paulus *non de humilitate, sed de conscientiæ veritate dixisse statuatur*: non tamen ob eam caussam approbamus quæ Algasiæ scribit: *Profundos & reconditos sensus lingua non explicat, & quum ipse sentiat quid loquatur, in alienas aures puro non potest transferre sermone; quem quum in vernacula lingua habeat disertissimum, quippe Hebræus ex Hebræis, seipsum interpretari cupiens involvitur.* Præclarus omnino *Cocceji* in hanc Apostoli ῥῆσιν commentarius est; dignus qui ubique legatur. „ Removet, inquit, quod ad ipsius deprecationem dicebatur a „ pseudapostolis: tanquam nihil detrahens perfectioni Apostolatus. Idiota Sermone, hoc est, loquens ut idiota, & ἀγράμματος. C. 10: 10. „ ὁ λόγος ἐξουθενημένος. Non est putandum Apostolum hic uti ironia. „ Puto enim vere loqui: quod & Hieronymus concedit. Et nisi id verum „ esset, non habuissent obtrectatores ipsius, quod carperent. Sermo alius „ est idioticus, popularis, omnibus auribus conveniens, doctorum, indo„ ctorum, virorum, feminarum, senum, juvenum, sapientum, insipien„ tum. Alius autem sermo est conveniens Poëtis & Oratoribus. Paulus „ sciebat se non esse missum ad Philosophos, ad Senatores, ad populum in „ concione detinendum, & mulcendum, ad pompam verborum exponen„ dam, ad inanes tinnitus vocabulorum effundendos, ut esset tanquam „ χαλκὸς ἢ κύμβαλον ἀλαλάζον: sed se missum esse, ad humiles æque ac „ ad sublimes, Græcos ac Barbaros, ad totum mundum omnibus ætatibus „ vocandum, non per docte fictas fabulas, sed per sermones simplices ac cla„ ros, ad implendum terram cognitione Dei. Ideoque elegit stilum idio„ ticum, talem scilicet, qualem pater & mater ad filium aut filiam suam in„ stituere possit: ut & patres ac matres & pueri & magni & parvi, & docti „ & indocti haberent, quod narrare & ad communem ædificationem alius „ alii in mentem revocare possent. Id vero non officit quo minus epistolæ „ sint ἰσχυραὶ καὶ βαρεῖαι. In quibus certe, etiamsi genus sermonis sit hu„ mile & idioticum, invenimus magnam vim, sapientiam, & majesta„ tem: & imprimis, quod potissimum erat, magnam aptitudinem ad „ docendum. „

V. Quod

V. Quamvis non desit ipsi Prophetarum & Oratorum, ubi res poscit, sublimitas.

V. Quod vero non comtiori sermone uteretur Apostolus, ex eo profectum non est, quod non potuerit si voluisset; sed quod noluerit, quia censebat non expedire Evangelio. 1 Cor. 11: 2, 4. Cæterum ubi orationis sublimitatem res ipsa poscebat, adeo mox eam assurgere deprehendas, ut neque prophetarum, neque oratorum ὕψος desideres. Quod & ipse agnoscere coactus est *Hieronymus*, ad *Pammachium* scribens *epistola* L. „ Paulum „ Apostolum proferam; quem quotiescunque lego, videor mihi non verba, sed audire tonitrua. Legito Epistolas ejus, & maxime ad Romanos, „ ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est; & videbis eum in testimoniis quæ sumit de Veteri Testamento, quam artifex, quam prudens, quam dissimulator sit ejus quod agit: videntur „ quidem verba simplicia, & quasi innocentis hominis & rusticani, & qui „ nec facere nec declinare noverit insidias; sed quocunque respexeris fulmina sunt. *Ac rursum ad eundem Epist. LXII.* Ubi vocatur Electionis „ vas, tuba Evangelii, rugitus Leonis nostri, tonitru Gentium, flumen „ Eloquentiæ Christianæ: qui Mysterium retro generationibus ignoratum, & profundum divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, magis minatur quam loquitur. „

VI. Bezæ judicium de ipsius stilo, & docendi ratione.

VI. Non possum mihi temperare, quin appingi curem *Bezæ*, haut obesæ profecto naris Critici, annotationem ad 2 Cor. XI: *6*. „ Ἰδιώτας alibi diximus proprie dici privatos, id est plebejos, & ex medio vulgo homines, „ qui, quod non ita liberaliter sunt educati, fere sunt excellentium rerum, „ ac præsertim oratoriæ illius facultatis prorsus rudes & imperiti. Quid „ igitur? an imperitus loquendi Paulus & elinguis, ut Hieronymus existimat? Imo vero Chrysostomum potius, & doctissimos quosque ex „ Græcis, ipsam denique rationem secutus, quamvis nativa illa & masculæ facundiæ germana ornamenta, ipsi videri possint non defuisse, fateor „ tamen illum fucatæ istius Rhetorices pigmentis uti noluisse: nempe ut „ vi Spiritus hominum animos ad Christum raperet, non autem sermonis „ blanditiis, adulatorum more, alliceret. Sed quum orationis ipsius totam indolem & χαρακτῆρα propius considero, nullam ego in ipso Platone similem grandiloquentiam, quoties illi libuit Dei mysteria detonare, nullam in Demosthene parem δεινότητα comperisse me fateor, quoties animos metu Divini judicii perterrefacere, vel commonefacere, vel „ ad contemplandam Divinam comitatem attrahere, vel ad pietatis ac misericordiæ officia constituit adhortari: nullam denique vel in ipso Aristotele & Galeno, præstantissimis alioquin artificibus, magis exactam „ docendi methodum invenio. „

VII. Chrysostomus de orationis Paulinæ efficacia.

VII. Ut ut sit. Ille sua confessione Idiota tantum Evangelii prædicatione valuit, ut, opitulante Divina gratia, millenos triumphaverit philosophos, millenos ad silentium redegerit rhetores. Ἀλλ' ὅμως ὁ ἰδιώτης οὗτος

μυρίους ἐνίκησε φιλοσόφους, μυρίους ἐπεστόμισε ῥήτορας, ἀπὸ τῆς αὐτοῦ προθυμίας, καὶ τῆς τοῦ χάριτος τὸ πᾶν ἐργασάμενος. Chrysost. Præf. ad Rom. Atque hæc est ratio, cur vel pulverem oris istius videre tanto opere desideraverit; illius, inquam, oris, per quod magna ista & arcana locutus est Christus, & majora quam per semet ipsum (sicut enim majora per Apostolos operatus, ita & locutus est) per quod Spiritus admiranda sua oracula promulgavit orbi habitabili. Quid enim non boni os illud patravit? Pepulit dæmones, solvit peccata, obmutescere fecit tyrannos, philosophorum linguas obstruxit, orbem terrarum adduxit Deo, Barbaris persuasit ut operam darent sapientiæ, omnia quæ in terra sunt reconcinnavit, & quæ in cœlis sunt ad eum quem voluit disposuit modum. Si Græca mavis, sic habe: *τούτου τοῦ στόματος ἐβουλόμην τὴν κόνιν ἰδεῖν, δι' οὗ τὰ μεγάλα καὶ ἀπόρρητα ὁ χριστὸς ἐλάλησε, καὶ μείζονα ἢ δι' ἑαυτοῦ (ὥσπερ γὰρ εἰργάσατο μείζονα διὰ τῶν μαθητῶν, οὕτω καὶ ἐφθέγξατο) δι' οὗ τὸ πνεῦμα τῇ οἰκουμένῃ τοὺς θαυμαστοὺς ἐκείνους χρησμοὺς ἔδωκε. Τί γὰρ οὐκ εἰργάσατο ἐκεῖνο τὸ στόμα ἀγαθόν; δαίμονας ἤλασεν, ἁμαρτήματα ἔλυσε, τυράννους ἐπεστόμισε, φιλοσόφων γλώττας ἐνέφραξε, τὴν οἰκουμένην τῷ Θεῷ προσήγαγε, βαρβάρους φιλοσοφεῖν ἔπεισε, πάντα μετερρύθμισε τὰ ἐν τῇ γῇ, καὶ τὰ ἐν οὐρανοῖς, ὃν ἐβούλετο, διετίθει τρόπον. Ad finem Epistolæ ad Romanos.*

VIII. Eximiæ Pauli virtutes.

VIII. Quid cæteras Pauli virtutes memorem? profundam illam *Humilitatem*, qua se aliorum pedibus lubens submisit, omnium se peccatorum maximum, omnium sanctorum *ἐλαχιστότερον minimo minorem*, sponte professus: sublimem illam *magnanimitatem*, qua calcatis omnibus seculi illecebris, omnibus carnis commoditatibus, omnibus sævissimarum mortium terriculamentis, non nisi spiritualia ac cœlestia cogitabat, loquebatur, & sectabatur super omnia: illum *Zelum*, quo totus ad Dei gloriam hominumque salutem flagrabat: illam *charitatem* prorsus incredibilem, qua paratus erat, si quidem fieri posset, anathema esse a Christo pro Judæis, fratribus suis secundum carnem: illam in obeundo munere *diligentiam*, nullis fractam laboribus: illam *constantiam* plane invictam, sub nullis fatiscentem periculis, opprobriis, cruciatibus: *prudentiam* illam prope Divinam, qua singula rerum, hominum, temporum momenta prospicienter expendens, quid, ubi, quando, quomodo agendum esset, sapientissime discernebat: *Sanctitatem* denique exactissimam, qua ipsum, quantum pote, Christum referens & exprimens, toti se Ecclesiæ in exemplum præstituit. Quid *liberalitatem* laudem curamque pauperum, quorum sublevandorum gratia tam longinqua & molesta aliquoties suscepit itinera? quid *sobrietatem*, & parsimoniam, per quam factum est ut solo victu & amictu contentus, non modo nihil opulentum in vita expetierit, sed semper in re tenui a licitis etiam abstinuerit? quid *Castimoniæ* puritatem, & abstinentiam ab omni specie mali, sic ut domitis pravis cupiditatibus corpus ipse suum precibus ac jejuniis

jejuniis contuderit, ac in servitutem redegerit, neque ad subjugandam libidinem matrimonii indiguerit capistro?

IX. Facile enim iis conscisco qui in casto ipsum *cælibatu* vitam transegisse credunt. Huc sane ducunt verba 1 Cor. VII: 7. θέλω γὰρ πάντας ἀνθρώπους εἶναι ὡς καὶ ἐμαυτόν. Palam utique est, toto fere hoc capite id agere Paulum, ut vitam solutam ac cælibem, propter instantem Evangelii confessoribus necessitatem, vinctæ ac conjugatæ anteferat; modo quis continentiæ dono præditus carere matrimonii usu queat. Hac fini suum laudat exemplum. Nullis lubidinum concupiscentiis agitatus vas suum in sanctificatione & honore possidebat. Nullisque matrimonii officiis distractus, nullo conjugis amore obstrictus, solum Deum amabat ardentius, colebat liberius. Id quum perquam sibi commodum esse experiretur, idem donum aliis optat. Donum, inquam, perpetuæ abstinentiæ, de quo & Christus Mat. XIX: 11, 12. Quo sequentia etiam aurigantur vs. 8. *Dico autem innuptis & viduis, bonum eis esse si manserint ut ego.* Postquam de nuptis & matrimonio junctis locutus esset, nunc de virginibus & viduis quoque subjungit, cunctis se in exemplum proponens, idemque continentiæ donum voto optans, quo ipse pollebat. Unde plus quam probabili collectione infertur, fuisse cælibem. Nam quod quidam ratiocinantur conjugatum fuisse, quia inter conjugatos mentionem sui faciat; id præstantissimis Interpretibus leve ac frigidum merito jure censetur: quia posset eadem ratione colligi fuisse viduum, quia viduos inter de se loquatur. IX. Cælibatus.

X. Ad eandem mentem expono 1 Cor. IX: 5. *An non habemus potestatem ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν sororem uxorem circumducendi, quemadmodum & cæteri Apostoli, & fratres Domini & Cephas?* Non placet eorum interpretatio qui de honesta aliqua, pia, divite matrona explicant, quales Christum comitatæ sunt, de bonis ipsi suis servientes. Si enim hoc voluisset Paulus quod illi volunt, non addidisset γυναῖκα: nam voce ἀδελφῆς jam sexum indicaverat. Quis ignorat, sorores esse mulieres? Neque est quod existimemus Pauli ætate cognitas istiusmodi fuisse mulieres, quas *Cypriani* ævo & paullo post συνεισάκτους dixere, quæ, Clericis ministrantes, sub conjugii prætextu virginitatem nihilominus illibatam conservabant: & nomine *uxores* erant, usu *sorores*. Sic de Anastasio Presbytero *Amphilochius*: λέγει τῇ γυναικὶ αὐτοῦ, ὀνόματι μὲν. ἀδελφῇ δὲ τῇ χρήσει. Sic & *Basilius*: γυνὴ μὲν αὐτοῦ ὑπάρχει τῷ ὀνόματι. ἀδελφὴ δὲ τῇ χρήσει. Talium enim feminarum cum presbyteris cohabitationem a primævi Christianismi simplicitate ac severitate alienam fuisse, docet Doctissimus *Dodwellus Dissertatione Cypriana III.* Præterea confessum satis est Petrum, aliosque ex cognatis Domini fuisse conjugatos, qui uxores suas Ecclesiæ sumtibus circumduxere. Voluit ergo ostendere, ut jure suo cesserit; quod, etsi non habuit, habere tamen potuit uxorem, quam, ut alii faciebant Apostoli, circumduceret, X. Quid intelligatur per ἀδελφὴν γυναῖκα 1 Cor. IX: 5.

circumduceret,

cumduceret, & sumtus ab Ecclesiis non pro se solum, sed & pro illa, exigeret atque acciperet. Fusius hanc materiem persequerer, nisi pridem occupasset Clarissimus *Marckius*, φίλτατόν μοι κάρα, in *Exercitatione de Cælibatu Pauli*, juvenili quidem illa, sed quæ ne nunc quidem auctorem dedeceat.

SECTIO XIV.

De Scriptis Paulo Suppositis.

BREVIARIUM.

I. *De Adscensione Pauli liber Apocryphus.* II. *Apocalypsis Pauli.* III. *Actus Pauli & Theclæ.* IV. *Judicium de iis.* V. *Epistolæ Pauli & Senecæ.* VI. *Utroque indignæ.* VII. *Epistola Pauli ad Laodicenses.* VIII. Νοτείας *convicta.* IX. *Paulum Laodiceæ Evangelium prædicavisse, ipse negare videtur.* X. *Affirmat Theodoretus.* XI. *Non abludente Baronio.* XII. Ἐπιχείρισις.

I. De Adscensione Pauli liber Apocryphus.

TAndem etiam aliquid de Libris dicemus Paulo nostro, falso quidem, sed attributis tamen. Ubi primo loco occurrit Ἀναβατικὸν, sive ADSCENSIO, quam occasione raptus Paulini affinxerunt ei Cajani Hæretici, magni etiam facta Gnosticis. Quo de libro hæc habet *Epiphanius*, *Hæresi* XXXVIII. *Num.* II. *pag.* 277. *Quin alium insuper Pauli Apostoli nomine libellum excogitarunt, præpostera libidine refertum, quem & ii, quos Gnosticos vocant, adhibere solent, quod Pauli Anabaticum vocant: cujus suppostitii operis ansam ex eo ceperunt, quod Apostolus ipse testetur* 2 Cor. XII: 4. *se in tertium usque conscendisse cælum, & arcana ibidem audisse verba, quæ non licet homini loqui. Hæc autem, inquiunt, arcana illa verba sunt. Quæ quidem omnia, iisque similia ita, quemadmodum monuimus, docent: ut & malis honorem habeant, & bonos repudient. Nam Cainum fortioris esse cujusdam virtutis, & Abelum inferioris sentiunt, quas ipsas virtutes cum Eva congressas utrumque genuisse sic affirmant; ut alterius Abelus sit, Cainus alterius. Quin Adamum, atque Evam iisdem a Virtutibus, sive Angelis, originem traxisse: quosque genuere postea liberos, Cainum inquam, & Abelum, secum invicem rixatos esse, & qui fortiori ab Virtute propagatus fuerat, inferioris imbecilliorisque sobolem occidisse.* Horum nugatorum insaniam *Augustinus* redarguit *Tractat.* XCVIII. *in Johan. Quidam spiritualium ad ea pervenerunt, quæ non licet homini loqui, qua occasione vani quidam Apocalypsin Pauli, quam sana non recipit Ecclesia, nescio quibus fabulis plenam, stultissima præsumtione finxerunt, dicentes hanc esse, unde raptum se fuisse dixerat in tertium cælum, & illic audisse ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Utcunque illorum tolerabilis esset audacia, si se audisse dixisset, quæ adhuc non licet homini loqui: quum vero dixerit, quæ non licet homini loqui; isti qui sunt, qui hæc audeant impudenter & infeliciter loqui?*

II. Ejusdem

II. Ejusdem furfuris est alia, nisi fallor, *Apocalypsis* Pauli, seculo quarto ab imperitis & credulis Monachis valde celebrata; at nulli veterum cognita. Ajunt tempore Theodosii Imperatoris, apud Tarsum Ciliciæ, in ædibus Pauli, arcam marmoream, Deo revelante, sub terra inventam fuisse, in qua hic liber esset reconditus. Verum *Zozomenus* postquam ea narrasset *Libr.* VII. *Cap.* XIX. sic pergit: *Mihi vero hac de re percontanti falsum id esse dixit Cilix quidam, Presbyter Ecclesiæ Tarsensis: quem quidem jam grandævum ipsa canities indicabat. Ajebat autem se nihil ejusmodi apud ipsos gestum comperisse; ac suspicari ne id ab hæreticis confictum esset.* II. Apocalypsis Pauli.

III. Laudati etiam multis Veterum sunt ACTUS sive περίοδοι PAULI & THECLÆ: de cujus Theclæ vita duo pridem commentaria Græca edita sunt Antverpiæ, a *Petro Pantino*, Decano Bruxellensi; quorum unum Basilii Seleuciensis, alterum Simonis Metaphrastæ nomen inscriptum gerit. Nuperrime autem ex Bibliotheca Bodlejana eorundem nobis exemplar Græce & Latine exhibuit *Johannes Ernestus Grabius*, in Spicilegio Patrum Seculi Primi. Inscriptio est, Μαρτύριον τῆς ἁγίας καὶ ἐνδόξου πρωτομάρτυρος καὶ Ἀποστόλου Θέκλας. Summa historiæ huc redit. Paulo Iconium venienti occurrit Onesiphorus quidam cum conjuge & liberis, eum hospitio excepturi. Quem prorsus ita, uti eum descripserat Titus, invenerunt, μικρομεγέθη, ψιλὸν τὴν κεφαλὴν, ἀγκύλον ταῖς κνήμαις, εὔκνημον, σύνοφρυν, ἐπίῤῥινον, χάριτος πλήρη, *statura brevi, calvastrum, cruribus curvis, surosum, superciliis junctis, naso aquilino, plenum gratia.* Quæ non multum abludunt a Luciani descriptione, supra memorata. Nisi quod hic addatur, modo eum hominis, modo Angeli habuisse figuram. Ut vero Onesiphori domum introivit, oratio flexis genubus fusa, panisque fractus est; & verbum Dei de continentia & Resurrectione a Paulo prædicatum. Multis etiam encomiis laudata est pura virginitas, cum ingentis præmii promissione. Hæc per proximam suæ domus fenestram audiebat THECLA, primæ dignitatis virgo, desponsata viro nobili & opulento, cui Thamyridis nomen. Tantoque mox Paulum audiendi desiderio exarsit, ut nulla ratione a fenestra illa divelli quiverit: animumque nuptias dissolvendi induxerit. Mater ejus Theoclia, totaque familia, sed imprimis Thamyris, tam insperatam subitamque virginis mutationem mirati atque indignati, conquesti sunt apud Iconiensium Præsidem Castellium, adversus Paulum præcipue detonantes. Ad quem in carcerem jussu Præsidis conjectum, corrupto donariis ostiario, noctu venit Thecla, ex Pauli ore auditura magnalia Dei. Hinc factum, ut Paulus, veluti magnus, flagellatus & urbe excedere jussus sit: Thecla vero, furibunda matre id postulante, ad vivicomburium damnata. Quæ a Christo, sub Pauli specie apparente, animata, facto crucis signo, alacriter conscendit rogum. Verum Deus Theclæ misertus, fragorem subtus e terra excitavit, nubesque desuper aqua & grandine plena III. Actus Pauli & Theclæ.

obumbravit, ac sinus terræ ruptus quasi se effudit, adeo ut multis pereuntibus ignis extingueretur, & Thecla salva evaderet. A Paulo Antiochiam abducenda; ubi novis iterum implicita fuit difficultatibus, per importunos amores nescio cujus Alexandri, sanctissimæ virginis forma capti. Quo accusante, & ipso munus edente, ad bestias damnata est, cum elogio, SACRILEGA. Leæna vero in eam immissa, pedes ejus reverenter lingebat, nihil præterea mali faciens. Hinc deducta fuit Thecla in domum Trisinæ, honoratissimæ apud Antiochenos feminæ: cujus filiam Falconillam, sine cognitione & fide Christi mortuam, precibus ex inferis liberatam, ad locum refrigerii & ad vitam æternam transtulit. Postera luce rursus in Theatrum producta est. Inde leones atque ursi in eam immissi. Sævissima vero leæna iterum ad pedes ejus procubuit; & invadentem concito cursu ursam discerpsit; uti & alterum leonem, hominibus devorandis assuetum. Ita tamen, ut & ipsa illa officiosissima leæna in conflictu illo necaretur. Thecla tot belluarum victrix, vertens sese, videt foveam plenam aquis, & ait, *Nunc tempus est ut abluar*, & præcipitem se dedit in aquam, dicens: *In nomine tuo, Mi Domine Jesu Christe, ultima die baptizor.* Hinc clamor spectantis turbæ, ipsiusque adeo Præsidis, metuentium ne ilico a phocis absumeretur. Sed phocæ splendore ignei fulguris percussæ, cunctæ emortuæ supernatarunt; Theclam vero ignea nubes circumdedit, ut neque bestiæ eam tangerent, neque nuda conspiceretur. At necdum defuncta suis certaminibus novis iterum & formidolosissimis bestiis objicitur. Quæ omnes, virtute unguentorum a mulieribus spectatricibus in caveam projectorum, quasi somno obrutæ, Theclam haut tetigerunt. Tandem & furentium taurorum impetum evasit. Tot prodigiis obstupefactus Præses, hoc decreto liberam esse jussit: THECLAM ANCILLAM DEI, LIBERAM VOBIS DIMITTO. Quæ, post Paulum Myris in Lycia quæsitum & inventum, Iconium patriam suam rediit; ubi Thamyrin quidem suum defunctum, matrem vero Theocliam vivam reperiit; sed a Christiana religione præfracte alienam. Ea igitur relicta, Seleuciam se contulit, plurimosque verbo Christi illuminavit. Hic finem habuisse antiqua Theclæ acta, credit *Grabius*. In eo tamen quod vidit exemplari porro narratur, Theclam in spelunca quadam prope Seleuciam per multos annos vixisse, ægrosque omni morborum genere correptos miraculose curavisse: hinc concitasse in se medicorum Seleuciensium invidiam, qui nefanda adversus sanctissimæ virginis puritatem machinantes, sceleratissimos nebulonum ad vim ei inferendam corruperunt. Verum hic quoque intercessit numinis benignitas, finem denique tot tentationibus impositura. Oranti enim vox de cœlo audita est: *Ne timeas Thecla, fidelis serva mea: tecum enim sum. Respice & vide locum, qui coram te aperitur. Ibi enim perpetua domus tua erit, ibique visitaberis.* Et cum dicto vidit petram apertam, eo usque ut hominem introeuntem capere posset.

posset. Hanc ingressa, petra subito clausa coiit: adeo ut neque compages appareret. Hic fertur fuisse finis Theclæ; quæ ad Christum conversa anno ætatis decimo octavo, in itinere & vita ascetica in monte septuaginta duos exegit annos; adeo ut nonagenaria esset, quando Dominus eam de terra assumsit. Hæc summa est Actorum Theclæ.

IV. Quæ quo pretio sint habenda, nunc inquirendum restat. *Tertullianus*, Patrum Latinorum antiquissimus, *Lib. de Baptismo*, *Cap.* XVII. contra eos qui jus docendi & tingendi muliebri sexui tribuebant disputans, hæc habet: *Quod si, qui Pauli perperam scripta legunt, exemplum Theclæ ad licentiam mulierum docendi tingendique defendunt, sciant in Asia Presbyterum, qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, convictum atque confessum se id amore Pauli fecisse, loco decessisse*, id est gradu Ecclesiastici muneris esse dejectum. Consentit *Hieronymus in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum*, in *Paulo* ita scribens: *περιόδους Pauli & Theclæ, & totam baptizati leonis fabulam inter Apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, ut individuus comes Apostoli inter cæteras ejus res hoc solum ignoraverit? Sed & Tertullianus vicinus eorum temporum refert, Presbyterum quendam in Asia, σπουδαστὴν Apostoli Pauli, convictum a Johanne, quod auctor esset libri, & confessum se hoc Pauli amore fecisse, loco excidisse.* *Gelasius* etiam Distinct. XV. Actus Pauli & Theclæ Apocryphis scriptis accenset. Nec quenquam hodie mortalium exstare arbitror, qui ullum ejus nominis librum pro genuino Pauli fœtu agnoscat; nedum hunc cujus summam modo dedi. Attamen non, quia relatio ista Paulum auctorem non habet, ideo inferre fas est, nullam unquam in rerum natura fuisse Theclam, & quidquid de ea narratur pro mero habendum esse figmento. Etenim vix ulla persona in monumentis Patrum frequentius magisque celebrata est, quam hæc ipsa Thecla. Seculo III *Cyprianus* eam commemoravit, in Oratione pro Martyribus. *Assiste nobis, sicut Apostolis in vinculis, Theclæ in ignibus, Paulo in persecutionibus, Petro in fluctibus.* Et in alia oratione: *Libera me de medio seculi hujus, sicut liberasti Theclam de medio Amphitheatro.* Seculo IV & V historiam Theclæ testimonio suo confirmarunt *Gregorius* tam *Nazianzenus* quam *Nyssenus*, *Ambrosius*, *Chrysostomus*, *Isidorus Pelusiota*: quorum verba in notis ad Acta Theclæ adduxit Clarissimus *Grabius*. Neque profecto validum contra Theclæ historiam Hieronymi argumentum est, quod ex Lucæ silentio petitur. Ipse enim Hieronymus in Commentariis ad Gal. II. ubi agitur de contentione Pauli & Petri Antiochiæ oborta, cujus Lucas in Actis nullo verbo meminit, bene monet: *non mirum esse si Lucas hanc rem tacuerit, quum & alia multa quæ Paulus sustinuisse se replicat historiographi licentia prætermiserit: & non statim esse contrarium, si quod alius ob caussam dignum putavit relatu, alius inter cætera dereliquit.* Sed, quod maxime notandum, ipse *Hieronymus* Theclam alibi laudat: *Epist.* XXII. *ad Eustochium*, sub finem. *Qualis*

IV. Judicium de iis.

erit illa dies, quum tibi Maria, mater Domini, choris occuret comitata virgineis? Tunc Thecla in tuos læta volabit amplexus, &c. Quamvis autem totam Theclæ historiam fabulis annumerari nolim, fabulis tamen valde conspurcatam fuisse non dubito: uti in talibus fieri amat. Neque tantum credulitatis domi habeo, ut pro genuino primi seculi scripto agnoscam toties nunc laudatum libellum: quidquid vel Baronius olim, vel Grabius nuper, argumentationibus suis contra nitantur.

V. Epistolæ Pauli & Senecæ.

V. In aliquo etiam veteribus quibusdam pretio fuerunt *Epistolæ ἀμοιβαῖαι Senecæ* ad Paulum, *Pauli* ad Senecam. Nimirum exstant *Acta* quædam *Passionis Pauli*, *Lini* nomine consignata; in quibus de Paulo & Seneca hæc narrantur: *Institutor Imperatoris adeo est ipsi amicitia copulatus, videns in eo Divinam scientiam, ut se a colloquio illius temperare vix posset. Quo minus si ore ad os alloqui illum non valeret, frequentibus datis & acceptis epistolis ipsius dulcedine & amicabili colloquio & consilio frueretur.* Quia vero epistolæ illæ raræ in juventutis studiosæ manibus sunt, paucisque eorum visæ; operæ pretium erit eas hic quoque exhibere, ex *Sixti Senensis Bibliotheca Sancta, Libr*. II. *pag*. 102. *& seq.*

Paulo Annæus Seneca Salutem.

CREDO tibi, Paule, nunciatum, quod heri cum Lucillo nostro de Apocrisi, & aliis rebus habuimus. Erant enim quidam disciplinarum tuarum comites mecum. Nam in hortos Salustianos secesseramus; quo in loco, occasione nostra, alio tendentes hi, de quibus dixi, nobis adjuncti sunt. Certe quod tui præsentiam optamus. Et hoc scias volo: libello tuo lecto, id est de plurimis literis aliquas epistolas, quas ad aliquam civitatem, seu caput Provinciæ direxisti, mira exhortatione vitam moralem continentes, usque refecti sumus. Quos sensus non puto ex te dictos, sed per te, certe aliquando ex te, & per te. Tanta enim majestas earum est rerum, tantaque generositate clarent, ut vix suffecturas putem ætates hominum, quibus institui perficique possint. Bene te valere Frater cupio, vale.

Paulus Senecæ salutem.

LITERAS tuas hilaris heri accepi: ad quas rescribere potui statim, si præsentiam juvenis, quem ad te missurus eram, habuissem. Scis enim, quando, & per quem, & quo tempore, & cui quid dari committique debeat. Rogo ergo ne te putes neglectum, dum personæ qualitatem inspicio. Sed quod literis meis vos refectos scribis; felicem me arbitror tanti viri judicio. Neque enim diceris Censor, Sophista, ac magister tanti Principis & etiam omnium, nisi quia vera dicis. Opto te diu bene valere.

Paulo

Paulo Annæus Seneca salutem.

QUÆDAM volumina ordinavi, & divisionibus suis statum eis dedi. Ea quoque legere Cæsari sum destinatus. Etsi modo sors prospere annuerit: eris forsitan & tu præsens. Sin alias, reddam tibi diem; ut invicem hoc opus inspiciamus. Decreveram non prius edere ei hanc scripturam nisi prius tecum conferrem, si modo impune hoc fieri potuisset, ut scires & te non præteriri. Vale Paule charissime.

Paulus Senecæ Salutem.

QUOTIESCUNQUE literas tuas audio, præsentiam tui cogito; nec aliud existimo; quam omni tempore te nobiscum esse. Cum primum itaque venire cæperis, invicem nos & de proximo videbimus. Bene te valere opto.

Paulo Annæus Seneca salutem.

NIMIO tuo angimur secessu. Quid est, vel quæ res te remoratum faciunt? si indignatio Domini, quod a ritu & secta veteri recesseris & alios rursus converteris: erit postulandi locus, ut ratione factum, non levitate hoc existimet. Vale.

Paulus Senecæ, & Lucillo salutem.

DE his, quibus, vel quæ mihi scripsistis, non licet harundine, & atramento eloqui: quarum altera res notat, & designat aliquid; altera evidenter ostendit, præcipue cum sciam inter vos esse, sicut apud nos, & in nobis, qui me intelligunt. Honor habendus est omnibus, & tanto magis his qui indignandi occasionem captant: quibus si patientiam ostendemus; omni modo eos ex quacunque parte vincemus; si modo hi sunt, qui pœnitentiam sui gerant. Bene Valete.

Paulo Annæus Seneca salutem.

PROFITEOR bene me acceptum in lectione literarum tuarum, quas Galatis, Corinthiis, & Achæis misisti. Spiritus enim sanctus in te, & supra te excelsos, sublimiores, valdeque venerabiles sensus exprimit. Vellem itaque, cum res eximias proferas, ut majestati earum cultus sermonis non desit. Et, ne quid tibi, Frater, surripiam, aut conscientiæ meæ debeam, confiteor Augustum sensibus tuis permotum: cui lecto literarum tuarum exordio, hæc vox fuit: Mirari eum posse, ut qui non legitime imbutus sit, taliter sentiat. Cui ego respondi, Solere Deos ore innocentium effari; addens ei exemplum Vaticani hominis rusticuli; cui cum duo viri apparuissent in agro Reatino, qui Castor, & Pollux sunt nominati, divinitus instructus fuit. Vale.

Paulus Senecæ salutem.

LICET non ignorem Cæsarem nostrarum rerum admiratorem & amatorem esse, permittes tamen te non lædi, sed admoneri. Puto enim te graviter fecisse, quod in notitiam proferre voluisti, quod ritui & disciplinæ ejus sit contrarium: cum & ille gentium Deos colat. Quid tibi visum sit, ut hoc eum scire velles, non video: sed nimio amore meo facere te hoc existimo. Rogo te de futuro ne id agas. Cavendum est enim, ne, dum me diligis, offensam Domino facias: cujus quidem offensa, nec oberit, si perseveraverit; neque si non sit, proderit. Si est Regina; non indignabitur: si mulier est, offendetur. Bene Vale.

Paulo Annæus Seneca salutem.

SCITO te non tam mei caussa commotum litteris, quas ad te de editione epistolarum tuarum Cæsari feci, quam natura rerum: quæ ita mentes hominum ab omnibus artibus & moribus revocat, ut non hodie admirer. quippe ut is, qui multis documentis hoc jam notissimum habeam. Igitur nove agamus. Tu, siquid facile in præteritum actum est, veniam irrogabis. Misi tibi librum de verborum copia. Vale Paule charissime.

Paulus Senecæ salutem.

QUOTIES tibi scribo, & nomen meum tibi præfero, gravem & sectæ meæ incongruam rem facio. Debeo enim, ut sæpe professus sum, cum omnibus omnia esse; & idem observare in tuam personam, quod lex Romana honori Senatus concesserit, scilicet in epistola ultimum locum eligere, ne cum aporia & dedecore cupiam efficere, quod mei arbitrii fuerit. Vale devotissime Magister. Data quinto Kal. Julii. Nerone quarto & Messala Consulibus.

Paulo Annæus Seneca salutem.

AVE MI Paule charissime, si mihi, nominique meo vir tantus & dilectus omnibus modis, non dico fueris junctus, sed necessario mixtus: apte actum erit de Seneca tuo. Cum sis igitur vertex & altissimorum omnium montium cacumen; haud te indignum in prima facie epistolarum nominandum censeas, ne tam tentare me, quam ludere, videaris; quippe cum scias civem esse te Romanum. Nam qui meus apud te locus; qui tuus, velim ut meus. Vale Paule charissime. Data X. Kal. Aprilis, Apriano & Capitone Consulibus.

Paulo Annæus salutem.

AVE MI Paule charissime. Putansne me haud contristari, & non luctuosum esse, quod de innocentia vestra subinde sumatur supplicium? dehinc, quod tam obnoxios vos reatui omnis populus judicet, putans, à vobis

vobis effici, quod in Urbe contrarium fit? ſed feramus æquo animo, & utamur foro, quod ſors conceſſit, donec invicta felicitas finem malis imponat. Tulit & priſcorum ætas Macedonem Philippi filium & Dionyſium; noſtra quoque Cajum Cæſarem: quibus quicquid libuit, licuit. Incendium Urbs Romana unde ſæpe patiatur manifeſte conſtat. Sed ſi effari humilitas humana potuiſſet, & impune his tenebris loqui liceret: jam omnes omnia viderent. Chriſtiani, & Judæi, quaſi machinatores incendii, ſupplicio affici ſolent. Graſſator iſte, quisquis eſt, cui voluptas carnificina eſt, mendacium velamentum, tempori ſuo deſtinatus eſt: & ſicut optimi cujuſque caput pro uno donatur capite; ita unum pro multis dabitur caput, & hic devotus pro omnibus igni cremabitur. Centum triginta duæ domus, Inſulæ quatuor, ſex diebus arſere: ſeptimus pauſam dedit. Bene te valere opto. Data quinto Kal. Aprilis, Frigio, & Baſſo Conſulibus.

Paulo Annæus Seneca ſalutem.

AVE MI Paule chariſſime. Allegorice & ænigmaticæ multa a te uſquequaque opera conduntur: & ideo rerum tanta vis & muneris tibi tributa, non ornamento verborum, ſed cultu quodam decoranda eſt. Sæpius te dixiſſe retineo, multos, qui talia affectent, ſenſus corrumpere, & rerum virtutes evirare. Cæterum hoc mihi concedas velim: Latinitati morem gere, honeſtis vocibus ſpeciem adhibe, ut generoſi muneris conceſſio digne à te poſſit expediri. Bene Vale. Data V. Nonas Julii, Leone & Savino Conſulibus.

Paulus Senecæ ſalutem.

PERPENDENTI tibi ea ſunt revelata, quæ paucis divinitas conceſſit. Certus igitur ego in agro fertili ſemen fortiſſimum ſero, non quidem materiam, quæ corrumpi videtur, ſed verbum ſtabile Dei, derivamentum creſcentis, & manentis in æternum. Quod prudentia tua aſſecuta eſt, indeficiens fore debebit: Ethnicorum, Iſraëlitarumque obſervationes cenſeto vitandas. Quæ propemodum adeptus es, Regi temporali, ejuſque domeſticis, atque fidis amicis inſinuabis. Quibus etſi aſpera & incaptibilis erit perſuaſio tua, cum plerique eorum minime flectantur inſinuationibus tuis: ſermo tamen Dei illis inſtillatus, novum in his hominem pariet, ad Deum hinc properantem. Vale Seneca chariſſime nobis. Data Kal. Auguſti, Leone & Savino Conſulibus.

VI. Cæterum dubitari non poteſt quin ficta & ſuppoſititia ſint hæc omnia. Nam neque Seneca Chriſtianus unquam fuit, ſed ſuperbus Stoicus, tam in vita quam in morte; neque epiſtolæ vel Paulo vel Seneca dignæ ſunt. De moriente Seneca narrat *Tacitus*, quod hauſto fruſtra veneno poſtremo ſtagnum calidæ aquæ introierit, reſpergens proximos ſervorum, ad- VI. Utroque indignæ.

dita

dita voce, *Libare se liquorem illum Jovi Liberatori.* De Epistolis sic judicat *Lipsius*, eas quæ nunc sunt, tanti non esse ut memorentur: *imo certum est,* inquit, *ejusdem auctoris, & Pauli & Senecæ, illas esse, & compositas a semi docto in ludibrium nostrum. Tentat Latine loqui, quisquis auctor fuit.* Ulterius tendit *Baronius*, fictumque illum Senecam absurditatis & mendacii reum peragit, quod incendio isto Neroniano centum tantum & triginta duas domos ac quatuor insulas arsisse scribat: quum enim Tacitus ex quatuordecim urbis regionibus quatuor tantummodo integras remansisse testetur, longe profecto majorem exustarum domorum & insularum numerum exstitisse oportet. Rursus quum eadem epistola data habeatur *V. Kal. April. Apriano & Capitone Coss.* plane dicendum foret eam quinquennio ante incendium scriptam esse. Quinto enim Neronis anno hi Consulatum gessere. Quum alioqui, teste Tacito, qui res gestas Neronis per annos singulos accurate digessit, *Consulibus Memnio Regulo, & Virginio Rufo*, decimo Neronis anno, ea de Urbis incendio accidisse exploratum habeatur. Eam ob rem & reliquas tam illas ad Paulum, quam a Paulo, suspectas habet Cardinalis ad *Ann. Chris.* LXVI. *Num.* XI. Dissimulandum tamen non est, quod apud Sixtum Senensem, subscriptio Epistolæ qua Romanum memoratur incendium, habeat, *Frigio & Basso Consulibus.*

VII. Epistola Pauli ad Laodicenses.

VII. Nihil propius ad Apostoli stilum accedere videtur ea quæ circumfertur ad *Laodicenses Epistola*; cujus exemplar ita habet.

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΠΑΥΛΟΥ

Πρὸς Λαοδικέους ἐπιστολή.

1. ΠΑΥΛΟΣ ἀπόστολος, οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδὲ δι' ἀνθρώπου, ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῖς ἐν Λαοδικείᾳ ἀδελφοῖς.

2. Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς, καὶ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ.

3. Εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μου τῷ χριστῷ πάντοτε ἐν ταῖς προσευχαῖς μου, ὅτι ἐμμένοντες, καὶ προσκαρτεροῦντες ὑμεῖς ἐστὲ ἐν ἔργων καλῶν, προσδεχόμενοι τὴν ἐπαγγελίαν ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως.

4. Καὶ μὴ ταράξωσιν ὑμᾶς ματαιολογίαι τίνων τῶν ὑποκρινομένων τὴν ἀλήθειαν, τοῦ διαστρέψαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς ἀληθείας τοῦ εὐαγγελισθέντος ἀπ' ἐμοῦ.

5. Νῦν

EPISTOLA S. PAULI

Ad Laodicenses.

1. PAULUS Apostolus non ab hominibus, neque per hominem; sed per Jesum Christum, Fratribus qui estis Laodiceæ.

2. Gratia vobis, & pax à Deo patre, & Domino nostro Jesu Christo.

3. Gratias ago Deo meo Christo in omnibus precationibus meis, quod permanentes estis, & perseverantes in operibus bonis, promissionem expectantes, in die judicii.

4. Neque disturbent vos quorundam vaniloquia insimulantium veritatem, ut vos avertant à veritate Evangelii, quod à me prædicatur.

5. Et

5. Νῦν δὲ ποιήσει ὁ Θεὸς, ἵνα πάντες οἱ ἐξ ἐμοῦ εἰσιν ἐπὶ τὴν τελειότητα τῆς ἀληθείας τοῦ εὐαγγελίου φέρωνται, τοῦ ποιῆσαι τὴν χρηστότητα τῶν ἔργων, ἃ πρέπει τῇ σωτηρίᾳ τῆς ζωῆς αἰωνίου.

6. Καὶ νῦν φανεροὶ ἐγένοντο οἱ δεσμοί μου, ἐν οἷς δέσμιός εἰμι ἐν Χριστῷ, καὶ ἐν τούτῳ χαίρω, ἀλλὰ καὶ χαρήσομαι.

7. Οἶδα γὰρ ὅτι τοῦτό μοι ἀποβήσεται εἰς σωτηρίαν αἰώνιον, ὃ ἐγένετο διὰ τῆς ὑμῶν δεήσεως, καὶ ἐπιχορηγίας τοῦ πνεύματος ἁγίου.

8. Εἴτε διὰ ζωῆς, εἴτε διὰ θανάτου, ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν Χριστὸς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν χαρά.

9. Αὐτὸς δὲ ὁ κύριος ἡμῶν, ἐν ὑμῖν ποιήσει τὸ ἔλεος αὐτοῦ μετ' ὑμῶν, ἵνα τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχοντες, σύμψυχοι τὸ αὐτὸ φρονῆτε.

10. Διὰ τοῦτο ἀγαπητοὶ, καθὼς ἠκούσατε τὴν παρουσίαν τοῦ κυρίου, οὕτως φρονεῖτε, καὶ ποιεῖτε ἐν φόβῳ τοῦ Θεοῦ, καὶ ἔσται ὑμῖν ζωὴ αἰώνιος.

11. Ὁ Θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν.

12. Πάντα ποιεῖτε χωρὶς γογγυσμῶν, καὶ διαλογισμῶν.

13. Καὶ τὸ λοιπὸν, ἀγαπητοὶ, χαίρετε ἐν τῷ κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ, καὶ ὁρᾶτε, καὶ φυλάσσεσθε ἀπὸ πάσης αἰσχροῦ κέρδους πλεονεξίας.

14. Πάντα τὰ αἰτήματα ὑμῶν παῤῥησίᾳ γνωρισθέσθω πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ βέβαιοι γίνεσθε ἐν νοῒ τοῦ Χριστοῦ.

15. Καὶ τὸ λοιπὸν, ἀδελφοὶ, ὅσα ἐστὶν ἀληθῆ, ὅσα σεμνὰ, ὅσα ἁγνὰ, ὅσα δίκαια, ὅσα προσφιλῆ, ταῦτα πράσσετε.

Meletem. Leid. 16. Καὶ

5. Et nunc faciet Deus, ut, qui ſunt ex me, ad præfectionem veritatis Evangelii deferantur, ut faciant benignitatem operum, quæ decent ſalutem vitæ æternæ.

6. Et nunc manifeſta ſunt vincula mea quæ patior in Chriſto: in quibus lætor & gaudeo.

7. Scio enim, quod hoc mihi eſt ad ſalutem perpetuam, quod factum eſt orationibus veſtris, adminiſtrante Spiritu Sancto.

8. Sive per vitam, ſive per mortem: mihi enim, vivere, Chriſtus eſt; & mori, gaudium.

9. Et ipſe Dominus noſter, in vobis faciet miſericordiam ſuam vobiſcum, ut eandem dilectionem habeatis, & ſitis unanimes.

10. Propterea dilecti, ſicuti audiſtis præſentiam Domini, ita ſentite, & facite in timore Domini, & erit vobis vita in æternum.

11. Eſt enim Deus, qui operatur in vobis.

12. Omnia autem facite abſque murmurationibus, ac diſceptationibus.

13. Et quod reliquum eſt, dilectiſſimi: gaudete in Domino Jeſu Chriſto, & cavete vobis ab omni avaritia turpis lucri.

14. Omnes petitiones veſtræ cum fiducia manifeſtæ ſiant apud Deum, & firmi eſtote in mente Chriſti.

15. Denique fratres, quæcunque vera ſunt, & pudica, & caſta, & juſta, amabilia hæc facite.

Z 16. Et

Colossensibus & Laodicensibus dixisset: *non solum vestrum, sed & eorum qui me nondum viderunt, curam gero maximam.* Eam expositionem hac ratione firmat, quod Lucas testetur Act. XVIII: 23. Paulum eodem tempore peragrasse & Phrygiam & Galatiam: Colossæ autem sunt Phrygiæ; hujus vero metropolis & vicina est Laodicea. Quomodo ergo fieri potuit, ut qui in Phrygiam venerat non iis Divinum tradiderit Evangelium? Nec vero dixerit quispiam, fuisse eum a Divina prohibitum gratia. Nam de Asia quidem & Bithynia id testatus Lucas est Act. XVI: 6. de Phrygia nullus.

XI. Non abludente Baronio.

XI. Ad quam Theodoreti ratiocinationem hæc annotavit *Baronius: Constat Lucæ testificatione Act.* XVI: 6. *Paulum una cum sociis, quum descendissent in Phrygiam, in qua Provincia erant Laodicea atque Colossæ, absque aliqua verbi prædicatione prætereuntem venisse in Mysiam:* vetati sunt enim, *inquit Lucas,* a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia. *Quamobrem tum Paulum nondum eis fuisse cognitum existimamus. Verum post aliquot annos iterum est reversus in Asiam. Id enim est quod Lucas alibi ait.* Act. XIX: 1. Factum est, quum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus (*Asia scilicet*) veniret Ephesum: *ubi ipso manente factum est, ut idem ait com.* 10. ut omnes qui habitabant in Asia audirent verbum Domini, Judæi atque Gentiles. *Hac igitur ultima in Asiam peregrinatione Paulum Laodicensibus & Colossensibus Evangelium prædicasse, illisque probe notum fuisse, jure existimandum putamus.*

XII. Ἐπίκρισις.

XII. Enim vero mihi secus videtur. Non enim quia Paulus plus semel in Phrygia fuit, ideo consequitur omnibus eum Phrygiæ urbibus Evangelium prædicasse. In primo per Phrygiam itinere, certum est prohibitum a Spiritu Sancto fuisse verbum Dei in Asia minore, cujus pars Phrygia est, loqui. Act. XVI: 16. In altero per Asiam itinere, quod describitur Act. XIX: 1. incertum est an Phrygiam viderit. Partes enim superiores, quas peragrasse dicitur, sunt septentrionales, Pontus & Bithynia: uti suo loco exposuimus. Quod vero com. 10. asseritur, omnes qui in Asia erant audivisse verbum Domini, nequaquam significat Paulum illud in singulis Asiæ urbibus prædicavisse. Agitur enim de eo quod factum est Paulo Ephesi commorante; ex qua Asiæ urbe præstantissima late edita Euangelii fama est. Nimirum per auditores & discipulos Pauli, quorum aliqui forsan mercaturæ gratia ad alias urbes excurrentes, eaque quæ Ephesi audiverant viderantque narrantes, alii a Paulo ipso missi, totam Asiam salutaris doctrinæ præconio impleverunt. Nullo itaque indicio liquet, Paulum Colossis aut Laodiceæ unquam fuisse. Verum non indigemus hoc argumento, quod magis elucidandæ historiæ, quam probandæ caussæ gratia, tam prolixe executi sumus: quum aliqui satis constet, nullam a Paulo datam esse occasionem aliquid de sua quadam ad Laodicenses epistola suspicandi. Atque ea profecto, quæ isthoc se nomine jactat, sine ullo salutaris sapientiæ detrimento carere possumus; quum quidquid ea continetur in iis quæ indubie Paulinæ sunt, non solum quod res, sed & iisdem propemodum verbis, inveniatur. Importuna igitur curiositas est circa supposititia satagere; quum germana ac genuina Pauli scripta, modo ea qua par est meditatione in succum sanguinemque convertantur, cæteris authenticis voluminibus juncta, abunde nobis ad salutem erudiendis sufficiant.

DISSERTATIONES SELECTÆ,

Maximam Partem EXEGETICÆ.

DISSERTATIO I.

De Seditione & exitio Coræ.

BREVIARIUM.

I. *Religio Mosaica validissimis se Divinitatis suæ argumentis commendat.* II. *In quibus est Coræ & conjuratorum nefandus interitus.* III. *Partitio Dissertationis.* IV. *Auctor conjurationis, Core.* V. *Socii conjurationis.* VI. *Initium criminis ambitio fuit.* VII. *Novatum Reipublicæ per Mosen statum prætexens.* VIII. *Et invidiosa oratione exagitans.* IX. *Hinc orta calumniosa Mosis insectatio est.* X. *Poëtice a Josepho exaggerata.* XI. *Pertinacia conjuratorum.* XII. *Mosis in faciem procidentis pietas.* XIII. *Lis Dei unius arbitrio dirimenda.* XIV. *Experimento in aromatum suffitu faciendo.* XV. *Mosis ad conjuratos sermo.* XVI. *Et modestia prope incredibilis.* XVII. *Dathanis atque Abirami seditiosa in Mosen oratio.* XVIII. *A Mose ad animum revocata.* XIX. *Protestante se ne unum quidem asinum ab iis sumsisse.* XX. *Conjurati sistunt se ad tabernaculum cum acerris suis.* XXI. *Eas unde tot numero tam subito habuerint.* XXII. *Uti & ignem suffitus.* XXIII. *Dei adversus hanc protervitatem excandescentia.* XXIV. *Mosis & Aaronis pro seductis intercessio.* XXV. *Pia sane, & Deo grata.* XXVI. *Moses conjuratis infandum prædicit exitium.* XXVII. *Quod creationem vocat propter novitatem & mirabilitatem.* XXVIII. *Quamvis terræ hiatus caussas suas naturales habeant; hic tamen Dei manus liquido cernitur.* XXIX. *Quid sit descendere ad inferos.* XXX. *Terra dehiscens seditionis auctores vivos absorbet.* XXXI. *Josephi rhetoricatio.* XXXII. *Seditionis socii absumuntur igne.* XXXIII. *Quid One Pelethi filio factum sit.* XXXIV. *Quomodo, superstitibus Coræ filiis, omnes qui Coræ erant periisse dicantur.* XXXV. *An & ipse Cora hiatu terræ absorptus sit. Argumenta pro negante.* XXXVI. *Argumenta pro affirmante.* XXXVII. Ἐπίκρισις. XXXVIII. *Cur pleraque Veteris Oeconomiæ miracula diri aliquid continuerint.*

Colossensibus & Laodicensibus dixisset: *non solum vestrum, sed & eorum qui me nondum viderunt, curam gero maximam.* Eam expositionem hac ratione firmat, quod Lucas testetur Act. XVIII: 23. Paulum eodem tempore peragrasse & Phrygiam & Galatiam: Colossæ autem sunt Phrygiæ; hujus vero metropolis & vicina est Laodicea. Quomodo ergo fieri potuit, ut qui in Phrygiam venerat non iis Divinum tradiderit Evangelium? Nec vero dixerit quispiam, fuisse eum a Divina prohibitum gratia. Nam de Asia quidem & Bithynia id testatus Lucas est Act. XVI: 6. de Phrygia nullus.

XI. Non abludente Baronio.

XI. Ad quam Theodoreti ratiocinationem hæc annotavit *Baronius: Constat Lucæ testificatione Act.* XVI: 6. *Paulum una cum sociis, quum descendissent in Phrygiam, in qua Provincia erant Laodicea atque Colossæ, absque aliqua verbi prædicatione prætereuntem venisse in Mysiam:* vetati sunt enim, *inquit Lucas,* a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia. *Quamobrem tum Paulum nondum eis fuisse cognitum existimamus. Verum post aliquot annos iterum est reversus in Asiam. Id enim est quod Lucas alibi ait.* Act. XIX: 1. Factum est, quum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus (*Asiæ scilicet*) veniret Ephesum: *ubi ipso manente factum est, ut idem ait com.* 10. ut omnes qui habitabant in Asia audirent verbum Domini, Judæi atque Gentiles. *Hac igitur ultima in Asiam peregrinatione Paulum Laodicensibus & Colossensibus Evangelium prædicasse, illisque probe notum fuisse, jure existimandum putamus.*

XII. ἐπίκρισις.

XII. Enim vero mihi secus videtur. Non enim quia Paulus plus semel in Phrygia fuit, ideo consequitur omnibus eum Phrygiæ urbibus Evangelium prædicasse. In primo per Phrygiam itinere, certum est prohibitum a Spiritu Sancto fuisse verbum Dei in Asia minore, cujus pars Phrygia est, loqui. Act. XVI: 16. In altero per Asiam itinere, quod describitur Act. XIX: 1. incertum est an Phrygiam viderit. Partes enim superiores, quas peragrasse dicitur, sunt septentrionales, Pontus & Bithynia: uti suo loco exposuimus. Quod vero com. 10. asseritur, omnes qui in Asia erant audivisse verbum Domini, nequaquam significat Paulum illud in singulis Asiæ urbibus prædicavisse. Agitur enim de eo quod factum est Paulo Ephesi commorante; ex qua Asiæ urbe præstantissima late edita Euangelii fama est. Nimirum per auditores & discipulos Pauli, quorum aliqui forsan mercaturæ gratia ad alias urbes excurrentes, eaque quæ Ephesi audiverant viderantque narrantes, alii a Paulo ipso missi, totam Asiam salutaris doctrinæ præconio impleverunt. Nullo itaque indicio liquet, Paulum Colossis aut Laodiceæ unquam fuisse. Verum non indigemus hoc argumento, quod magis elucidandæ historiæ, quam probandæ caussæ gratia, tam prolixe executi sumus: quum alioqui satis constet, nullam a Paulo datam esse occasionem aliquid de sua quadam ad Laodicenses epistola suspicandi. Atque ea profecto, quæ isthoc se nomine jactat, sine ullo salutaris sapientiæ detrimento carere possumus; quum quidquid ea continetur in iis quæ indubie Paulinæ sunt, non solum quod res, sed & iisdem propemodum verbis, inveniatur. Importuna igitur curiositas est circa supposititia satagere; quum germana ac genuina Pauli scripta, modo ea qua par est meditatione in succum sanguinemque convertantur, cæteris authenticis voluminibus juncta, abunde nobis ad salutem erudiendis sufficiant.

DISSERTATIONES SELECTÆ,

Maximam Partem EXEGETICÆ.

DISSERTATIO I.

De Seditione & exitio Coræ.

BREVIARIUM.

I. *Religio Mosaica validissimis se Divinitatis suæ argumentis commendat.* II. *In quibus est Coræ & conjuratorum nefandus interitus.* III. *Partitio Dissertationis.* IV. *Auctor conjurationis, Core.* V. *Socii conjurationis.* VI. *Initium criminis ambitio fuit.* VII. *Novatum Reipublicæ per Mosen statum prætexens.* VIII. *Et invidiosa oratione exagitans.* IX. *Hinc orta calumniosa Mosis insectatio est.* X. *Poëtice a Josepho exaggerata.* XI. *Pertinacia conjuratorum.* XII. *Mosis in faciem procidentis pietas.* XIII. *Lis Dei unius arbitrio dirimenda.* XIV. *Experimento in aromatum suffitu faciendo.* XV. *Mosis ad conjuratos sermo.* XVI. *Et modestia prope incredibilis.* XVII. *Dathanis atque Abirami seditiosa in Mosen oratio.* XVIII. *A Mose ad animum revocata.* XIX. *Protestante se ne unum quidem asinum ab iis sumsisse.* XX. *Conjurati sistunt se ad tabernaculum cum acerris suis.* XXI. *Eas unde tot numero tam subito habuerint.* XXII. *Uti & ignem suffitus.* XXIII. *Dei adversus hanc protervitatem excandescentia.* XXIV. *Mosis & Aaronis pro seductis intercessis.* XXV. *Pia sane, & Deo grata.* XXVI. *Moses conjuratis infandum prædicit exitium.* XXVII. *Quod creationem vocat propter novitatem & mirabilitatem.* XXVIII. *Quamvis terræ hiatus caussas suas naturales habeant; hic tamen Dei manus liquido cernitur.* XXIX. *Quid sit descendere ad inferos.* XXX. *Terra dehiscens seditionis auctores vivos absorbet.* XXXI. *Josephi rhetoricatio.* XXXII. *Seditionis socii absumuntur igne.* XXXIII. *Quid One Pelethi filio factum sit.* XXXIV. *Quomodo, superstitibus Coræ filiis, omnes qui Coræ erant periisse dicantur.* XXXV. *An & ipse Cora hiatu terræ absorptus sit. Argumenta pro negante.* XXXVI. *Argumenta pro affirmante.* XXXVII. ἐπίκρισις. XXXVIII. *Cur pleraque Veteris Oeconomiæ miracula diri aliquid continuerint.*

I. Religio Mosaica validissimis se Divinitatis suæ argumentis commendat.

INsigne fuit Dei Optimi Maximi beneficium, & prolixissimi in populum Israëliticum affectus argumentum, quod, dum cæteras mundi nationes in suis singulas viis ire fineret, hunc solum sibi in peculium elegerit, quem sui cognitione & communione, & cultus sibi decori atque placentis deformatione, bearet. Ps. CXLVII: 19, 20. Habuit profecto ista Israëliticæ religionis, per Mosen fidissimum Dei servum facta, institutio, ea in sese Divinæ suæ originis documenta; quæ convincendis hominum attendentium, riteque arbitrari valentium, animis sufficerent. Nam tanta ubique elucet sapientia, tanta legum justitia & sanctitas, tanta Legislatoris prudentia cuncta populi & genio & terræ & ætati attemperans, tanta tamque exacta omnium religionis partium symmetria, tam sublimium mysteriorum sub externo, vilium aliquando sed & quandoque speciosarum, ceremoniarum cortice, indigitatio, & in his omnibus tanta θεοπρέπεια; ut nulla post natos in terra homines gens exstiterit, cui adeo se familiariter patefecerit Deus. Psal. XIX: 8, 9, 10. Deut. IV: 6, 7, 8. Verum paucos admodum Israëlitarum ea solertia ac sagacitate præditos fuisse credibile est, ut istam Divinorum institutorum præstantiam pro rei dignitate animadverterint, dignoverint, æstimaverint. Deut. XXIX: 4. Interfuit tamen cunctorum, ut, non Mosen de suo finxisse, sed ex Dei ore quæcunque ipsis exponebat hausisse, plenissime apud animum suum persuasi essent. Idcirco palpabilibus argumentis, nullique contradictioni obnoxiis, evincere illud Deus voluit. In horum censum veniunt stupenda illa miracula, numero plurima, varietate notabilia, prodigiis veneranda, quibus præsenti spectantique populo universo cœlestem ad ipsos Mosis missionem comprobavit. Deut. XXIX: 2, 3. Neque tamen defuerunt pervicacia ingenia, incredibili pravitate Mosi & religioni per ipsum traditæ obnitentia; quasi non Dei, sed suam duntaxat caussam ageret, & se, cum fratre Aarone, arroganter super populum Dei efferret. Verum, quod apprime notari meretur, ita circa istam contradicendi proterviam versata est Dei providentia, ut non modo nihil per illam auctoritati Mosaicæ detereretur, sed & ipsa, præ cæteris fortassis argumentis omnibus, eidem statuminandæ inserviret.

II. In quibus est Coræ & conjuratorum nefandus interitus.

II. Pro exemplo esse possit CORÆ, cæterorumque conjuratorum, adversus Mosen & Aaronem seditio, memorata Num. XVI. & à Josepho *Antiq. Lib.* IV. *Cap.* I. tragice sic exaggerata ut *ei parem vel apud Græcos, vel apud Barbaros, unquam auditam fuisse* neget. Scilicet huc tendebat malitiosorum hominum querula oratio: Mosen ambitiosis artibus, sub Divinæ jussionis prætextu, cum aliorum injuria suæ tantum gloriæ studere: sibi principatum arrogasse, fratri Aaroni summum sacerdotium, contra priscos mores, contra jus & fas, sine populi suffragio, dedisse; aliasque dignitates, ad quas æquum cuique jus erat, velut arrepta tyrannide, pro lubidine distribuere. Neque deerant versutis hominibus quæ ambitioni suæ prætexerent;

rent; mox fusius exponenda. Accedebat conjuratorum numerus, dignitas, maximaque apud suos existimatio. Parum denique abesse videbatur, quin de Mose, de religione, & de republica actum foret. Tantum vero abest ut quicquam per altercationes istas divinitati Mosaicæ religionis decesserit, ut nunquam fortassis illustrioribus documentis asserta sit. Inaudita enim & incredibilia exempla in rebellionis auctores divinitus statuta, ab omni fraudis suspicione Mosen vel apud pervicacissimos absolverunt.

III. Hanc ego mihi historiam libero commentario illustrandam sumsi; ei rei Exercitationem hanc daturus. Neque justæ me methodi leges migraturum esse puto; si *primum* de CONJURATIS dicam, *tum* de conjuratorum CRIMINE, *denique* de criminis istius POENIS: ubi inquirendum erit, quod maxime in controversiam trahi video, AN ET CORA TERRÆ VORAGINE ABSORPTUS SIT. III. Partitio Dissertationis.

IV. Conjurationis princeps auctor & concitor fuit CORE, (Hebraice scribitur קרח) filius Jizhar, nepos Caathi, fratruelis Mosis & Aaronis. Hi enim Amramo nati erant, fratre Caathi primogenito. Exod. VI: 19, 20. Adeo non fratrum modo gratia rara est; sed & acerrima sunt proquinquorum odia, & flagrantissima invidia. Josephus de suo addit, *opibus inter Hebræos clarum, Mose ditiorem, & populari quadam facundia præditum fuisse*. Quæ res novas molientibus perquam oportune accidunt. Sed nos ipsam sacram historiam attendamus. Ea sic incipit, ויקח קרח. Id proprie sonat, *& sumsit Core*. At *quid* sumsit? An *semet ipsum*, ut se à Mose sejungeret? Hoc Paraphrastes videtur voluisse, qui vertit ואתפליג, *& divisit se*. An *verba* quædam, quibus concionabundus populum circumveniret? secundum illud Hos. XIV: 3. קחו עמכם דברים, *sumite vobiscum verba*. Fortasse id cogitarunt Græci, transferentes, καὶ ἐλάλησε. An *alios quosdam conjurationis socios*, mox suis insigniendos nominibus? Simplicissimum hoc esse arbitror: neque quicquam obstat nisi particula conjunctionis præfixa voci Dathanis, ודתן ET *Dathan*. Cæterum hoc ferme nihil est. Commode enim sic junguntur omnes isti qui deinceps laudantur singuli: hoc sensu: *Sumsit & Dathanem & Abiramum & Onem*. Qualis dicendi ratio quum in elegantioribus quibusque linguis obtineat, eo minus ab Hebræi idiomatis genio aliena censeri debet, quod conjunctionis particula ET adeo ibi frequenter redundet, ut vel sermonem inchoet. IV. Auctor conjurationis, Core.

V. Prudenter judicavit Core, consultum sibi non esse, ut solus tanta moliretur. Adsciscendos esse socios, auctoritate & numero pollentes: qui & consilio juvent, & invidiam demant, & periculum, si quod oriatur, aut propulsent, aut pariter ferant. Socios autem nactus est commodissimos, DATHANEM, ABIRAMUM, ONEM, omnes *Rubenitas*. Qui & in vicinia castra metabantur (nam & Rubenitæ & Kehatitæ ad meridiem tabernaculi erant collocati Num. II: 10, & III: 29. quod ad clandestina colloquia V. Socii conjurationis.

perquam

perquam oportunum erat) & eidem caussæ innexi, ademtis sibi, ut rebantur, per Mosen primogenituræ privilegiis. His associabantur, ex reliquis indiscriminatim tribubus, VIRI DUCENTI ET QUINQUAGINTA. Tam facile ex scintilla exigua magnum repente oritur incendium: quo non frutices duntaxat & virgulta, sed & arborum densissimæ, ipsæque corripiantur cedri. Erant enim נשיאי עדה, sive *principes familiarum*, aut cœtus ex variis familiis constantis, sive judiciorum præsides, sive turmis militaribus, majoribus minoribusve, præfecti. קריאי מועד, ad concilium *evocari soliti*, quoties de rebus arduis instituenda esset deliberatio. אנשי שם *Viri magnæ apud suos existimationis*, & sapientiæ fama incluti. Tales denique qui seditioni, ut ut nequissimæ, speciem & auctoritatem conciliare idonei erant, & singuli aliquid habebant quod ambitioni suæ prætenderent.

VI. Initium criminis ambitio fuit.

VI. CRIMEN ipsorum ita narratur, ut primo *occasionem* atque *initium* illius exponat historia, tum *progressum*, denique *pervicaciam*. *Initium* sumsit ab insita mentibus humanis ambitione, & dominandi cupiditate; quæ etiam sapienti novissima exuitur. Gens Israëlitica, nobilibus quidem orta majoribus, at in Ægypto inter lutum & lateres nata, servilibusque subacta ministeriis, plurimum de prisca majorum generositate desciverat. Sed simul atque in libertatem asserti fuerunt, dum incertis hactenus sedibus per Arabiæ deserta palantur, mox animos sumunt, de principatu inter se contendunt, rationemque constituti à Deo ordinis ambitioni suæ posthabent. Quæ ambitio, paullo incitata momento, mirum est quid non mortalia pectora cogat. Non sinit modicis, & conditioni suæ convenientibus, contentos esse honoribus: plus ultra tendit, & quantumvis confragoso itinere ad præcipitia enititur; sui tandem & Dei oblita.

VII. Novatum Reipublicæ per Mosen statum prætexens.

VII. Favere ipsis videbatur nova reipublicæ constitutio, quæ non parum à prisca distabat. Summa rerum penes duos fratres, Mosen & Aaronem, erat; sacra & profana supremo jure moderantes. Sacerdotii dignitas uni adstricta familiæ? amotis cæterarum tribuum primogenitis: quibus, more majorum, sine domorum discrimine, infulæ jus competiisse creditur. Plebs omnis, veluti profana, ab altari arcebatur; quamvis ipse aliquoties dixisset Deus, integrum *populum sanctum* esse, eumque *regni sacerdotalis* elogio ornasset. Levitis ipsis pro honore imputabatur, quod fratribus suis, qui sacerdotes se dici postulabant, ad ministerium adnumerarentur. Quis tam abjecti animi sit ut æqua id mente ferat? *Rubenitæ* præsertim, quibus, quæ nativitatis jure habebant, primogenituræ privilegia, aliorum ambitu adimebantur, partim Judæ, partim Josepho attributa. Sed & *Coræ* nominatim data videbatur justa querelæ materies. Qua enim in re minor erat Aarone, quum eodem propinquitatis gradu Levin patriarcham attingeret? Quid certe meruerat, cur in principatu familiæ paternæ postponeretur *Elzaphani*, filio Uzzielis; qui ex quarta Caathæorum familia erat, quum ipse esset ex secunda. Num. III: 30. com 27.

VIII. At-

VIII. Atque hæc quidem *occasionem* & *initium* dedere crimini; cujus *exsecutio* & *consummatio* in eo consistebat, quod, quas animo volverant cogitationes, eas mutuis sermonibus foverint, acuerint, & ad pestilentissimam seditionem maturaverint. Non abhorret à veri similitudine quod Josephus accidisse memorat: *Coram* apud contribules suos sermone ad modestiam composito diligenter disseruisse, non esse tantum Mosi permittendum ut veterem rerum formam pro lubitu innovet; gravem hanc esse injuriam, quod homo novus ita se latenter in dominationem insinuet, ut, priusquam sentiri posset, populi libertas opprimatur. E republica esse ut istiusmodi in medium protracti puniantur: prius quam qui talia ausi è clancularius insidiatoribus aperti hostes evadant. Quam enim rationem adferre Mosen posse, cur sibi principatum, Aaroni & filiis sacerdotium dederit. Nam principatum quod attinet, si antiquissimæ tribus ratio haberetur, optimo jure Rubenitis eam dignitatem deferendam; Dathani imprimis, vel Abiramo, divitiis juxta ac ætate inter contribules suos eminentibus. Sacerdotium vero si Leviticæ tribui ex Divina voluntate debeatur, quum Amramo natis sufficere deberet quem jam sibi arrogaverant principatus, æquum esse ut Izhari filiis committeretur sacerdotium. Rabbi *Salomo Jarchi* hunc ipsi apud contribules attribuit sermonem: *fratres patris mei fuerunt quatuor. Quorum primogenitus erat Amram: sustulerunt duo filii ejus eminentiam, unus rex est, alter sacerdos maximus. Cui competit tollere secundas? Nonne mihi, qui sum filius Izhari, qui secundus fuit ab Amramo? At ipse (Moses)* נשיא *principem familiæ fecit filium fratris ejus minimi omnium. Ecce ego contendo adversus ipsum, & statuta ejus abrogari postulo.* Fieri potuit ut publice ista prætexuerit; sed vix à me impetro ut credam, intra istam votorum modestiam ambitiosissimum hominem stetisse. Hæc, quamvis exerte Mosi haut memorata, clancularius tamen sermonibus isto ferme modo agitata fuisse antequam res erumperet in nervum, oppido probabile est.

VIII. Et invidiosa oratione exagitans.

IX. Istud certum, quod quando jam satis animati esse videbantur, junctis copiis stiterint se coram Mose & Aarone, iisque in faciem dixerint: satis superque esse debere utrique, si tanquam unus multorum haberentur in populo Israëlitico, qui totus Deo sacer, ejusque præsentia & incolatu honestatus esset. Ita nimirum, ut fieri assolet, reipublicæ utilitatem privatis commodis prætexebant. Speciosæ orationi veri aliquid inerat; sed quod maligno artificio substruebatur calumniis. Verum erat, *totum populum esse sanctum*, quatenus eum sibi Deus à reliquis mundi nationibus segregaverat in peculium; ob quam rem, nefandis aliarum gentium Abominationibus ejuratis, purum se castumque Deo servare oportebat. Deut. VII: 6. Verum erat, *Deum in medio populi esse*, illustribus admodum gratiosæ ac gloriosæ præsentiæ suæ symbolis. Verum erat, *præsentia* ista *numinis* totum quodammodo *populum sanctificari*. Exod. XXIX: 42, 43. Sed omnia ista

IX. Hinc orta calumniosa Mosis insectatio est.

non impediunt, quo minus dixerit Deus, *Aaronem & filios ipsius sanctificabo, ut sacerdotio fungantur mihi.* ibi. com. 44. Abutebantur itaque veritate seditiosi homines, fraudulenter inde elicientes, quæ ne elicerentur sua ipse interpretatione caverat Deus. At Mosen atque Aaronem suo arbitrio cuncta ista sic disposuisse, atque ita ambitiosis artibus se extulisse super populum Dei, putidissima erat calumnia; quam mox solida oratione refutabit Moses. Sed ita comparati plerumque sunt homines, ut nullum, quantumvis detestabile, mendacium dicere reformident, dummodo aliquantulum inde emolumenti ad caussam suam redundaturum sperare liceat. Alia longe res agebatur. Principatum sibi affectabant Rubenitæ. pontificatum Core. Sacerdotii vel magistratus communionem reliqui: quamvis non tam aperte, neque distincte, sua singuli vota explicuerint. Cuncta cætera nil nisi logi erant, & phaleræ ad populum.

X. Poëtice a Josepho exaggerata.

X. Josephus addit, eo furoris devenisse seditiosos, ut Coræ sequaces vociferati sint, sacerdotium fratri Mosis ademptum in Coram esse transferendum: populumque præterea tam fuisse concitatum, ut ad lapides conclamaretur, & insana inconditæ multitudinis vociferatio ante Dei tabernaculum audiretur, tollendum tyrannum, & populum è servitute eximendum, cui sub religionis prætextu dura imperata imponerentur. Sed illud Græcanica potius solertia, ab homine importunam sæpe eloquentiam ostentante, ita exornatum esse arbitror, quàm ut accuratæ rerum veritati respondeat. Nec dum enim eo res devenerat; nec Moses Israëlitarum fidem implorat; aut ad populi panegyrim caussam dicit; sed solis se accusatoribus suis placide purgat; & ad Dei judicium, crastino die manifestandum, provocat; nemine è populo prohibente quin destinata exsequeretur.

XI. Pertinacia conjuratorum.

XI. Hæc de conjuratorum *crimine*, nunc eorumdem videamus *pervicaciam;* quæ eo se potissimum prodebat, quod nulla Mosis oratione ad saniorem se mentem revocari patiebantur. Operæ itaque erit, ut quæ *fecerit dixeritque Moses* primum expendamus; tum quo modo *se illi* erga Mosen *gesserint.*

XII. Mosis in faciem procidentis pietas.

XII. De Mose narratur com. 4. quod *in faciem suam prociderit. Id Hiscuni* interpretatur, quod *pudore suffusus in solum se prostraverit.* Sed bene observavit Drusius, aliud esse, *cecidit in faciem*, aliud, *cecidit facies ejus.* Hoc loquendi modo pudor & animi male sibi conscii consternatio, ipso se vultu prodens, innuitur Gen. IV: 6. non illo. Tum quæ caussa pudoris Mosi erat? Nulla profecto; quum serena in omnibus gauderet conscientia, nihilque nisi diserto numinis mandato fecisset. Ego sic sentio: Mosen rei indignitate commotum, pro solita sua pietate, antequam vel loqueretur vel ageret quidquam, cujus eum fortassis deinceps pœnitere posset, os Domini consuluisse, ac devotis precibus animi moderationem ac prudentiam petiisse;

tiisse; tum etiam Dei in dirimenda hac lite bonitatem atque justitiam imploraſſe. Neque dubitavit id facere, omni qui convenerat *cœtu teste*, uti hic, ita & alibi. Num. XIV: 5. XX: 6. Quamvis enim precibus ad jactationem nunquam uſus ſit, non tamen earundem ipſum puduit. Uti Deo Magiſtro ſapiebat, ita conſtare omnibus voluit, quo ſe modo in Dei diſciplinam traderet. Nimirum orando diſcebat. In rebus dubiis atque arduis non humano conſilio, ſed cœleſti oraculo eruditus: quod roganti negare non ſolebat numinis benignitas. Nec aliunde ipſum hauſiſſe arbitror hanc agendi fiduciam, quam, à precibus recens, animoſo ad conjuratos ſermone prodidit. Quis enim male ſibi ceſſurum vereätur quod Deo auctore facit?

XIII. Quum igitur ſurrexiſſet a precibus *Corem* compellavit, *totumque cœtum ejus*, monuitque nullam dirimendæ controverſiæ commodiorem eſſe rationem, quam ſi Dei arbitrio res committeretur com. 5, 6, 7. rurſusque com. 16, 17. *Craſtino*, inquit, *mane notum faciet Jehova, quis ſuus ſit*, ſpeciali titulo ipſi addictus; *quis ſanctus ſit*, ſibi ad ſacra ſegregatus; quod vos omnibus vindicaviſtis: & *quem*, non ego inſtituerim, ſed *ipſe elegerit*, *ut faciat eum ad ſe appropinquare;* quæ ſacerdotalis dignitas eſt. Jer. XXX: 12. Judicium differtur in *proximum diem*, ut juſtum ad *μετάνοιαν* & reſipiſcentiam ſpatium temporis haberent. Et *matutinis horis* pronunciandum ac maniſeſtandum eſſe dicitur; ea enim diei pars juri dicundo, ut maxime idonea, ita & deſtinata erat. Pſ. CI: 8. Jer. XXI: 12. Quod ipſi quoque Deo in ſuis judiciis obſervatum eſt. Pſalm. LXXIII: 14. Zephan. III: 5. Ut autem nihil hic de ſuo intervenire oſtenderet Moſes, in eodem ipſos ſtatu coram Deo comparere jubet, quo & compariturus eſſet Aaron. Ipſi, inquit, periculum facite, *capite vobis thuribula*, *indite ignem*, *imponite thus*, *comparete omnes ad oſtium tabernaculi*. *Idem faciet Aaron*. *Quem Deus tunc declaraverit ſibi gratum eſſe*, *is ſanctus*, is ſine controverſia ſummus ſacerdos habetor. *Sufficiat id vobis filii Levi*. Quid enim amplius ulla juris ſpecie expoſcatis? Iniquiſſimum enim fuerit, Corem obſtare, quo minus liberam Deus ſacerdotis ſui electionem habeat. Iniquiſſimum, eam conditionem recuſare quam Aaron, eodem genere natus, ſponte ſubit: nullam ſibi ex eo prærogativam poſtulans quod pridem hunc à Deo honorem adeptus in hunc uſque diem eo legitime functus eſſet.

XIII. Lis Dei unius arbitrio dirimenda.

XIV. Porro cur in experimento iſthoc faciendo *aromatum ſuffitus* pecudum oblationi præpoſitus ſit, illius rei non obſcura videtur eſſe ratio. Nam præterquam quod thymiamatum accenſio longe facilioris operæ eſſet quam ducentarum & quinquaginta pecudum mactatio, dignior etiam ſacerdotalis functionis pars erat, intra prius velum in ipſo peragenda ſanctuario: I Chron. XXIII: 13. denique in eo miniſterio ipſi Aaronidæ non ſatis ex præſcripto agentes temeritatem ſuam morte luerant. Cujus diri

XIV. Experimento in aromatum ſuffitu faciendo.

 exempli

exempli meditatio Coræ & globo ejus, res novas molientibus, horrorem incutere debuisset.

XV. Mosis ad conjuratos sermo.

XV. Mosis certe animo tam tremenda specie id in quod se conjiciebant periculum obversatum est, ut nihil inexpertum reliquerit ad curvas eorum mentes in rectitudinem flectendas. Ideoque sic eos allocutus esse fertur com. 9, 10, 11. Audi Core, audite Levitæ, cur vobis nefariæ seditionis hujus principibus esse lubuit? An non honorifico satis munere fungimini, quos ex omnibus Israëlis tribubus solos elegit Deus qui una cum sacerdotibus ad tabernaculum ipsius accederetis, totiusque populi Hebræi loco sacrorum supellectilium gereretis curam; non tam fratribus vestris sacerdotibus quam Deo ministraturi? Prava profecto ambitio vestra est, quod ista statione non contenti, sacerdotium affectetis; quod non ipse sibi arrogavit Aaron, neque ego meo arbitratu Aaroni dedi; sed utrorumque nostrum, & vestrum omnium Rex & Dominus, Jehova Scitote igitur, & iterum iterumque animo perpendite, turbulentas hasce coitiones contra ipsum fieri Jehovam: Aaron enim tanti non est, ut in eum confrematis. Conf. Exod. XVI: 7, 8. 1 Sam. VIII: 7.

XVI. Et modestia incredibilis.

XVI. Si Josepho credimus, addiderit Moses: neque fraterno affectu se motum quod aliis debebatur fratri contulisse. Nisi enim jus & fas præ oculis habuisset, nequaquam oblitum sui alteri id fuisse daturum. Quum nemo sibi se ipso sit propinquior, & sibi non minus quam illi bene velit. Et alioqui qualis fuerit prudentiæ, se violati juris reum facere, & hujus facinoris præmium alteri cedere? An innocentiæ suæ argumento isto patrocinatus sit Moses, equidem ignoro. Hoc scio, validum esse argumentum: quod, si forte in oratione sua eo non sit usus, factis certe comprobavit. Nam ex omni ista quam in populum Hebræum habuit auctoritate, nulla vel honoris vel opum accessio in familiam ipsius facta est. Filii ipsius, nulla dignitate conspicui, gregarios inter Levitas ministraverunt. Quod, uti rarum modestiæ & αὐταρκείας exemplum, æternis fastis ipse Dei Spiritus posterorum memoriæ commendat. QUANTUM AD MOSEN, VIRUM DEI, ATTINET, FILII IPSIUS NOMINANTUR IN TRIBU LEVI. 1 Chronic. XXIII: 14.

XVII. Dathanis atque Abirami seditiosa in Mosen oratio.

XVII. Quo tempore Moses ad *Coren* & globum ejus ista perorabat, absentes fuerunt *Dathan* atque *Abiram;* ob quam caussam, asseverate dici non potest. Attamen quum & eos præsto esse oporteret, accersiri Moses jussit. Verum, qua erant insigni superbia atque contumacia, venturos se negarunt: utque hæc obsequii detrectatio & justa esse videretur, & eo facilius in exemplum iret, seditiosa in Mosen dicta jecerunt: satis esse jactantes, quod, præcipiti consilio, populum Hebræum ex terra Ægypti, regione fertilissima, lactis & mellis copia redundante, in vastas Arabum solitudines horridaque deserta eduxerit; ubi, vel si malus temerarii ducis animus

abesset,

abesset, male ipsis pereundum foret: neque profecto oportuisse tantum sibi tribuere, ut regio more populares suos haberet. Hactenus non stetisse promissis, tam speciose factis, tam crebro repetitis. Imo vero perniciem populo, quasi Dei nomine, nuper comminatum esse. Num. XIV: 35. Quam fidem ab eo in posterum expectent, qui tam manifesto mendacio credulitati ipsorum illuserit? Porro, quo auctoramento obstricti obsequiosos sese homini egeno præstarent, qui neque agros, nec prædia, nec vineas habeat, quas distribuere subjectis sibi posset, neque, si haberet, distribuere fortasse vellet? Denique eo comparata omnia, ut convocatis à se regio more viris OCULOS EFFODERET; sive illud de tyrannica sævitie proprie interpreteris, qualem Philistæi patraverunt in Samsonem Jud. XVI: 21. & qualem deinceps Nahasus Ammonita in Jabesitas palam affectavit. 1 Sam. XI: 2. sive, quod malim, παροιμιωδῶς dictum existimes, de oculis principum virorum quasi fascino aliquo incantandis, ne, quæ cæteroquin obscuræ non erant, artes ipsius fraudesque deprehenderent. Quod ergo initio renunciaverant, concludendo repetunt: *non ibimus*. In Hebræo est לא נעלה *non adscendemus*, qua phrasi notari solet comparitio coram Deo, & judice, quorum locus censebatur esse editior. Deut. XXV: 7. Ruth. IV: 1. Elegantior est R. Salomonis observatio, quam ut silentio transmittatur. Notat igitur, suo ipsos ore fuisse condemnatos. Ominosa iis vox erat; *non adscendemus*; atque eheu! nimis vera; quum *descensuri essent in infernum*.

XVIII. Fieri non potuit quin Moses, quantacunque fuerit mansuetudine præditus, hæc tam superbe gesta, tam falso, tam acerbe, tam contumeliose dicta, ad animum revocaverit. Justa itaque indignatione percitus oravit Deum, ne suffitum eorum propitius acciperet, neve seditiosorum hominum pravis molitionibus ullo pacto faveret, sed suam potius displicentiam inconteſtabili signo demonstraret. Expostulatus, nulla se eos unquam vel minima injuria lacessivisse, nec *unico fraudasse asello*. XVIII. A Mose ad animum revocata.

XIX. Juvat locutioni isti aliquantulum immorari, ad illius vim eo felicius eruendam. Verba Hebræa sic habent: לא חמור אחד מהם נשאתי *ne unum quidem asinum ab iis sumsi*. Græci diversa prorsus mente interpretati sunt: ὐκ ἐπιθύμημα ὐδενὸς αὐτῶν εἴληφα. Quod mirum videri posset, nisi cogitaremus ipsos pro חמור, quod *asinum* notat, legisse חמוד, quod Græce sonat ἐπιθύμημα *rem desiderabilem*. Secutusque eos hac in parte est, ut sæpe, Samaritanus Codex: aut illi Codicem Samaritanum. Ego non dubito, quin vera sit nostrorum codicum lectio, & interpretum error profluxerit ex facili confusione affinium literarum ר & ד. Quæ & alibi non raro miscentur. Plus latet efficaciæ in oratione Mosis, quam primo intuitu videatur. Exprobraverant ipsi quod more prorsus regio, tyrannice, imperaret. At contra protestatur, nihil se eorum fecisse quæ Reges solent. Samuel, Regum consuetudinem & jus exponens, 1 Sam. VIII: 16. inter alia sic XIX. Protestante se ne unum quidem asinum ab iis sumsisse.

 fatur:

fatur: *servos vestros, ancillas, & strenuos juvenes, & asinos vestros capiet, iisque in negotiis suis utetur.* Idem Propheta, quum se regio more usum negat, sic protestatur Cap. XII: 3. *cujus asinum accepi?* Moses igitur eadem loquendi formula docere vult, non modo se ab omni injuria abstinuisse qua privatum hominem afficere privatus potest; sed cum primis se nihil minus quam principatum in eos affectasse, quum ne tantillum quidem tributum quantum asini est, honori aut commodo suo inservituri, ab iis poposcerit. Non prorsus præter rem est, quod Salomo Jarchius opinatur, asini voce alludi ad angarias itinerum, quas subditi & provinciales regibus ac principibus suis præstare tenentur. At illud frigidum est, quod Mosen ad eum nominatim asinum respexisse velit, quo, Divinæ vocationi morem gerens, uxorem liberosque in Ægyptum vexit. Nos solidiora sectemur, & quæ tanti viri gravitate digna sunt.

XX. Conjurati sistunt se ad tabernaculum cum acerris suis.

XX. Oportuisset profecto turbulentos homines tam bene composita oratione ad sedatam mentem, & pacatiora consilia flecti. Sed videte *invincibilem pertinaciam.* Orta luce cum acerris suis adfuerunt singuli, stiteruntque se ad ostium tentorii conventus, quo & Core cœtum omnem suum convocaverat, & sine dubio ingens ex toto Israële multitudo, eventus spectandi gratia, confluxerat. Adstabant Core, & qui partes ejus sequebantur, cum acerris, igne, & suffimentis. Stabat è regione Moses & Aaron. circumsistebat populus universus, maximarum rerum exspectatione suspensus.

XXI. Eas unde tot numero tam subito habuerint.

XXI. Unde ducentis & quinquaginta hominibus totidem acerræ tam subito exstiterint, anxie disquirit Tostatus, Abulensis Episcopus. Qui postquam operose probasset non esse seditiosis è tabernaculo datas, tandem concludit, subitanea & levi unius noctis opera ruditer ad eum usum fuisse confectas. Mihi credibilius videtur in omnibus tribubus Israëlis inventas fuisse, antequam sacerdotium uni tribui atque familiæ adstrictum esset, & has remansisse prisci moris reliquias, quibus eam quoque ob caussam libenter usi sint: quippe quæ veteris libertatis totidem erant argumenta.

XXII. Uti & ignem suffitus.

XXII. Ignem autem admodum probabile esse existimo, illum Coræ & sociorum ejus, non minus quam istum Aaronis, ex altari holocaustorum fuisse desumtum: ne vel ipsi, vel qui ipsis favebant, disparitatem caussari possent; atque eam fortassis ob rem suffimenta ipsorum Deo displicuisse, non quod nullum ipsis ad sacerdotium jus esset, sed quod sacro igni prohibiti, profano adolere coacti fuissent: quæ res sacerdotibus ipsis, Aaronis filiis, tam male cesserat. Habuisset sane cavillatio ista aliquam speciem: quamvis revera nil nisi speciem. Nam si ignis qui in altari holocaustorum erat solus sacer, reliquus omnis profanus esset, ex eo sacrum esse oportuit, quod cœlitus descenderit: uti descendit. Levit. IX: 24. Eo autem ignis descensu, veluti certissimo argumento, comprobavit Deus, placere

cere sibi sacerdotium Aaronis: agnoscente id tota panegyri. ib. 25. Cujus rei meditatio, quantamcumque fiduciam vultu præ se ferrent, occultum animis horrorem incutere debebat. Utcunque sit, ultimum hic habemus pervicaciæ specimen.

XXIII. Dignum enimvero in quam justi judicis *ira* excandesceret: quæ primum sese gloriosæ *majestatis* suæ *apparitione*, mox *terribili* ad Mosen & Aaronem *alloquio* patefecit. com. 19, 20, 21. Toti enim cœtui *conspicua facta est gloria Jehovæ*, in nube, credo, uti antehac frequenter: Exod. XVI: 10. Num. XII: 5. & XIV: 10. ne dubitarent, quin, quicquid agebatur, præsente numine ageretur. Ex magnifica gloria ista feralis prodiit sententia; non conjuratis solum, sed & universo cœtui, qui seditionem vel palam vel silentio approbaverat, vel saltem non, uti par erat, improbaverat ac cohibuerat, præsentem intentans mortem. Quo exitio ne & Moses cum fratre involveretur, seorsim secedere jubentur. XXIII. Dei adversus hanc protervitatem excandescentia.

XXIV. Qui eum ad modum moniti potuissent sane in sententia ista Dei, veluti justissima, acquiescere, rebelles Deo reliquere, summi judicis arbitrio puniendos, suæ interim consulere securitati, & de tam insigni triumpho non perfunctorie sibi gratulari. At novum prorsusque eximium incredibilis propemodum pietatis exemplum ediderunt: pietatis, inquam, non modo adversus Deum, sed & adversus populares suos; quos considerari nolebant ut rebelles, sed ut male consultos, & pravis pravorum artibus seductos. Itaque non mox se è medio perituri cœtus, meticuloso sui amore, proripiunt: sed facie in terram proni, quanto possunt animi ardore, clementiam numinis accuratis precibus implorant. *O Deus*, inquiunt, *spirituum omnis carnis*, qui universo generi humano corpus mira arte adaptasti & spiritum rationalem in iis formasti, & substantias adeo diversas arctissimo vinculo junxisti: in cujus manu est anima omnis viventis, & spiritus omnis carnis humanæ. Job. XII: 10. an bonum tibi est ut tam eximium manuum tuarum opus destruas, tam væsanam tot millium stragem, in populo tantis à te miraculis nobilitato, ipse faciens? Fatemur equidem te vitæ omnium hominum arbitrum esse, quos, quandocunque lubet, ad contritionem redigere fas tibi est: neque inficiamur commissum esse crimen, quod & Tuæ Majestatis, & rei nostræ publicæ interest, ne plane impunitum dimittatur. Attamen justitiam benignitate tempera. Luat ille qui princeps harum turbarum auctor est: cæteris, qui non peccaverunt nisi seducti, pro infinita clementia tua parce propitius. XXIV. Mosis & Aaronis pro seductis intercessio.

XXV. Ita dum orabant Moses & Aaron non obnitebantur Deo, nec importuna misericordia cursum justitiæ conabantur sistere, nec male caussæ inconsultos se præstabant patronos, nec summo judici præscribebant æqui justique leges; atque ita sub prætextu charitatis adversus populares reverentiæ Deo debitæ terminos migrabant. Sed licebat ipsis suspicari, XXV. Pia sane, & Deo grata.

Deum

Deum non omne animi ſui conſilium minaci iſthac oratione expreſſiſſe: decorus erat enixus ille in populares ſuos affectus: laudabilis admodum iſta ignoſcendi facilitas, circa peccatum quo, & quatenus ipſi læſi erant. Denique comperta Dei, non obſtante ſimili comminatione, ad clementiam pronitas, precumque ſuarum in parili occaſione valentia & felix ſucceſſus, animum ipſis ad interceſſionem hanc addebant. Quam non ingratam Deo fuiſſe, eventus docuit. ℣. 24.

XXVI. Moſes conjuratis infandum prædicit exitium.

XXVI. Etenim exoratus iſthac interceſſione Deus, eos omnes quos aliqua ſalutis ſuæ cura teneret à tentoriis Coræ, Dathanis & Abirami ſecedere juſſit, ne eodem cum ipſis involverentur exitio. Moſes autem ipſe, ſenioribus populi comitatus, ad Dathanem & Abiramum, fruſtra ad ſe acceſitos, ivit: noviſſima increpatione & comminatione defuncturus. Ubi quum confertam populi multitudinem offenderet, ita uti à Deo juſſus erat edixit, ut propere ſe ab improborum iſtorum hominum tentoriis amoverent, neque quidquam quod illorum erat attingerent: quippe una cum ipſis internecioni devotum, certiſſimoque exitio futurum iis qui quocunque conſilio manum injicerent. Hac enim ſola lege evadi calamitatem poſſe. Quo audito receperunt ſe Iſraëlitæ à tentoriis ſeditioſorum: Dathan vero & Abiram, quaſi nihil metuentes, & vim, ſi qua forte iis à Moſe intentaretur, vi propulſaturi, egreſſi cum uxoribus, filiis & parvulis ſuis, quiſque ad oſtium tentorii ſui ſtabant. Quam confidentiam deteſtatus Moſes alta voce pronunciat, jam jam inſolito prorſus ac prodigioſo documento demonſtratum iri, nihil à ſe in toto hoc, ſuper quo litigabatur, negotio, ſuopte conſilio aut auctoritate eſſe factum, ſed omnia ex ſummi numinis voluntate, cujus ipſe miniſter duntaxat & interpres eſſet. Si, inquit, ordinaria fati lege homines iſti è vita exeunt, aut non niſi ſolitis plectuntur pœnis, ne miſerit me Jehova: ſin vero novi aliquid patrabit Dominus, terraque dehiſcens eos abſorbuerit, ut vivi ad inferos deſcendant, tunc utique cognoſcetis nullas iis hominibus cauſſas fuiſſe cur tam petulanti & infeſta ſeditione me impeterent, vos turbarent, &, quod potiſſimum eſt, Jehovam ipſum provocarent.

XXVIII. Quod creationem vocat propter novitatem & mirabilitatem.

XXVII. Hæc quum Hebræo ad Hebæros ſermone peroraret Moſes, duabus utitur locutionibus quarum ἐνέργειαν vix aliæ linguæ aſſequantur. Quod enim nos dicimus, *ſi novi aliquid patrabit Dominus*, id ipſe ſic exprimit: אם בריאה יברא יהוה. Quod proprie ſonat, *ſi creationem creabit Jehova*. Nempe ברא Hebræis non notat proprie & vi vocis aliquid producere ex nihilo; ſed rem novam, raram, magnam, ſolo voluntatis ſuæ juſſu perficere. Ea mente dicit Deus אעשה נפלאות אשר לא נבראו בכל הארץ *faciam mirabilia quæ non ſunt creata in univerſa terra*. Exod. XXXIV: 10. Itemque Jeſ. XLVIII: 7, 8. השמעתיך חדשות *audire feci te res novas*. עתה נבראו *nunc* CREATÆ *ſunt*. Rurſus Jeſ. LXV: 17. כי הנני בורא

שמיא

שמים חדשים וארץ חדשה. *Nam ecce ego* CREO *cœlos novos & terram novam.* Denique Jer. XXXI: 22. כי ברא יי חדשה בארץ. *Nam* CREABIT *Dominus rem novam in terra, mulier circumdabit virum.* Ita & heic loci denotatur opus aliquod Dei prodigiosum, solo voluntatis suæ jussu patrandum, cui nihil simile ad eum usque diem Israëlitæ viderant.

XXVIII. Negari profecto non potest quin terræ hiatus, quæ chasmata Græcis dicuntur, ex naturalibus frequenter caussis oriantur. *Latissime hoc malum patet, inevitabile, avidum, publice noxium. Non enim domos solum, & familias, aut urbes singulas haurit, sed gentes totas regionesque subvertit: & modo ruinis operit, modo in altam voraginem condit: ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat, quod non est, saltem fuisse: sed supra nobilissimas urbes, sine ullo vestigio prioris habitus, solum extenditur.* Uti eleganter Seneca *Nat. Quæs. Lib.* VI. *cap.* I. Cæterum ex Epicuro sapit, vel desipit potius, quum *cap.* III. id *animo præsumere* jubet, *nihil horum Deos facere, nec ira numinis aut cælum concuti, aut terram.* Non enim sine Deo fit, quod ex caussis naturalibus oritur. Sed in eo se rectorem esse demonstrat universi, quod ita caussarum ordinem æterno sapientissimoque consilio suo disposuerit, ut sibi iram suam adversus hominum peccata ostendere volenti in tempore præsto sint. Quod in hoc certe de quo nunc agimus negotio tam liquido lucet, ut solis radii non possint liquidius. Hic enim prædicta, & prædeterminata sunt omnia, tempus, locus, modus, personæ, ut nihil desit τῶν καθ' ἕκαστα. Atque in eo est prodigium; non quod caussarum naturalium concursus plane excludatur, sed quod admiranda Dei in earum determinatione providentia, ante exsecutionem, cum omnibus circumstantiis suis, præsignificata fuerit: caussæque istæ naturales hoc præcise tempore, loco, modo, & circa has personas, effectum suum ediderint. In qua re qui Dei manum non cernit, is nihil cernit.

XXVIII. Quamvis terræ hiatus caussas suas naturales habeant; hic tamen Dei manus liquido cernitur.

XXIX. Non minus emphatica altera phrasis est: וירדו חיים שאלה: *& descendent vivi ad inferos:* שאול *Scheol* est à radice שאל *schaal rogare, petere, quærere:* itaque ex vi originationis suæ eum locum significat, in quo qui est, is in quæstione est, hoc est κατώτερα μέρη τῆς γῆς, quo non penetrant viventium in superficie oculi: confer Job. X: 21, 22. Atque hinc est quod, ad denotandam Dei, quem nihil fugit, omniscientiam, dicatur Job. XXVI: 6. ערום שאול נגדו *nudus est infernus coram ipso.* Nisi mavis eum locum designari qui præditus est insatiabili desiderio omnia ad se trahendi, & sinu suo tenebroso involvendi. Hac enim mente parœmiastes annumerat שאול *Scheol tribus illis rebus quæ non satiantur, & quatuor illis quæ nunquam dicunt, sufficit.* Prov. XXX: 15, 16. Opponitur autem celsitati cœlorum, tanquam id quod depressissimum est. Jes. XIV: 11. & respondet ἐκ παραλλήλου fundamentis montium. Deut. XXXII: 22. *Ignis accensus est in furore meo, & ardebit usque ad* שאול *Scheol infernum, absumet terram & proventum*

XXIX. Quid sit descendere ad inferos.

ejus, inflammabit fundamenta montium. Intelligi potest tantus siccitatis ardor, ut non extimam solum terræ superficiem, sed & profundiores ejus partes, quales sunt montium radices, adurat. Frequentissime venit pro regione mortuorum, qualescunque illi fuerint, sive boni, sive mali: ideoque non tam pro receptaculo spirituum quam cadaverum haberi debet. Ita Tyrum alloquitur Deus Ezech. XXVI: 20. *Demittam te cum descendentibus ad fossam, ad populum sempiternum, & collocabo te* בארץ תחתיות *in terra inferorum.* Quæ est descriptio τοῦ Scheol. Apud Jesaiam comparatur civitati alicui à multis habitatæ, cujus incolæ cum commotione insigni & fragore obviam procedebant Babyloniæ regi ad ipsos descendenti. Jes. XIV: 9. Omnibus, sine exceptione, defunctis suus ibi locus est, Job. III: 12--18. etiam eximie piis, ut Jacobo Patriarchæ. Gen. XXXVII. 35. & Ezechiæ regi. Jes. XXXVIII: 10. Ordinaria qua ad inferos itur via, *mors* est. Cæterum id singulare futurum seditiosæ huic turbæ erat, ut ad inferos descenderent *vivi;* in regiam mortis venturi, non quia mortui, sed ut morerentur. Non absimilem pœnam juratis Dei & suis hostibus imprecatur David Ps. LV: 16. *Agat exactorem mors invadens eos, vivi descendant ad inferos.* Hanc puto veram Mosis mentem esse. Nam de æterno animarum statu in loco supplicii, nihil omnino monet: neque modestiæ nostræ est nimis sollicita curiositate in eum inquirere; multo minus involare in arcana judiciorum Dei.

XXX. Terra dehiscens seditionis auctores vivos absorbet.

XXX. Nunc pergamus in historia. Quæ dixit Moses, ita ut dixerat, extemplo facta sunt. Fissa est sub pedibus humus, hiansque terra absorpsit DATHANEM & ABIRAMUM *cum omnibus suis, uxoribus, liberis,* & cunctis etiam rebus, OMNES ETIAM HOMINES QUI ERANT CORÆ, *cum omnibus facultatibus suis:* qui vivi in terræ viscera descenderunt, & terra rursus coeunte oppressi ac suffocati sunt. Implorantes quidem, dum dehiscentem terram sentirent, magno cum clamore popularium suorum opem; sed frustra: quoniam quisque, vitæ suæ consulturus, pavide & propere aufugiebat.

XXXI. Josephi rhetoricatio.

XXXI. Simplicitatem narrationis Mosaicæ more suo sic exornat Josephus: Hæc cum lacrumis effato Mose, terra horrendum repente contremuit, & undante superficie, non secus quam pelagus vento fluctuans, universum populum terruit, immani mox sonitu eliso, qua seditiosi tendebant, solum subsidit, & eodem momento omnes ad unum absorbet. Sublatisque in hunc modum profanis, hiatus ille ita rursum clauditur, ut ne vestigium quidem illius superesset. Fuitque hic casus eo miserabilior, quod nemo, ne propinquorum quidem & cognatorum eos est miseratus, ut totus quantus erat populus, anteactorum oblitus, lætis acclamationibus Dei sententiam approbaret: ac ne luctu quidem dignos, ut pestem ac perniciem popularium, existimaret.

XXXII. Sic

XXXII. Sic periere seditionis duces. Quid *ducentis* illis & *quinquaginta* viris factum est, qui Coræ se aggregaverant, & cum acerris suis stabant ante tabernaculum? Illi igne è tabernaculo prodeunte, dum suffitum offerebant, absumti sunt. Josephus, nescio qua auctoritate, tradit, tantum repente ignem effulsisse, quantum nec homines ipsi unquam excitaverunt, nec in terris sponte ardentibus, nec in sylvis per æstum austri flatu collisis & attritis, excitatum viderunt: sed qualis divinitus accendi poterat, fulgentissimus simul ac flagrantissimus, cujus vi ducenti illi & quinquaginta ita cum Core sunt absorpti, ut ne cadaverum quidem reliquiæ comparerent. Solus Aaron superfuit illæsus, ut manifestum esset, divinitus coortum hoc incendium.

XXXII. Seditionis socii absumuntur igne.

XXXIII. Restant dubia quædam & difficultates, paucis expediendæ. Et primo quidem loco quæri potest, qui factum sit, ut, quum ON, filius Peleti, initio historiæ principibus seditionis sit annumeratus, nulla illius hominis in progressu fiat mentio. Plerique existimant, eum, sive Mosis increpatione, sive spontanea conscientiæ convictione, providoque imminentis exitii metu, ad saniora consilia rediisse, à seditiosis se segregavisse, Mosi & Aaroni se subjecisse, istaque sua resipiscentia veniam à Deo esse consecutum. Quam ego conjecturam neque probare neque refellere habeo. Verum tamen, quum nihil omnino in historia exstet quod ullam nobis occasionem suppeditet de tali resipiscentia & exitii evasione cogitandi, quamvis ipso crimine longe esset memorabilior, plurimumque valuisset ad exemplum; propior veritati illa mihi conjectura esse videtur, quod in consortio criminis cum aliis perierit: quia vero cæteris conjurationis auctoribus ignobilior erat, & fortasse sub Coræ signis latebat, hinc nullam deinceps nominatim illius factam esse mentionem. Habet aliquid historia quod ejusce rei suspicionem injiciat. Narratur enim com. 32. terræ hiatu absorptos fuisse כל אדם אשר לקורח *omnes homines qui Coræ erant:* quod quum de filiis ipsius intelligi nequeat, uti modo ostendemus, commodissime exponitur de sociis conjurationis, qui in ejus se tentorium receperant, à ducentis illis & quinquaginta, qui igne perierunt, distincti. Tota enim seditiosorum turba עדת קרח *cœtus Coræ* com. 5. vocatur. Nihil vetat cogitare in his quoque fuisse Onem Peleti filium. At liberum per me suum cuique in re certa judicium esto.

XXXIII. Quid One Peleti filio factum sit.

XXXIV. Certe observatione isthac parata quodammodo via est ad alterius difficultatis solutionem. Nimirum, qua mente dicatur, *omnes homines qui Coræ erant terra dehiscente periisse*, quum posteri ipsius longa nepotum serie fuerint superstites. Disertis verbis dicitur Num. XXVI: 11. FILII CORÆ NON SUNT MORTUI. Imo fuit Coritarum familia inter Levitas celeberrima. Ex iis *Samuel* est, ejusque nepos *Heman*. 1 Chr. VI: 33, 37. At quanti viri! Ex eadem Coritarum domo, inter viginti quatuor Musi-

XXXIV. Quomodo, superstitibus Coræ filiis, omnes qui Coræ erant perisse dicantur.

 corum

eorum ordines, ordines erant quatuordecim. 1 Chr. xxv: 4, 5. Atque hæc est ratio cur Psalmi aliquot, ab XLII. usque ad XLIX, & LXXXIV. LXXXV. LXXXVI. LXXXVII. LXXXVIII. nomen ipsorum in fronte gerant. Non quod eorum fuerint auctores, sed depositarii potius & cantores. Mitto Rabbinorum fabulas somniantium Coræ filios principio quidem paterni criminis fuisse participes, sed tandem resipuisse, ideoque, paterno tentorio ad inferos descendente, in aëre pendulos remansisse, carmen Deo cecinisse, & spiritus Divini instinctu Israëlitas monuisse, quod exemplum signi hujus factum ipsis esset de futuro, vaticinatos etiam esse de captivitatibus Israëlitarum; & quæ ejus furfuris plura sunt. Verius arbitror, filios Coræ jam tum fuisse adultos, patres familias, seorsim à patre in suis singulos tentoriis habitantes, nec paterni criminis reatu implicitos, ob eamque rem nec una cum patre periisse. Per *homines* itaque *Coræ* intelligendos esse uxorem & parvulos, si quos haberet, & famulos, & seditiosos alios qui in cujuscunque fortunæ communionem ipsi sese adjunxerant.

XXXV. An & ipse Cora hiatu terræ absorptus sit. Argumenta pro negante.

XXXV. At difficilior inquisitio de ipso *Cora* est, *an cum* CCL. *illis igne cœlesti conflagraverit, an cum Dathane & Abiramo terræ hiatu absorptus sit.* Anceps quæstio, & probabilibus utrimque rationibus agitata. Quid igne consumtum arbitrantur, his potissimum argumentis pugnant. I. Quia, uti princeps eorum qui Aaroni de sacerdotio controversiam faciebant, præsto fuit iis ducentis & quinquaginta viris, qui cum acerris suis adstiterunt ad tabernaculum Dei, & temere affectati sacerdotii pœnas igne luerunt. com. 16, 17, 18, 19. Non fuit itaque in tentorio suo, quando illud absorbebatur. II. Quia absorpti dicuntur *omnes homines qui Coræ* erant com. 31. de ipso Cora nihil. III. Quia ex seditiosorum acerris ductiles laminæ factæ sunt, obducendo altari, in memoriale filiis Israëlis, nequis alienus suffitum facere ausit, neque in eandem cum Cora, & cœtu ipsius, noxam incidat, *ut non sit sicut Cora, & cœtus ejus*, id est, ne cœlesti igne pereat quemadmodum illi perierunt. com. 40. vel secundum alios codices Cap. XVII: 5. IV. Quia Dathan & Abiram, qui in ostiis tentoriorum suorum stabant, absorpti esse dicuntur, omisso Cora. com. 27. Quod & confirmatur Ps. CVI: 17. *Aperiens se terra deglutivit Dathanem, & operuit cœtum Abirami.*

XXXVI. Argumenta pro affirmante.

XXXVI. Qui vero Coram, æque ac Dathanem & Abiramum, terra deglutitum credunt, istis nituntur rationibus. I. Quia Israëlitæ non minus a Coræ quam aliorum tentorio recedere jussi sunt, & secesserunt. com. 26, 27. eam ob caussam, quia *improbi isti homines*, quorum erant tentoria, non solita perituri erant morte, sed novo prorsus modo deglutiendi à terra, & vivi descensuri ad inferos. Quod sine ulla discriminis nota de *improbis illis* dicitur, à quorum tentoriis discedendum erat. com. 29, 30. II. Quia de improbis illis indiscriminatim narratur, quod terra aperuerit os suum & absorpserit

absorpserit אותם EOS, & domos ipsorum, omnesque homines qui Coræ erant. *Ita descenderunt ILLI cum omnibus quæ ipsorum erant vivi ad inferos.* com. 32, 33. Innuitur primo absorptos esse Eos, in personis suis, tum &, qui & quæ ipsorum erant. Sub iis igitur comprehenditur etiam Core. III. Quia igne necati esse perhibentur non nisi ducenti & quinquaginta illi viri; non adnumerato Cora. com. 35. IV. Peremtorium esse videtur Num. XXVI: 9, 10. *Hi sunt Dathan & Abiram, convocati cœtus, qui moverunt rixas contra Mosen & Aaronem, per cœtum Cora, quando motæ sunt rixæ contra Jehovam. Et aperuit terra os suum* ותבלע אותם ואת קורח ET ABSORPSIT EOS ET CORAM: *quum absumpsit igne ducentos quinquaginta viros.* Ubi diserte Core accensetur in supplicio Dathani & Abiramo, terra haustis, discernitur ab aliis igne necatis. Quod interpretari non de persona Coræ, sed de hominibus illius, videtur claris historiæ verbis vim inferre.

XXXVII. Atque hæc quidem argumenta, ne quid dissimulem, potiora mihi esse videntur. Non enim deest quod respondeatur ad altera. Ad I. Fuisse quidem Coram aliquo tempore præsentem iis qui ad sacrum tabernaculum erant; sed nihil obstare quo minus ad suum redierit; quo tempore Moses cum senioribus Israëlis ibat ad habitacula Dathanis & Abirami. Ad II. Coram ipsum comprehendi pronomine אותם EORUM. quod nos secundo nostro argumento ursimus. Ad III. Quoniam & Core, & qui ipsius hortatu suffitum facere ausi sunt, utrique morte θεηλάτῳ perierunt, (licet ea diversi generis fuerit) cujus rei monumentum erat in æneo tegmine altaris, ex acerris confecto; tam dira exempla idonea sunt ad alios à simili protervia absterrendos. Neque ideo necesse est, ut eadem lethi specie Core cum cœtu suo perierit. Ad IV. Quod Ps. CVI: 17. non negatur, sed siletur, suppleri potest & debet ex Num. XXVI: 10.

XXXVII. Ἐπίκρισις.

XXXVIII. Dignum est observatu, pleraque miracula, ad Veteris œconomiæ confirmationem facta, diri aliquid continuisse, & cum multorum hominum, rebellium quidem, sed tamen hominum, tam ex Israëlitica gente quam ex aliis quibuscunque, pernicie fuisse conjuncta: talium enim exemplorum plena est omnis vetus historia. Ad Evangelii vero confirmationem nullum à Christo editum esse prodigium, quod salutiferum non fuerit, non amicis solum, sed & hostibus; nullum quod damnum aliquod, nedum pernicem, cuiquam mortalium attulerit, si unicam maledictionem exceperis, non infelicis hominis, sed infrugiferæ arboris, & talis quidem arboris, quæ, ad publicam plantata viam, fortasse in nullius privatim bonis censebatur. Cui addi fortasse potest porcorum, permittente Jesu, a dæmonibus in mare præcipitatio. Tam notabilem diversitatem diversissimus utriusque fœderis genius exigebat. Prius enim, quod legis erat, & cui respondebat spiritus servitutis ad timorem, severum esse oportuit, itaque comparatum ut animos terrore perculsos in officio retineret, & lætioris

XXXVIII. Cur pleraque Veteris Oeconomiæ miracula diri aliquid continuerint.

status sitim acueret. Posterius autem, quod totum quantum gratiæ est, & cui respondet generosior υἱοθεσίας spiritus, lætis decebat sanciri prodigiis, quæ incredibili Divinæ bonitatis demonstratione animos allicerent, credentesque ad Deo alacriter serviendum animarent χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ καὶ δεδοξασμένῃ. Interim sic dispensavit numinis providentia, ut, initio prædicationis Evangelii per Apostolos, inter innumera benefica miracula aliqua quidem, sed rara admodum, extarent severitatis monumenta; qualis exercita est in Ananiam cum conjuge, Elymam Magum, & si quos alios: ne præfractioris indolis homines perpetuo Divinæ benignitatis tenore abuterentur ad ἀσέλγειαν, & pervicaciam; sed omnes doceremur salutem nostram conficere cum timore & tremore. Quo & Coræ, cum exitiosa sibi ἀντιλογίᾳ, exemplum refertur ab Apostolo Juda, Epistolæ suæ commate undecimo.

DISSERTATIO II.

Ad Matth. II: 23.

De JESU Nazareno.

BREVIARIUM.

I. *Jesus habitavit Nazarethi, ut satisfieret oraculis prædicentibus Messiam vocandum esse Nazaræum.* II. *Quale oraculum neque ex traditione, neque ex deperdito libro arcessendum est.* III. *Ubi autem inveniatur, discrepant interpretes.* IV. *Sententia Cocceji.* V. *Heinsii.* VI. *Claudii.* VII. *Lightfooti.* VIII. *Nazareni elogium quandoque ad decus pertinet.* IX. *Et deduci potest a* נצר *surculus.* X. *Vel* נזיר *Naziræus.* XI. *Heinsii singularis observatio.* XII. *Objecta communiori interpretationi difficultas,* XIII. *Commode sublata creditur.* XIV. *Jacobi Altingii ingeniosa interpretatio, ex Ezech.* XVII: 22. XV. *&* 23. XVI. *Probabile videtur, Matthæum ad ea oracula attendere ubi Servator vocatur Notzer.* XVII. *Quod, ex parte saltem, Socino olim observatum.* XVIII. *Sectatores Jesu dicti Notzerim Jer.* XXXI: 6.

I. Jesu habitavit Nazarethi, ut satisfieret oraculis prædicentibus Messiam vocandum esse Nazaræum.

IN sacra vitæ Domini nostri Jesu Christi historia narrat S. Matthæus, Josephum cum Beata Virgine & puero Jesu, ex Ægypto reducem, divinitus in somnio monitum, secessisse in partes Galilææ, & habitavisse in urbe quæ dicitur Nazareth; ubi nimirum a furore Archelai, in Judæa dominantis, tutiores habiturus esset latebras: cæterum & altius eam rem spectavisse, & sub simplicis historiæ cortice propheticum latuisse arcanum; quod Evangelista, non tam pandit, quam innuit, sedulique lectoris industriæ indagandum relinquit, in hunc modum scribens: UT IMPLERETUR, QUOD DICTUM EST PER PROPHETAS, FORE UT NAZARÆUS VOCARETUR. Cap. II: 23. Ænigmati isti explanando destinata hæc

hæc Exercitatio est. Qua doctissimorum hominum sententias candide primum exhibebo, judicium super iis meum modeste expromam, denique eam interpretationem subjungam, quæ præ cæteris omnibus animo meo maxime allubescit.

II. Quo oculos suos intendat Matthæus, dum Veterum Prophetarum de NAZARÆI nomine, quo nuncupandus Messias foret, oraculum, vel oracula, laudat, admodum in obscuro est. Atque hinc in diversa abeunt Interpretes. Nonnulli vaticinium, quod attendit Matthæus, in iis quæ habemus Prophetarum scriptis exstare negant, affirmant alii. Qui negant, eorum alii volunt, nunquam scriptum exstitisse: alii exstitisse olim, sed nunc periisse. *Priores* urgent, non dicere Matthæum: ut impleretur id quod scriptum, sed id *quod dictum est per Prophetas*. Potuit ergo constanti traditione apud Judæos notum fuisse tale vaticinium, a non uno Propheta prædicatum, quamvis non scriptum. Cui rei geminum prorsus exemplum in Henochi prophetia exstat: quam victuris in secula chartis primus mandavit Apostolus Judas Epist. suæ com. 14, 15. Cæterum in ea, quam justo subtilius interpretantur Matthæi locutione, debile oppido caussæ suæ præsidium habent: quippe qui alibi quoque *dicta* per Prophetas ait, quæ & *scripta* sunt indubie. Mat. I: 22, 23. *Totum hoc autem factum est, ut impleretur quod ait Dominus per Prophetam dicentem, Ecce virgo illa prægnans erit.* Rursus Cap. II: 15. *Ut impleretur quod ait Dominus per Prophetam dicentem, ex Ægypto vocavi filium meum.* Et com. 17, 18. *Tunc impletum fuit quod ait Dominus per Hieremiam Prophetam, dicentem, Vox in Rhama audita est.* Tum præterea non videtur vaticinium aliquod de Messiæ habitatione in Nazareth, & cognomine Nazaræi, ex passiva traditione Judæis notum fuisse. Ne quidem scribis ac Pharisæis Joh. VII: 41, 52. Ipse Nathanaël id in argumentum contra Christum vertit. Joh. I: 47. Qui scriptum olim fuisse arbitrantur, illi volunt vel librum illum periisse, vel certe pericopam hæc verba continentem. Verum enim vero saltem Matthæi ævo exstitisse probabile est. Cur enim uteretur testimonio, quod ἄγραφον & ἄδηλον, adeoque exigui ponderis esset? Cur non increpuisset Judæos violatæ scripturæ, a se autem restitutæ? Si vero exstiterit tunc, non potuit deinceps expungi: quum ab eo tempore sacri libri in Christianorum manibus fuerint.

II. Quale oraculum neque ex traditione, neque ex deperdito libro arcessendum est.

III. Superest ergo, ut adhuc exstare credamus. At ubi invenitur? Consentiunt omnes, necesse non esse, ut quidquid ex V. T. citatur αὐτολεξεὶ ibi exstet: sufficit si κατὰ τὴν διάνοιαν. Cujus rei plurima sunt exempla. Quæ hic congerere & examinare longum foret. Iis haud absimilis hæc citatio est, quam frustra quoad litteram quæras. At ubi quoad sensum? Immensa hic est sententiarum diversitas; quæ tamen ad duo quasi summa genera revocari posse videntur: quorum altero illorum comprehenduntur interpretationes, qui totum hoc vaticinium ad Christi *humilitatem* ac *vili-*

III. Ubi autem inveniatur, discrepant interpretes.

tatem, altero illorum, qui ad Christi *dignitatem* ac *praecellentiam* referunt. Qui de humilitate exponunt, vel subsistunt in generalioribus, vel descendunt ad magis singularia.

IV. Sententia Coccejі. IV. Omnium quas vidi generalissima Celeberrimi *Cocceji* interpretatio est; qui non ultra procedendum arbitratur, quam ad vaticinia de Christi habitatione & revelatione extra Hierosolymam, & nominatim quidem in Galilaea. Sed ipsa Viri verba audiamus: *Innuit hic Matthaeus eas prophetias, in quibus praedictum est, Christum primo revelatum iri cum verbo & factis salutaribus, partim in genere extra Hierosolymam, partim in specie in Galilaea. Nam qui* Nazarenum *dicit*, Galilaeum *dicit. De qua re vide Zach.* XII: 7. *Jes.* VIII: 23. *&* IX: 1. *Prophetia quae dicit aliquid tale futurum, impletur per aliquid tale. Quod secundum prophetiam fit, id illustrat prophetiam, non aliter ac si ea quid in specie ac nominatim diceret.* Quae quamvis vera sint, dubitare tamen licet, an tam notabilis observationis, qualis haec Matthaei est, vim omnem exhauriant. Potuisset sane Messias extra Hierosolymam, potuisset in Galilaea, se omnium primo patefacere: neque tamen idcirco Nazarethae habitare, vel propterea Nazaraeus dici. Tum praeterea describitur heic loci tempus pueritiae & adolescentiae Jesu, quo latere debuit sub specie fabrili, ipsisque adeo cognatis suis esse ignotus: quod probe distinguendum à tempore, quo se manifestare debuit Israëli. Ipse denique Matthaeus noster laudatum Jesajae vaticinium tunc impletum esse dixit (quod probe hic notandum autumo) *quum Christus relicta Nazareth venit & habitavit in Capernaum, urbe maritima in confiniis Zabulon & Nephtalim*, Cap. IV: 13, 14.

V. Heinsii. V. Non absimilia Coccejo habet Vir Nobilissimus *Daniel Heinsius*, sed ea aliquanto subtilius exsequitur, ut propius ad Nazaraeum accedat. Non unum existimat tangi locum: imprimis vero eum, quem nos modo ex Cap. IV: 13, 14. produximus. *Quibus verbis*, inquit, *diserte Nazaraeus habitatione ac loco dicitur futurus*. Operae praetium est cognoscere, quomodo illud illustret. *Dixit*, inquit, *Matthaeus*. Cap. II: 23. κατῴκησεν εἰς πόλιν, *quod est* זבל. *Unde Zabulon ab habitatione dicta. Quae & hujus fuit, in hac enim tribu Nazareth, ad quam alludit.* Porro. *Sequitur*, ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει. *Quo nihil aliud quam populum desertum & ignotum denotat. Ignotum autem populum & urbem recte dixit; cujus nulla in antiquo foedere fit mentio: quod de Nazaretho omnes observarunt.* At neque hic subsistit collectionum accumulatio. Τὸ נוצר, *unde Nazareni dicti, nihil aliud quam conservator, seu servator: a quo nomen Jesu vix recedit. Quemadmodum eadem vox & vastatorem, hoc est* ἐρημοῦντα, *sive* ἐρημωτὴν *notat. Utraque enim significatio in* נצר. *A qua Christiani* נוצרים, *caussa duplici, & a Domino, & ab urbe obscurissima, per contemptum dicti. Nazareth ergo, ne quis dubitet, urbs* בנוצרים, *in desertis habitata locis ac remotis. Unde Nazareth, urbs desolata ac deserta,* ἐν σκότει καὶ ἐρημίᾳ καθημένη *recte dicitur.* Post aliqua: *Habes ergo,* ὅτι Ναζωραῖος, *ut*

ut Evangelista loquitur, κληθήσεται, *hoc est, Hebræorum more, erit, aut futurus est. Sed occulte & prophetice.* In quibus Doctissimi Viri observationibus, tam singulis quam junctis, tantum abstrusæ eruditionis, & critici acuminis est, ut captum eas meum superare fatear. Primum enim non capio, cur, quia זבל est habitare, κατώκησεν εἰς πόλιν Mat. II: 23. significet præcise *habitationem in Nazareth*. Dicitur enim Mat. IV: 13. Καὶ καταλιπὼν τὴν Ναζαρὲτ, ἐλθὼν κατώκησεν εἰς Καπερναοὺμ. Præterea non capio, quo modo ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει, *nihil aliud notet, quam populum desertum & ignotum*, id est, *cujus nulla in antiquo fœdere est mentio*: quum ita nominentur incolæ Zabulon & Naphtali, & Galilææ gentium, quorum frequentissima mentio est; & disertissima Jes. IX: 1. & ob eam caussam ita nominentur, quia versati fuerant in tenebris afflictionis & ignorantiæ. Porro non capio, quomodo urbs בנוצרים sit in *desertis habitata locis, ac remotis*. Nusquam enim Hebræa vox significationem istam habet. Neque scio, ubi Nazareth vocetur *urbs desolata ac deserta*, obque eam rem ἐν σκότει καὶ ἠρεμίᾳ καθημένη. Denique inter omnes istas precarias hypotheses, & conclusionem inde deductam, quantumvis omnes judicii nervos intendam, nullum queo deprehendere nexum. Non dissimulo itaque, iis me potissimum interpretationibus affici, quæ faciliores & magis perspicuæ sunt.

VI. In earum censum referenda est, quam Celeberrimus nostra ætate Gallicarum Ecclesiarum Theologus, *Claudius*, exhibuit, *Oper Posthum. T.* III. *p.* 363. Vult prophetiam hanc exstare κατὰ τὴν διάνοιαν, dum Jes. LIII: 3. Ps. XXII: 7. LXXIX: 20. prædicitur Messiam variis scommatibus proscissum iri. Id quod contigit, quum *Nazarenus* ludibrii caussa vocaretur, tum Judæis, tum Pilato. Joh. XIX: 19. quasi diceres homuncionem nullius momenti, inutileque terræ pondus. Æque enim male Nazaretha oriundi audiebant Judæis, Joh. I: 46. ac Cretenses Græcis, proverbiali nempe scommate κακὰ θηρία & γαστέρες ἀργαὶ vocari soliti. Confer Tit. I: 12. Ut igitur contumeliosissimum illud Nazareni nomen dari posset Servatori, Nazarethæ educari debuit. Quæ profecto simplicia sunt, nec absque veri specie dicuntur: modo constaret Nazaræi elogio, nil nisi ignominiam & contemptum designari: qua de re postea dispiciendum erit. VI. Claudii.

VII. At laudem insigniter suam meretur *Lightfootus*, qui eadem propemodum mente interpretatur; sed Veteres Prophetias annotavit, propius ad nomen Nazaræi accedentes. Observat enim, vocem Ναζωραῖος innuere separationem, & alienationem ab aliis hominibus, veluti hominis despicabilis, & societate hominum indigni. Qualis abjecta Christi conditio ab omnibus Prophetis prædicatur. Nominatim David in persona Christi dicit Ps. LXIX: 9. מוזר הייתי לאחי *alienus fui fratribus meis*. Qui tamen locus, quod pace viri doctissimi dictum sit, ad vocem Ναζωραῖος nihil atti- VII. Lightfooti.

nere videtur. Nam ab alia longe radice est מזור, ab alia נזיר. Magis apposite in eandem mentem exponit id, quod de Josepho dicitur, Genes. XLIX: 26. נזיר אחיו *a fratribus suis separatus*, spretus, venditus. Sensus ergo Matthæi esset; secessurum fuisse Josephum cum Christo Bethlehemum, civitatem Davidis, aut Hierosolymam civitatem regalem, nisi terror Archelai prohibuisset. Sed Divina Providentia, Angelo indice, in Galilæam amandatum esse, regionem contemtissimam; inque urbem Nazaretham, oppidum vilissimum; unde ex ipso hoc loco, locique nomine, ad apicem illud observes impletum, quod a Prophetis toties prædicatur, Messiam fore *Nazor*, alienum ac separatum ab hominibus, quasi honoratorum hominum societate indignum.

VIII. Nazareni elogium quandoque ad decus pertinet.

VIII. Omnes, quotquot hactenus recensuimus interpretationes eo nituntur fundamento, quod Nazaræi, vel Nazareni appellatione non nisi *vilitas*, & *contemtus* designetur. Illud autem quamvis alicubi, non tamen semper, obtinere constat. Non defuere quidem, qui contumeliose sic vocarunt Dominum: sed & alii, cum affectu & veneratione de ipso loquentes, eodem insigniverunt elogio. Vide sodes Marc. XVI: 6. ubi Angelus piis istis Christi amatricibus dicit, *Jesum quæritis, Nazarenum illum.* Sic & Petrus Act. II: 22. ubi totus est in laudibus Jesu, *vocat illum Jesum illum Nazaræum, virum a Deo Israëlitis approbatum præstantibus factis &c.* Actor. III: 6. *In nomine Jesu Nazaræi, surge & ambula.* Rursus Act. IV: 10. *Notum sit omnibus vobis, & toti populo Israëlitico, per nomen Jesu Christi Nazaræi, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit ex mortuis, per hoc istum adstare sanum in conspectu vestro.* Quod cum animo versarent Viri Eruditissimi, de talibus Prophetiis cogitare maluerunt, quibus Messiæ *dignitas, sanctitas,* & *magnificum officium*, nomine aliquo quod Nazaræo vicinum sit exprimitur.

IX. Et deduci potest a נצר surculus.

IX. Huc tendit multorum certe magnorumque interpretum observatio, urbem Nazareth dictam esse a נצר *Netzer*, quia florida erat, & abundabat virgultis. נצר autem est epithetum Messiæ Jes. XI: 1. Factum ergo est ut occasione inhabitationis in urbe נצר, ipse passim ab illa urbe denominetur, & sic, vel ab ignorantibus, & hostibus, idem esse prædicaretur, quem Jesaias sub nomine נצר *Netzer* promiserat. Quo nomine non solum *nativitas* humana Messiæ, instar *surculi* e terra prodituri, sed & *viror, flos, odor*, & fructus suavis, tum doctrinæ tum vitæ Christi, indicari creditur, & quæ id genus alia in surculo inveniuntur. Insignia sunt quæ in hanc rem disseruit *Ludovicus de Dieu* ad Act. XXIV: 5. *Porro quod* Ναζωραῖος *sive* Ναζαρηνὸς *dictus fuerit Christus, non ex errore vulgi, Nazarethæ natum eum opinantis, neque ex impiorum ludibrio, id ipsi contumeliæ esse opinantium, originem primam traxit, sed ex ipsius Dei consilio ac voluntate, ipsorumque piorum usu. Consilium Dei patet Matt.* II. ℣. *ultimo: ubi Joseph, cum puero Jesu ex Ægypto reversus, jubetur Nazarethæ habitationis sedem figere, ut, secundum monita prophetarum,*

prophetarum, Nazaræus diceretur. Et placuisse piis nominis istius usum liquet ex Joh. II: 22. III: 6. IV: 10. *Quin & ipse Christus se ita nuncupat Act.* XXII: 8. *Gloriosissimum scilicet ipsi hoc erat nomen, quo declarabatur esse* הנצר *surculus ille, per prophetas promissus, qui in urbe,* נצר *surculus dicta, educatus, atque inde ad muneris functionem productus, multos* נצרים *Nazaræos, id est e surculo oriundos protulit.* Nihil equidem magnorum Virorum, interpretationem istam tuentium, judicio detractum velim: sed necdum a me impetro, ut in ea sola hærendum esse existimem. Utut enim concedatur & Christum vocari *Netzer*, quod verissimum, & Nazareth urbem derivari a *Netzer*, quod oppido incertum est; nodus semper manet, qui Christus Ναζωραῖος dictus a Prophetis fuerit, quod affirmat Matthæus: idem enim esse נצר *Netzer* & Ναζωραῖον vix persuaderi poterit hominibus qui suæ spontis sunt, minus Evangelii hostibus: uti judiciosissime arbitratus est incomparabilis Theologus *Fridericus Spanhemius, Dub. Evang. Part.* II. *p.* 609.

X. Minus coacta videtur, quæ & plurimis recepta est, expositio, respectum esse ad *Naziræos* T. V. nominatim ad *Josephum* & *Samsonem*. Nam & Joseph dicitur נזיר אחיו. *Naziræus fratrum suorum.* Gen. XLIX: 26. & Deut. XXXIII: 18. & de Simsone Jud. XIII: 5. כי נזיר אלהים יהיה מן הבטן. Pro quo Græci, ὅτι Ναζηραῖος τῷ θεῷ ἔςαι τὸ παιδάριον ἐκ τῆς γαςρός. Uterque typum Christi Servatoris gessit, & in eo ipso gessit, quatenus utrique nomen Nazaræi hæsit. An mirum itaque ab Evangelista id antitypo applicari, quod olim de typo dictum erat? Addi potest, Matthæum non unum aliquem Prophetam, sed Prophetas laudare, qui hac de re loquuti sint. Nam de Josepho & Jacobus, & Moses sunt vaticinati, & Samsonis historia a Propheta narratur. Quoniam Luc. XXIV: 27. Prophetarum nomine comprehenduntur omnia V. Test. scripta præter libros Mosis, & ✠. 44. omnia præter eosdem libros Mosis, & Psalmos. Bene ex hac mente *Grotius: dicit igitur Matthæus, ita dispositis à Deo rebus ut Josephus & Maria ab Ægypto reversi Nazarethi sedem figerent, factum esse, ut ex ea habitatione Christo nomen illud adhæresceret, quo sanctimonia illius perfectissima, & votum pro nostra salute susceptum notaretur.* X. Vel נזיר Naziræus.

XI. Addit *Heinsius*, quod nescio an alibi invenias, Philippum, quum in benedictione Jacobi de filio Jepho legisset Gen. XLIX: 26. *Benedictiones Patris tui fortiores erunt benedictionibus progenitorum meorum, usque ad terminum collium, erunt super caput Joseph, & super verticem Nazaræi fratrum suorum.* Philippum, inquam, quum hoc legisset, duo exinde Joh. I. conclusisse, nimirum venisse *Josephi filium*, venisse *Nazarenum*. Qui & Josephi, ut alibi Davidis, dici filius potuit: quia & educatione, & secundum legem, Josephi esset filius. Cui accedebat quod Nazarenus diceretur. Jam autem נזיר, qui a Josepho exspectabatur, Ναζηραῖος Hellenistis dicitur, a quo vix abit quum Ναζωραῖος dixit. Addit Philippus, *Mosen id scripsisse.* XI. Heinsii singularis observatio.

Hæc rursus valde subtilia sunt; an æque solida, arbitrentur sacræ κρίσεως periti. Ego certe, quod Philippus Nathanaëli dixerit, *invenimus illum de quo scripsit Moses in Lege & Prophetæ, nempe Jesum filium illum Josephi, illum ex urbe Nazarethæ*, hoc apud Johannem lego. Sed Philippum illa ex Jacobi de Josepho benedictione collegisse, nullus lego.

XII. Objecta communiori interpretationi difficultas.

XII. At speciali ista observatione Auctori suo relicta, non spernendum esse videtur, quod generaliori etiam interpretationi objici solet; nimirum id quod de Veteris Testamenti Naziræis, nominatim de Josepho & Samsone legitur, nec verbis nec sensu convenire cum eo quod Matthæus hic scribit. Quandoquidem alia est vox נזיר, Ναζηραῖοι, *Nazirai*, quæ separatum significat, alia נוצרי, Ναζωραῖοι, aut *Nazareni*, quæ notat incolam urbis Nazareth, quod oppidum a Syro N. T. interprete, & a Judæis, passim scribitur per צ, quum Naziræus constanter per ז. Tum etiam, si rem spectemus, quid Naziræatus commune habet cum incolatu urbis Nazareth? Denique ubi dictum est, vel Josephum, vel Samsonem Nazaræos esse vocandos, quod tamen de Christo affirmat Matthæus?

XII. Commode sublata creditur.

XIII. Verum non desunt Viris eruditissimis, quæ ad objectas sibi difficultates respondeant. Et ad primam quidem, frequentem in ipsis sacris codicibus esse literarum ז & צ inter se permutationem: quod longa exemplorum inductione probavit *Grotius*. Deinde, quum nomen oppidi Nazareth, aut vox Nazaræi inde deducta, in Veteris Testamenti libris non exstet, non posse certo determinari an per צ, an per ז scribendum sit. Neque ex Syriaca versione validum peti argumentum pro antiqua scriptione Hebræa, quoniam Syri literas istas permutare amant. Denique recentiorum Judæorum auctoritatem tanti non esse, ut vadimonium propter eam deserendum sit. Ad alteram vero objectionem reponunt, nullum quidem ex rei natura nexum esse inter Naziræatum, & incolatum urbis Nazareth; attamen per Divinam Providentiam factum esse, ut Christus Nazarethæ habitaret, indeque Nazarenus, aut Nazaræus vocaretur, a vulgo quidem per contemptum propter oppidi vilitatem: sic tamen, ut, iis ipsis qui Christum ita appellabant ignorantibus, grande mysterium ei denominationi inesset, qua Deus innuere suis voluit, illum qui ita Nazarenus aut Nazaræus dicebatur, per Naziræos illos fuisse præfiguratum, de quibus locuti sunt Prophetæ; omniumque qui unquam Deo consecrati fuerunt facile principem. Occasio itaque nominis fuit habitatio in urbe Nazareth; sed vera caussa, ratio ac significatio nominis, ex Dei instituto est μυστηριώδης, ut sæpius jam est indicatum. Tandem observant, non nimis urgendam esse vocem κληθήσεται. Quum ea ambigua sit, & vel proprie sumi possit, vel ex Hebraica consuetudine, pro erit, & esse demonstrabitur, & agnoscetur. Atque hac ratione Viri Eruditi oppositas sibi difficultates non incommode amoliri videntur. Dubito tamen, an animo sollicite cuncta perpendenti,

nullus adhuc relictus sit scrupulus. Quidquid enim dicatur, נזיר *Naziraeus*, & נוצר vel נוצרי *Nazarenus*, tam scriptione quam significatione, diversissimae voces sunt; quae nulla probabili ratione & auctoritate pro una eademque habentur.

XIV: Praeter ea quae hactenus isti interpretationi opposita sunt, hanc quoque difficultatem movit *Jacobus Altingius*, diligentissimus & sagacissimus Sacrarum Literarum interpres; nimirum quod Naziraeis fuerit abstinendum ab omni fructu vitis: verum Christus, qui tamen sub legem factus, vino usus est. Matth. XI: 19. & XXVI: 22. Ideoque ulterius sibi inquirendum esse existimavit: & qua erat in hisce rebus ἀγχινόια in Ezech. XVII: 22. aliquid invenit, quod huc referri posse credidit. Verba Prophetae ex versione Viri Doctissimi ita habent: *Sic dicit Dominus Jehova: sumam ego de lanugine vestitis ramis tenerrimis cedri excelsae, & dabo: de summitate tenerrimorum ramorum ejus tenerum decerpam, & plantabo ego super montem excelsum & aggestum.* Per *cedrum proceram* intelligit familiam regiam Davidis; per *ramos teneros* illius cedri, filios Davidis ex Nathane, ex quibus prognatum credit esse Christum; per *tenellum ramum inde decerptum*, Messiam ipsum, nulla specie decorum; per *sumptionem de cedro*, segregationem Messiae ad munera sua, libera Dei voluntate factam; per *dationem*, singularem Dei positionem, sive nativitatem miraculosam, ex maximo Dei amore profectam; per *decerptionem ex summitate tenerorum ramorum*, remotionem ex natali solo, non sine quadam violentia; per *plantationem*, collocationem in alio loco, ubi crescat & adolescat; per *montem excelsum atque aggestum*, urbem Nazareth, cujus topographiam dedit nobis Lucas Cap. IV: 29. ubi refert, Nazarethanos, concione Jesu offensos, eum ejecisse ex urbe sua, & deduxisse ad praecipitium aliquod montis, in quo urbs eorum aedificata erat, ut inde eum dejicerent praecipitem. Habemus igitur *montem*, eumque *altum*, unde lethale praecipitium; & habemus *aggestum* per aedificia, quae super tumulum suum, in vertice ejus montis, structa erant. In hac urbe, atque adeo in monte alto, & aggesto, plantatus fuit Jesus, (qui Bethlemi decerptus fuerat) quando Josephus cum matre ejus iterum ibi domicilium fixit; atque in ea urbe constanter mansit, usque ad tricesimum Christi annum, & muneris auspicium. Hinc Jesus ob habitationem tanti temporis, dicitur *filius Josephi de Nazareth* Joh. I: 46. & Jesus *Nazarenus* Marc. I: 24. & alibi passim. Habemus igitur hic apud Ezechielem prophetiam de habitatione Christi in urbe Nazareth, cujus occasione Nazarenus dictus est: quamvis Ezechiel nomina ista non expresserit, sed rem ipsam, & circumstantias, pro ratione coeptae similitudinis, seu aenigmatis, pingere satis habuerit, dum plantationem Messiae priorem descripsit.

XIV. Jacobi Altingii ingeniosa interpretatio, ex Ezech. XVII: 22.

XV. Caeterum & altera plantatio eodem nos ducere creditur, quae deli-

XV. & 23.

neatur ℣. 23. *Plantabo eum in monte celsitudinis Israëlis.* Nimirum iterum decerpi debuit Messias ut novæ plantationi locus fieret. Decerptio prior facta est propter persecutionem Herodis, quæ tuto manere Bethlehemi non sinebat. Decerptio posterior facta est propter persecutionem Nazarethanorum, quæ in urbe ipsorum tutum manere non patiebatur. Transplantatus itaque est, & quidem *in monte celsitudinis Israëlis.* Mons Nazarethanus erat quidem mons terræ Israëlis; sed particularis tribus, cujusmodi plures in omnium sorte erant: sed non erat mons Israëlis, universi nempe, communi jure. Hoc autem dici potuit de montibus Hierosolymæ, quæ censebatur juris publici, ob sedem templi & sacrorum. Designatur itaque collis in monte Moria *celsior*, qualis erat Zion, qui a siccitate nomen obtinuit, & Golgota, κρανίου τόπος Joh. XIX: 17. pariter a siccitate & figura ita nuncupatus; vel etiam, uti cranium summa capitis pars est, quod hic collis supra cæteros exstaret sublimior. Atque in hoc monte celsitudinis Israëlis plantandus fuit Messias, ut inde regnum ejus gloriosum surgeret. Plantandus scilicet passionibus & morte. Cujus rei interpres, & testis locuples ipse Christus esse perhibetur Joh. XII: 23, 24. *Hora venit ut filius hominis glorificetur. Amen, Amen dico vobis, si granum tritici non cadat in terram, & moriatur, manet solum, sed si moriatur, multos fert fructus.* Plantatus itaque fuit per sui crucifixionem, in aliquo montium Moriæ, qui toti Israëli erat venerabilis, &, quod hic apprime notandum, adscripto tribus linguis titulo NAZARENI. Vide *Alting. Heptade* III. *Dissert.* IV. *& in parallelis ad hunc locum.* Quæ mihi visa sunt adeo ingeniose excogitata, ut excerpere non piguerit. Sed quam solida sint, æqui lectoris arbitrium esto. Cui puto interdici non posse, ut ex textu elici & demonstrari postulet, quæ, ex Evangelio petita, ad textum erudite dicuntur.

XVI. Probabile videtur, Matthæum ad ea oracula attendere ubi Servator vocatur Notzer.

XVI. Si mihi tandem libere sententiam dicendi jus atque facultas est, in ea semper fui opinione, quærendum aliquid in sacris esse, quod propius accedat ad Nazareni vocem, & de Servatore generis humani prædicetur; non quidem evidentissime (tale enim vaticinium nunquam extitisse initio jecimus) attamen tali deductione qualis ænigmatico Prophetarum sermoni consentanea est. Negari non potest quin vocabulum נוצר *Notzer*, vel idem, vel ferme idem sit cum Nazareno; quando enim Judæi nostrum designant Jesum unius solum literulæ additione vocant נוצרי *Notzeri.* Investigandum itaque restat, an non talia exstent oracula, ubi Messias *Notzer* vocetur. Exstant autem revera. Jobus fiduciam suam in Deum contestans vocat eum נוצר האדם *custodem aut Servatorem hominum.* Cap. VII: 20. quod exile esset ad communem Dei circa genus humanum providentiam sic restringere, ut excludatur id quod in servatione præcipuum est, & quod a Goële suo potissimum expectabat Jobus. David pariter Ps. XXXI: 24. אמונים נוצר יהוה *fideles conservat Jehova.* Itemque Salomon. Proverb. XXIV:

XXIV: 12. ונוצר נפשך הוא ידע *Servator animæ tuæ ipse novit.* Eadem voce Deus utitur quando sollicitam Ecclesiæ suæ curam describit Jes. XXVII: 3. אני יהוה נוצרה, *ego Jehova custodio eam.* In quibus omnibus locis Deus humani generis, & præcipue fidelium, atque Ecclesiæ suæ, custos & conservator, *Notzer* Prophetis dicitur. Conservator autem iste Dei filius, qui & idem filius hominis est, neque aliter Deus nisi in filio: illi ergo singulari ratione competit hoc elogium. Jam quid facilius, quid expeditius tali ratiocinatione: Jesus, Deo ita gubernante, multos annos Nazarethæ habitavit, ideoque vulgari nomenclatione dictus est נוצרי Nazarenus, ut ex intentione Dei mystice significaretur, Jesum eum ipsum esse quem Prophetæ, Jobus, David, Salomon, Jesaias, nomine *Notzer* indigitarunt.

XVII. Quod, ex parte falsum, Socino olim observatum.

XVII. Nunquam ego inventi hujus gloriam mihi arrogare volui: quamvis id acerbe, at præter omnem rationem, exprobratum mihi sit ab eo quem id fecisse nollem. At candide exponam quid rei sit. Fateor huic cogitationi primam mihi occasionem dedisse *Faustum Socinum.* Quum enim in Academia Ultrajectina studiorum gratia morarer, forte factum est ut admodum juvenis inciderem in librum aliquem Socini, quem dum fugitivis oculis percurrebam, inveni interpretationem istam. Ea deinceps quoad summam rei animo meo firmiter inhæsit, quamvis libri, nedum loci ubi exstat, prorsus fuerim oblitus. Nuper admodum quum *Crellii* commentarios in Matthæum consulerem, vidi *Socinum* laudatum super obscurum hunc locum, & indicatas *Lectiones* ipsius, ut dicuntur, *Sacras.* Quas dum propere inspicio, invenio malefaustum cætera interpretem, non infeliciter in hæc verba commentantem *Oper. T. 1. p. 300. circa finem. Quod si quis tamen plurimum hæreat in interpretatione ista, propter unius literulæ diversitatem, videat, an fortassis quarta interpretatio addi possit, quam ego quidem apud neminem adhuc inveni. Ea est, quod dicamus istam appellationem Christo fuisse tributam, & miro Dei consilio factum esse, ut is in oppido Nazareth educaretur, unde Nazaræus, vel potius Nazarænus vocaretur, eo quod, sine ulla controversia, ipse Servator noster fuerit. Nam verbum Nazar Hebraice, idque per Zade scriptum, non minus quam oppidum Nazareth, servare significat, & Deus ipse nomine ex hoc verbo ducto, & in libro Jobi Cap.* VII: 20. *& in Salomon. Prov.* XXIV: 12. *modo servator hominum, si recte memini, modo servator animarum appellatur. Certum autem est, non tantum Christum fuisse revera, & esse servatorem nostrum, sed etiam id prædictum per prophetas fuisse: ut inter alia loca fidem faciunt* XXIII *&* XXXIII *caput Jeremiæ, &c.* Hactenus Socinus. Nec male, quod Notzer Servatorem notare observaverit, ideoque Christum Nazaræum dici posse eo ipso quia est Servator; quod ubique docent Sacræ literæ. Sed non permittebant Socino hypotheses suæ, ut allegata loca, quibus Deus hominum vel animarum נוצר *servator* dicitur, Christo applicaret. Quod quum nos nulli dubitemus, certo persuasi nullam veram

salutem,

ſalutem, ullo tempore, extra Chriſtum eſſe; ulterius nobis ire licet & decet, ipſaque illa loca, aliaque iis ſimilia, ubi Deus נוצר appellatur, recta ad Chriſtum referre. Qua re interpretatio noſtra plurimum illuſtratur & confirmatur.

XVIII. Sectatores Jeſu dicti Notzerim Jer. xxxi: 6.

XVIII. Accedit Clariſſimi *Altingii* obſervatio, quod ſectatores Domini noſtri, & præſertim Apoſtoli ipſius נוצרים, *Notzerim* dici videantur Jer. xxxi: 6. *Nam dies venturus eſt, quo clamabunt* נוצרים *cuſtodes in monte Ephraim, ſurgite, & adſcendamus Zionem ad Jehovam Deum noſtrum.* Ad quem locum Abrabanel, Altingio citatus: צפה הנביא ברוח הקדש שיאמינו הרומיים בני אדום ומפני זה יקראו בשמו נוצרים *Speculatus eſt Propheta per Spiritum Sanctum, futurum eſſe ut Romani filii Edom crederent* (in Jeſum Nazarenum) *& propterea de nomine ejus vocarentur Notzerim, Nazareni.* Addi poteſt quod in Talmude dies Dominica vocetur יום נוצרי *dies Nazareni*, ad cujus nominis declarationem gloſſa ſic habet: *Nazarenus is eſt, qui ſequitur errorem iſtius viri, qui iis præcepit, ut ſacrum ſibi facerent primum diem hebdomadis.* Vid. *Lightfoot ad Matth.* xxviii: 1. Quando igitur Jeremias Apoſtolos, & qui horum Evangelium annunciaturi erant, vocavit *Nazarenos* de nomine Jeſu Nazareni, ſimul vaticinatus eſt Jeſum dicendum eſſe Nazarenum. Et cum hac quidem interpretatione, quam ſi non cæteris omnibus anteponendam, nulli certe poſtponendam cenſeo, Diſſertationi huic impono finem.

DISSERTATIO III.

Ad Joh. I: 51, 52.

De Cœlo aperto, & Angelis Dei adſcendentibus & deſcendentibus ſuper filium hominis.

BREVIARIUM.

I. *Philippi & Jeſu cum Nathanaële colloquium.* II. *Quatuor capita hac Diſſertatione tractanda.* III. *Quomodo ex verbis Jeſu, ſubter ficum vidi te, colligere potuerit Nathanael, eum eſſe Meſſiam.* IV. *Quænam ſint majora iſta, quorum videndorum copiam pollicetur Jeſus.* V. *Quid ſit apertio cœli.* VI. *Quid notet adſcenſus & deſcenſus Angelorum ſuper Jeſum.* VII. *Videtur alludi ad ſcalam Jacobo viſam.* VIII. *Solvitur difficultas.* IX. *Magnam affinitatem cum hoc dicto habet repræſentamen Danieli factum Cap.* vii: 13, 14. X. *Argumenti hujus evidentia & certitudo.*

I. Philippi & Jeſu cum Nathanaële colloquium.

PHilippus Bethſaïdenſis, a Jeſu Chriſto ad ſui cognitionem gratioſe & efficaciter vocatus, quod de communi ſervatore compererat, cum *Nathanaële* familiari ſuo ac neceſſario, ex fide & charitate communicavit; gloriatus, *inveniſſe ſe illum de quo Moſes ſcripſerat in lege, & de quo*

carminibus

carminibus suis vaticinati fuerant propheta: eumque esse *Jesum*, *filium illium Josephi ex urbe Nazaretha.* Quæ quidem non displicebant Nathanaëli; sed difficultatem movebat *Nazaretha* mentio; quam, homo candidus ac priscæ simplicitatis, nullus dissimulavit. *Quicquamne boni*, inquit, *ex Nazaretha prodire potest?* Instat tamen Philippus, ipsumque ad propiorem accessum & experimentum Jesu invitat; non equidem repugnantem. Interim dum alacriter ad Jesum contendunt, humanissimo sermone prævortit eum dominus, & quæsitissimo veri ac doli expertis Israëlitæ elogio ornat. Id præter spem Nathanaëli accidit, cum admiratione sciscitanti, *undenam ipsum nosset Jesus.* At majore mox admiratione correptus fuit, quum audiret Jesum dicentem: *priusquam te Philippus vocaret, quum esses subter ficum, videbam te.* Ea verba tantum valuerunt apud hominem sagacem, ac singulari quadam fidei ἀγχινόια alia ex aliis, quasi in puncto temporis, deducentem, ut mox exclamaverit, *Rabbi, tu es ille Filius Dei, tu es ille rex Israëlis.* Adeo vero ista fidei optime ratiocinantis promtitudo Jesu perplacuit, ut eam præclara hac pollicitatione exceperit: *Quia dixi tibi, vidi te sub ficu, credis: majora istis videbis: praterea dixit ei, Amen Amen dico vobis, ab hoc tempore videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis* Joh. 1: 51, 52. Quam Domini ῥῆσιν brevi commentario illustrare, suisque difficultatibus, quantum pote, liberare, animus nunc est. Missis itaque ambagibus, mox ad rem veniamus.

II. Continent hæc verba Domini promissionem novorum & firmiorum argumentorum, quibus Nathanaëlis fides de Jesu, Filio Dei & Rege Israëlis, corroboranda foret. Interim neque paucis, neque exiguis laborant difficultatibus. Nam I. inquiri meretur, utrum ex *declaratione* Jesu de *viso à se sub ficu Nathanaële*, deque ipsius *minime fucata sinceritate*, firma satis deductione intulerit Nathanaël, eum *Filium Dei & Regem Israëlis esse*: vix enim in ea Jesu declaratione quicquam esse videtur, quod hominis perspicacis & prudentis, vel certe quod prophetæ, quales multos populus Israëliticus habuit, captum superet. II. Quænam *majora* ista sint, quorum visionem Nathanaëli spondet Jesus. III. Quid notet *apertio* cœlorum, & *descensus* atque *adscensus angelorum super filio hominis*, quorum visionem Nathanaëli, cæterisque discipulis suis, pollicetur Jesus. IV. Quomodo in illis rebus firmissimum *argumentum* sit, quo probetur, *Jesum esse Filium Dei, & Regem Israëlitarum.* Nonne & in gratiam *Ezechielis*, Cap. 1. & *Petri*, Act. x. apertum est cœlum, saltem in repræsentatione prophetica? Nonne idem revera factum in gratiam *Enochi, Elia, Stephani*? quos tamen non nisi pios homines fuisse constat. Nonne & Angelos super se, id est in sui gratiam, descendentes & adscendentes *Jacobus* vidit? Gen. XXVIII: 12. Et *Elias*, quum descenderent ad ipsum arcessendum, & adscenderent, ad ipsum

II. Quatuor capita hac Dissertatione tractanda.

sistendum in cœlo? 2 Reg. II. Et *Elisæus*, 2 Reg. VI: 17. quum sui tuendi causa montem replerent?

III. Quomodo ex verbis Jesu, subter ficum vidi te, colligere potuerit Nathanaël, eum esse Messiam.

III. Ad Quæstionem *primam* respondeo, firmius totum argumentum esse, quam prima fronte videatur. Nam I. prorsus credibile est, ficum illam, sub qua invenit & compellavit Philippus Nathanaëlem, ibi fuisse, ubi a Jesu, ex isthoc quo tunc Jesus commorabatur loco, conspici naturaliter non posset. Ficus & Vites solebant antiqui prope ædes suas plantare; unde *sub ficu* esse, signum est animi tranquilli Mich. IV: 4. & *vocare aliquem sub ficu* signum amicitiæ Zach. III: 10. Probabile itaque est Nathanaëlem domi, & apud se fuisse, ubi familiariter eum quæsivit, & invenit Philippus, fortasse sub ficu meditantem, aut orantem. Merito itaque miratus est Nathanaël, se ex eo loco visum esse a Christo, unde per naturam fieri non poterat, ut videretur: Admirationem augere debuit, si, quod valde probabile, simul ei indicaverit Jesus, quid sub ficu egerit, cogitaverit, desideraverit. II. Indicavit certe, se arcana cordis ipsius scire; nosse sermonem, quem clam cum Philippo habuisset; nosse etiam originem istius sermonis, qui non prodierit ex animo se opponente veritati; sed ex mero candore, dum id diceret, quod sacris literis putaret convenientissimum. III. Quum conscientia Nathanaëlis, omnibus illis dictis Domini assentiretur, manifestissima sequela inferre debuit, Christum esse Prophetam, Conf. 2 Reg. VI: 12. Jer. XI: 18. Joh. IV: 19. IV. Porro quum eo tempore totus populus in magna exspectatione esset maximi illius Prophetæ à Mose promissi, porro intulit, hunc quem Prophetam esse cernebat, esse magnum illum Prophetam, præsertim si cum iis, quæ ipse nunc experiebatur, conferret ea quæ modo à Philippo audiverat. V. Valde confirmari poterat hæc argumentatio, ex eo quod de Messia, ut illius γνώρισμα, prædictum est Jes. XI: 3. *odoraturus est timorem Domini*, id est per semet ipsum, sine monitore, maxima cum animi sui voluptate, deprehensurus, & cogniturus reverentiam Jehovæ, si quæ in animo lateat. Conf. Joh. II: 24, 25.

IV. Quænam sint majora ista, quorum videndorum copiam pollicetur Jesus.

IV. Non admodum obscurum est, quænam *majora* ista sint quorum videndorum copiam Nathanaëli se facturum pollicetur Dominus; nimirum innumera illa, ac fidem propemodum superantia prodigia, à Christo ad cœlestis suæ missionis comprobationem patranda, quæ totidem invicta argumenta sunt, quibus probetur ipsum esse Filium Dei, à Patre in hanc terram missum, ad salutem generis humani non annunciandam solum, sed & procurandam. Porro miracula ista Nathanaëli familiariter videre licuit: præsertim si verum sit, quod vero consentaneum esse, tam veteris, quam recentioris ævi, præstantissimi interpretes valde probabilibus argumentis addixerunt, Nathanaëlem à Christo in Apostolorum ordinem fuisse cooptatum, eundemque cum *Bartholomæo* esse.

V. Exi-

V. Eximium est quod promittit Jesus: *videbitis cœlum apertum.* Pluries ea loquendi ratio in utriusque Testamenti tabulis invenitur. Nimirum Psl. LXXVIII: 23. Ezech. I: I. Matth. III: 16. Act. X: 10. Apoc. IV: I. & XIX: II. At in ea explicanda seorsim abeunt Interpretes; uti in re obscura fieri solet. Nonnulli id referunt ad *fulmina* & *fulgetra*, quibus æther hominibus dividi & aperiri videtur. Estque is dictionis modus Poëtis non insolens. Sic *Silius Italicus Lib.* I. V. Quid sit apertio cœli.

— ruptoque polo micat igneus æther.

Statius Thebaid. Lib. I.

— abrupta tremiscunt
Fulgura & attritus subita face rumpitur æther.

Ovidius Lib. Fast. II.

Hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus æther.

Alii concipiunt *Chasma* sive hiatum, qualem exponunt Physici in Meteorologicis; quando nimirum partes aëris extremæ & supremæ condensantur & lucidiores fiunt, ut adspectum terminent, intermedius autem aër rarior manens de more non videtur. Tunc se veluti hiatus quidam & apertura cœli spectantium oculis repræsentat. Alii pugnant factam esse supremi cœli *realem fissuram*, & distractionem partium ante continuarum. Alii denique existimant, notari *remotionem omnium impedimentorum* quæ visus aciem remorari poterant, ut id viderent sancti quod videre ipsos volebat Deus. Quando nihil videtur sudo cœlo, nisi illud sublime candens, clausum videtur esse cœlum, sed quando in convexo, aut supra illud, aut ex illo descendens aliquid cernitur, illius objecti repræsentatione aperiri cœlum videtur. Non est mei moris in re ancipiti temere aliquid determinare; at si conjectandi venia detur, existimem pro circumstantiarum varietate variam esse posse hujus locutionis expositionem. Quum Ezechiel apertos sibi cœlos fuisse scribit, si aliquid oculis ipsius corporeis objectum fuerit, non est absurdum cogitare de *fulgetris*, aut saltem de coruscatione fulgetris simillima, nisi quod durabilior esset. Ipse enim eo nos videtur ducere com. 4. *Vidi ergo, quum ecce ventus turbineus veniret ab Aquilone, nubem magnam & ignem sese accendentem, & splendorem ejus circumstantem &c.* In baptismo Christi Matth. III: 16. & Marc. I: 10. videtur aliquid præter naturæ ordinem contigisse, quod *Chasmati* non erat absimile: ut in suprema aëris regione sensibiliter conspectus fuerit quidam hiatus, unde columbæ species descenderit. Non enim necesse, neque adeo verisimile est, illam sive columbam, sive columbæ speciem, in supremo cœlo formatam inde descendisse. In visionibus ecstaticis, quibus non res ipsæ sensibus, sed rerum emblemata phantasiæ objiciuntur, apertura cœlorum, non in *re*, sed sanctorum hominum *imaginatione* est. Ita expono Act. X: 10. Apoc. IV: I. XIX: II. In Stephani historia puto vel factam esse realem partium continuarum disjunctionem

junctionem in supremo cœlo, vel saltem eas partes cœlorum quæ visum nostrum terminant factas esse transparentes, ut penetrare oculis suis potuerit ad ea corpora conspicienda quæ in supremis cœlis sunt. In hoc autem quem nunc tractamus loco apertio cœlorum notare videtur demonstrationem luculentam præsentiæ Dei in effecto aliquo prodigioso, quod, quum omnium subcœlestium caussarum virtutem exsuperet, originem sui cœlo afferat; præsertim si in locis mundi superioribus spectetur. Ita dicitur Deus *januas cœlorum aperuisse*, quando superioribus nubibus jubebat, ut Mannam super Israëlitas depluerent Psalm. LXXVIII: 23, 24. Hujus rei videndæ promissionem non Nathanaëli solum, sed & reliquis suis discipulis & sectatoribus facit Jesus. *Videbitis*, inquit; non videbis. Viderunt autem discipuli ab eo tempore cœlum frequenter apertum; non dico in baptismo ipsius: quippe qui præcesserat Mat. III: 16. coll. cum Joh. I: 32. sed in mirabili illa transfiguratione Christi, & apparitione Mosis atque Eliæ, & voce e cœlo & ex magnifica lucidæ nubis majestate audita. Mat. XVII: 3, 5. coll. cum 2 Pet. I: 18. Itemque in altera illa voce cœlesti, memorata Joh. XII: 27, 28. Etiam quando miracula in cœlo patrabantur Mat. XXVII: 47. Maxime quando ipse adscendebat in cœlum, fortasse cum iis quos resurrectionis suæ habuerat comites.

VI. Quid notet adscensus & descensus Angelorum super Jesum.

VI. *Adscensus & descensus Angelorum super Jesum*, notat ministerium, quod Christo frequenter præstitisse narrantur, & propter Christum fidelibus, qui unum cum ipso corpus mysticum constituunt, & in quorum gratiam totum Mediatoris officium suscepit. Apparuerunt certe mox post nativitatem ejus Luc. II. Accesserunt, ut servirent in deserto Matt. IV: 11. Adstitit ipsi unus eorum in agonia ipsius Luc. XXII: 43. Cæterum de iis hic non videtur agi, quippe quorum primum jam pridem erat factum; reliqua non visa sunt ab hominibus. At visi Angeli in ministerio Christi, militibus cum resurgeret, & piis fœminis Matt. XXVIII: 4, 5. & Apostolis, quum in cœlum adscenderet Act. II: 10. Frequenter etiam experti sunt eorum temporum fideles Angelos propter Christum, illiusque jussu ad ipsos descendisse, ut ministrarent, iterumque adscendisse ad Deum, ut rationem demandati sibi muneris redderent, novis jussis instruendi. Pro exemplo sit Act. X: 3. XII: 7. XXVII: 23. Non puto, Christum hic agere de eo, quod novissimo die futurum est: promittit enim quod visuri erant ἀπ' ἄρτι.

VII. Videtur alludi ad scalam Jacobo visam.

VII. At quomodo hinc probatur, *Jesum esse Filium Dei & Regem Israëlis?* Plerique Theologi supponunt, alludi hic ad *Scalam* Jacobo visam, Gen. XXVIII: 12, 13. Quam duplicem credunt habuisse significationem; alteram generaliorem, alteram magis specialem & mysticam. Generatim designari *Scala* ista potuit ordo rerum a Divina Providentia constitutus, imprimis circa homines, maxime circa pios & fideles. Quod illa *ab imo*

ad

ad summum pertinuerit, innuit, *sapientiam Dei pertingere a fine uno ad alterum, & disponere omnia suaviter.* Sapient. VIII: 1. *Deus in summo* repræsentatur; ut Moderator omnium. Ps. CXIII: 5, 6. *Angeli* apparent, ut Providentiæ Divinæ Ministri. Ps. CIV: 4. Et quidem *descendentes*, ut jussa Dei exsequantur, custodituri fideles, & in iis Jacobum. Ps. XXXIV: 8. XCI: 11. atque *adscendentes*, reddituri rationem Deo Job. I: 6. Zach. I: 10, 11. & nova jussa capessituri. Ezech. I: 14. Ad *pedes* ejus scalæ suaviter *dormiebat* Jacobus. Sic fidelibus omnibus secure dormire licet, nixis fiducia tutelæ Dei Ps. III: 6. At credibile est, subesse plura, eademque scala repræsentatum esse *Messiam*, Jacobo com. 14. promissum. Analogia in hisce est. I. Christus *cælum & terram unit*: tam *Persona* sua, Divinitatem in cœlis habens, humanitate in terra assumta: *Germen Jehovæ*, & *fructus terræ* Jes. IV: 1. *Dominus è cœlo*, & *secundus Adam*, 1 Cor. XV: 47. quam *Officio*; dum homines peccatores cum Deo in gratiam redigit, *viamque* in cœlum non monstrat solum, sed & in se ipso præbet Joh. XIV: 6. II. Ad summitatem hujus scalæ *Deus* est, Pater scilicet, *caput Christi*. 1 Cor. XI: 3. cui salutis nostræ debemus initium Eph. I: 3, 4. qui Christum nobis in Mediatorem ac Servatorem dedit. 1 Cor. I: 30. Ad quem Accessus nobis est per Christum Heb. VII: 25. Cui denique Christus regnum tradet, & fideles sistet gloriosos. 1 Cor. XV: 24. III. Per Christum *Angeli descendunt* ad homines. Luc. II: 9, 13. *adscendunt*, animam fidelium deferentes in cœlum. Luc. XVI: 22. Per eum amicitia reparata est inter *Angelos* & *electos peccatores*. Heb. XII: 22. & I: 14. Qui Christi sunt, *sub tutela ipsius quiescunt* placide, etiamsi omni humano præsidio destituti forent. Ps. XXVII: 1. Equidem non diffiteor, tam prolixam, tamque accuratam analogiæ concinnitatem tantum apud me valere, ut piis istis cogitationibus contradicere non ausim. Ideoque pronus in eorum inclino sententiam, qui huc respexisse Dominum arbitrantur, quando de apertione cœlorum, & angelorum, adscensione & descensione super Filium hominis verba faciebat: eum se esse innuens qui sub illo scalæ emblemate olim repræsentatus Jacobo fuit.

VIII. Intercedit observationi huic PETRUS DU BOSC, cujus eloquentiam propemodum incredibilem Gallicæ nuper Ecclesiæ stupuerunt; & quem patria Evangelii caussa extorrem, Belgica nostra non nisi cum sacro quodam horrore verba Dei detonantem audivit. Is in Epistolis p. 458. Christum Jacobi scala repræsentatum abnuit; ob hanc præcipue rationem, quia is qui supra scalam visus est, Christus fuit. Hoc autem ita conficit. Citra controversiam est, quod qui compellavit Jacobum in insomnio dum quiescebat Bethele, idem sit cum eo qui ipsum compellavit in Mesopotamia. Ita enim exstat Gen. XXXI: 13. *Ego sum Deus ille fortis, Deus Bethelis, ubi unxisti statuam, ubi vovisti mihi votum.* Hunc autem Filium Dei, Messiam promissum, Angelum fœderis fuisse, colligitur ex ejusdem capitis comm. VIII. Solvitur difficultas.

comm. 11. *Dixit autem mihi Angelus Dei per somnium.* Quod elogium Filio Dei bene convenit: Deo Patri non convenit. Fateor acute ista a Viro Doctissimo annotata esse: non tamen tanti videntur, ut ob eam rem laudata modo interpretatio deserenda sit. Nam quum Filius Dei unus cum Patre Deus sit, & Deus non sine Filio in priori isto insomnio Jacobo apparuerit, potuit Filius nunc apparens sub specie *angeli*, sibi attribuere priorem illam apparitionem sub specie *scalæ*, itemque votum illud, quod Jacob nuncupaverat Jehovæ, sine distincta consideratione personarum. Nam certe quod Jehovæ vovetur, vovetur etiam Filio Dei. Et quod Deus Pater gratiose hominibus dicit, id dicit per Filium; id Filius pariter dicitur. Unde fit, ut Majestas Dei, quæ sine dubio Patris est, aliquando speciali appropriatione adtribuatur Filio; aliquando etiam Spiritui Sancto. Jes. VI: 1, 9. col. cum Joh: XII: 41. Act. XXVIII: 25. Hac ergo explicatione admissa, vis argumenti hæc foret: ab hoc tempore cœlestibus testimoniis ac portentis, & ministerio Angelorum mihi exhibendo, & propter me fidelibus, cujus ipsi futuri eritis testes, clare apparebit, me eum esse qui in symbolo scalæ repræsentatus est Jacobo, ut cœlum terræ jungens, ac consequenter verum Mediatorem Dei & hominum.

IX. Magnam affinitatem cum hoc dicto habet repræsentamen Danieli factum Cap. VII: 13, 14.

IX. Non diffiteor interim fieri potuisse, ut & alio respexerit Dominus. Magnam affinitatem cum hoc dicto habet Dan. VII: 13, 14. ubi Messias vocatur *filius hominis*, & repræsentatur ut *Filius Dei*, veniens in nubibus cœli ad antiquum dierum; additurque, *datum ei esse dominatum ac Regnum.* Quum itaque professus esset Nathanaël, Jesum esse Filium Dei & Regem Israëlis, utrumque admittit Jesus, protestaturque se revera esse filium hominis, de quo prophetaverit Daniel, quod manifestum futurum esse prænunciat ex insigni illo ministerio sibi ab Angelis exhibendo. Nam sicut ad Majestatis divinæ gloriam facit, quod thronus Antiqui dierum myriadibus angelorum cinctus sit, ita & argumentum cœlestis regni in filio hominis est, quod iidem angeli ad ipsius nutum quaquaversum volent, adscendentes & descendentes prout jusserit.

X. Argumenti hujus evidendentia & certitudo.

X. Cæterum etiamsi hæc ad nullum Veteris Testamenti sive typum sive prophetiam referantur; manet tamen vis argumenti. Cui enim aperitur cœlum ad talia testimonia ac prodigia, & cui Angeli ita inserviunt, ut §. 5 & 6. dictum est: eum necesse est ipsissimum Dei Filium ac Regem Israëlis esse. Quia vero ea res in se verissima ac certissima erat; tum etiam tanti ad religionis negotium momenti, ut universus ea Christianismus pendeat; & præterea ab ea, in qua tunc conspiciebatur Jesus, humili conditione perquam videri poterat remota: idcirco vehementi asseveratione fidem ei adstruit Dominus, *Amen Amen dico vobis.* Adeo se suorum imbecillitati accommodat, qui ut suprema Veritas, ita & infinita Bonitas est.

DISSER-

DISSERTATIO IV.
De Glorificatione JESU in Monte.
BREVIARIUM.

I. *Dissertationis hujus argumentum, & tractandi ratio.* II. *Partitio.* III. *Glorificationis Christi Tempus.* IV. *Locus: quando & ubi orabat.* V. *Cur oraverit id quod certo sibi eventurum sciebat.* VII. *Cur in solitudine.* VII. *Cur in monte & precatus & glorificatus sit.* VIII. *Personæ præsentes, cur paucæ, cur tres, cur Petrus, Jacobus & Johannes.* IX. *Transfiguratio Christi, inter orandum facta.* X. *In facie & vestibus maxime conspicua fuit.* XI. *Et tam Christi caussa facta est.* XII. *Quam nostra.* XIII. *Cur transfigurationi isti homines potius, quam Angelos, interesse voluerit Deus.* XIV. *Cur speciatim Mosen & Eliam.* XV. *Hi an in personis suis visi sint, an in spectris.* XVI. *Unde Apostolis cogniti.* XVII. *Cur conspecti in gloria.* XVIII. *Cur cum Christo collocuti.* XIX. *Prædicentes exitum quem impleturus erat in Jerusalem.* XX. *Apostolorum somnolentia.* XXI. *Ex qua ad jucundissimum spectaculum expergiscuntur.* XXII. *Discessus Mosis & Eliæ.* XXIII. *Petri de loci istius amœnitate judicium.* XXIV. *Obsequiosa Dominicæ voluntatis exploratio.* XXV. *Promta officii ad tria tabernacula struenda oblatio.* XXVI. *Ex ignorantia & inconsiderantia profecta.* XXVII. *Uti diversæ frequenter humanæ cogitationes a Divinis sunt.* XXVIII. *Gloriosæ Dei præsentiæ symbolum nubes est.* XXIX. *Et hic quidem lucida.* XXX. *Quæ inumbravit Mosen & Eliam.* XXXI. *Et ex qua prodiit vox cœlestis.* XXXII. *Qua Jesus declaratus est Filius Dei dilectus, in quo acquiescit Pater.* XXXIII. *Unice audiendus.* XXXIV. *Summa Evangelii est, Jesum esse Filium illum Dei.* XXXV. *Veritas, plena consolationis.* XXXVI. *Et valida ad pietatem.* XXXVII. *Maxime ad id, ut ab ipsius, veluti Supremi Doctoris, ore unice pendeamus.* XXXVIII. *Quippe qui veritatem intus docet sine verborum strepitu. Thomas a Kempis laudatus.* XXXIX. *Discipulorum pavor, & lapsus in faciem.* XL. *Unde eos erigit Jesus.* XLI. *Vetans timere.* XLII. *Post Mosis & Eliæ discessum solus conspectus est Jesus.* XLIII. *Indictum Apostolis harum rerum silentium.* XLIV. *Ab ipsis, quamvis inter se de Resurrectione disceptantibus,* XLV. *Religiose servatum.*

I. Dissertationis hujus argumentum, & tractandi ratio.

AD eam, quam Discipulis suis pollicitus est Jesus, cœlorum apertionem, ipsis conspiciendam, de qua superiore Dissertatione egimus, referri quoque potest debetque mirabilis illa Jesu in sacro monte glorificatio, tribus Evangelistis, Matthæo, cap. XVII. Marco, cap. IX. Lucæ, cap. IX. unanimi consensu memorata; & Petro Apostolo tanti pretii habita, ut multo post tempore ea, velut totius prædicationis suæ validissimo argumento, usus sit, 2 Petr. I: 16.— Cujus historiam

historiam præsenti Dissertatione explanandam nobis sumsimus. Atque ita quidem explanandam, ut procul omni exoticæ doctrinæ apparatu, sine anxia verborum κρίσει, ad mysticas præcipue observationes attendamus, iisque quæ ad Domini nostri gloriam, ad electorum consolationem, ad interioris Christianismi praxin, ac spiritualis vitæ activitatem pertinent, solito prolixius inhæreamus. Extat sane de eadem hac materia MOSIS AMYRALDI Disputatio, erudita certe, facunda, & auctore suo dignissima. Qua me ita usum esse ut abusus non sim, utriusque Dissertationis collatio liquidum, ut opinor, æquo lectori faciet. Fruatur Vir Doctissimus sua quam meritus est laude. At nec mihi fraudi sit, si post hanc candoris testificationem, partem aliquam eorum, quæ cunctorum publici juris fecit, in meos privatim usus vindicavero, meisque amplificavero observationibus.

II. Partitio. II. In historia admirandæ illius glorificationis, quæ Christo in terris adhuc versanti, ad sui consolationem, suorumque in fide confirmationem, Dei benignitate, contigit, QUATUOR potissimum observanda veniunt. I. Notabiles quædam rei gestæ CIRCUMSTANTIÆ. II. Mirabilis GLORIFICATIO JESU. III. Memorabilia quædam illius ADJUNCTA. IV. Denique SEQUELÆ. Circumstantiæ potissimum tres sunt. I. TEMPORIS. II. LOCI. III. PERSONARUM, quas tantæ rei testes Christus esse voluit. Glorificatio ipsa tribus etiam partibus absolvitur. I. TRANSFIGURATIONE Christi in VULTU & AMICTU. II. Commercio & COLLOQUIO MOSIS ATQUE ELIÆ. III. Augusto TESTIMONIO DEI PATRIS. Adjuncta comitantia pariter tria sunt. I. APOSTOLORUM INFIRMITAS. II. JESU ERGA DORMIENTES BENIGNITAS. III. PETRI EX SOMNO EVIGILANTIS INTERPELLATIO. Sequelæ itidem tres. I. Spectantium & audientium PAVOR. II. Jesu CONSOLATIO. III. Indictum Apostolis præstitumque SILENTIUM. Quæ omnia ordine excutiemus. Ordine, inquam, non eo semper quem nos rerum naturam distinguentes nunc delineavimus: sed quem rerum gestarum series indicat.

III. Glorificationis Christi Tempus. III. A TEMPORE ordiamur. Illud Matthæus & Marcus sic finiunt: *post dies sex*. Lucas autem: *Factum est quum post hæc verba quasi dies octo intercessissent*. Ubi particula ὡσεὶ *quasi*, docet eum loqui παχυμερῶς, uti nos solemus dicere, circiter post octiduum. Fieri potest ut Lucas annumeraverit diem quo sermones isti habiti fuerant, eumque quo transfiguratio contigit. Matthæus autem & Marcus numeraverint solos intermedios. Sextiduo ante locutus erat Christus de suis perpessionibus & insecutura eas gloria: tanta quidem, ut *venturum se dicat cum gloria sua & Patris, sanctorumque Angelorum*. Ac tam repentina, ut quidam eorum qui præsentes erant occubituri non sint, antequam conspexerint eum in regno. Horum alterum immane Petro videbatur, alterum propemodum supra fidem erat. Cæterum vix sextiduum elabitur, quin utrique parti sermonis istius cœlitus Deus ipse mirabili

mirabili plane modo fidem faciat. Illud de passionibus, per Mosem atque Eliam confirmans. Gloriæ autem in Christum conferendæ præclarum specimen atque prælùdium, spectantibus Apostolorum quibusdam, exhibens. Adeo omnibus Christi verbis sua constat veritas. Et Deus rem quamque pulcram facit suo tempore. Nec differt in longum diem quod mox concedi potest. At si gloriæ suæ intersit ut promissa felicitas aliquantulum procrastinetur, ne tamen spes dilata nimiam animo anxietatem adferat solet præludium aliquod promissi boni concedere, quod arrha sit reliquorum.

IV. A temporis ad LOCI considerationem transeamus. Quem Lucas τὸ ὄρος *Montem illum* simpliciter vocat: alii addunt elogium ὑψηλοῦ *Excelsi*. Utrum mons hic *Thabor* sive *Itbabyrius* fuerit, quod constans veterum traditio habet, adstipulantibus *Drusio*, *Grotio*, *Amyraldo*, aliisque primi ordinis interpretibus; an alius aliquis Cæsareæ Philippi, ubi nuperi illi sermones Christi habiti sunt Math. XVI: 13. vicinior, quod contendit *Lightfootus*, non admodum in liquido est. Id vero observatu dignissimum, quod, Luca memorante eo concesserit. Jesus, *ut oraret*. Nimirum tam sancte tempora sua patiebatur Jesus, ut alteram eorum partem hominibus daret, sermone & opere suo ædificandis, alteram sibi & Deo ad meditationes & preces. Dignum profecto exemplum, quod Christiani omnes, & nos præprimis quibus Divinarum rerum demandata tractatio est, accurate æmulemur.

IV. Locus quando & ubi orabat.

V. Ex circumstantia loci & temporis colligere licet, id præcatum esse Jesum, quod obtinuit; ut in splendore novæ formæ visibile Deitatis suæ speculum Apostolis exhiberetur. Non quod gloriæ suæ partem precario aliunde petere opus esset: sed quia toto humilitatis suæ cursu ad Patrem semper retulit, quidquid Divinitus agebat: & ut nos exemplo isto doceremur eodem animo esse erga gloriam regni ipsius, & erga eos quibus illa nondum innotuit. Indubie sciebat Dominus se eo tempore & loco glorificatum iri: ejus enim rei gratia secum in montem adscendere jusserat discipulos suos. Voluit tamen id sibi oranti evenire, ut suis quoque precibus Divino inserviret consilio. Conf. Joh. XVII: 1. Enimvero pessime de precum religione arbitrantur, qui ex Divinorum consiliorum immutabilitate, & promissionum firmitudine, sacræ orationis necessitatem atque utilitatem impugnatum eunt. Præterquam enim quod animæ Deum amanti nihil dulcius esse queat ea cum cœlesti Patre suo colloquendi familiaritate, qua consiliorum suorum exsecutionem & promissionum præstationem pari fiducia ac reverentia exposcit: submissis etiam precibus id quod sibi destinatum est boni impetrare amat, ut cum prolixioribus dein gratiarum actionibus agnoscat. Tantumque abest ut certa de conferendo sibi bono aliquo persuasio orandi fervorem extinguat, ut nihil magis acuat. Vide sodes exemplum Davidis 2 Sam. VII: 27. & Dan. IX: 1, 2. Adde Ezech. XXXVI: 37.

V. Cur oraverit id quod certo sibi eventurum sciebat.

VI. Cur in solitudine.

VI. At nec illud omittendum, quod *Solitudinem* sibi Christus ad privatas preces quæsiverit. Secessit enim *κατ᾽ ἰδίαν*, *Seorsim*. Aderant quidem tres discipuli, sed & ab iis fortassis aliquantulum se sejunxit oraturus: uti Matt. XXVI: 38. Certe somno obruti præsentes non præsentes intererant. Hoc quoque nobis pro exemplo est. Præter communes preces cum Ecclesia, præter domesticas cum familia, privatæ etiam & solitariæ jucundæ oppido atque utiles sunt. Eo plerumque liberiores, quo secretiores, & a quorumcunque hominum commercio remotiores. Eleganter *Gregorius Moral. Lib.* XXIX: *Cap.* XII. *Sancti viri, qui exterioribus ministeriis deservire officii necessitate coguntur, studiose semper ad cordis secreta refugiunt, ibique cogitationis intimæ cacumen adscendunt, & legem quasi in monte percipiunt, dum, postpositis tumultibus actionum temporalium, in contemplationis suæ vertice, supernæ voluntatis sententiam perscrutantur.* Huc *Bernardi* tendebat votum, in *Libro de domo interiore Cap.* LXVI. *Utinam nullus hominum esset mecum, ut familiarius cum Deo loqui possem interius! Ipse enim & secretum quærit, & solitarium locum diligit. Fugiam ergo hominum solatia & colloquia, ut in secreto cordis mei Deum habitatorem habere possim.* Profecto extra strepitum & mundi turbam in abdito & tranquillo amat agere Deus; seque suis ultra quam dici aut credi ab inexpertis potest, familiariter manifestare ac communicare. Hac re Martyres in carcere solabatur *Tertullianus*. *Id*, inquit, *præstat carcer Christiano, quod eremus Prophetis. Ipse Dominus in secessu frequentius: ut liberius oraret, ut seculo cederet. Gloriam denique suam discipulis in solitudine monstravit. Auferamus carceris nomen, secessum vocemus. Et si corpus includitur, & si caro detinetur, omnia Spiritui patent.* Idem se quoque expertum esse in Epistola ad Eustochium grandiloquo sermone sic gloriatur *Hieronymus*: *sicubi concava vallium, aspera montium, prærupta rupium cernebam; ibi orationis meæ locus. Et ut ipse mihi testis est Dominus, post multas lachrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnunquam mihi videbar interesse agminibus Angelorum, & lætus gaudensque cantabam: post te in odorem unguentorum tuorum curremus.*

VII. Cur in monte, & precatus & glorificatus sit.

VII. Hoc quoque dignum observatu est, quod in *excelso monte* aliquoties oraverit Christus. Mat. XIV: 23. Luc. XXI: 37. & Deus in monte frequenter gloriose se suis patefecerit. Ex monte Lex data, in monte cum Mose locutus est Deus, in monte ostendit ei præstantiam terræ promissæ, indeque eum ad se adsumsit, in monte se patefecit Eliæ. O quam magnifice de montibus Moses! Deut. XXXIII: 2. *Jehova e Sinai prodiit, ortus est eis e Sehire, exulit e monte Paran, advenit cum myriadibus Sanctorum; a dextra ejus ignis edictalis ipsis fuit.* Quibus gemina sunt Habac. III: 3, 4. Non est quod cum crassis Syris opinemur Deum Israëlis montium magis quam convallium Deum esse 1 Reg. XX: 28. Alia, eaque spiritualis magis & mystica subest ratio. Mons Christo ad precandum maxime idoneus videbatur: ut exemplo suo nos admoneret, eum qui orat animum suum a

rebus

rebus humanis abstrahere debere, ut ipsa terræ cacumina sub pedibus calcans in sublimiore cœlo agat, & ad eum mente atque adfectu adsurgat ad quem preces diriguntur. Sed & ipsa transfiguratio videbatur montem poscere, eumque sublimem. Ut loci ratio responderet conditioni gloriæ in qua tunc Christus conspiciebatur. Quemadmodum montis illius summitas supra terræ planitiem plurimum eminebat, cœlo tamen multo adhuc inferior erat: ita & status ille Christi medius fuit inter carnis infirmitatem, & gloriam quam nunc habet in cœlis. Adeo sapienter Deus non tempora solum, sed & loca sibi seligit quæ rebus gerendis quam maxime idonea sint.

VIII. PERSONÆ comites fuere I. PAUCÆ numero. Agebatur enim ea res, quam statim emanare nolebat, quæque propterea intra paucorum conscientiam contineri debuit. Facile enim in vulgus efferuntur quæ multi sciunt. Non tamen nullos adesse oportuit. Nimis enim hæc ad Dei Christique gloriam faciebant, atque ad firmandam Ecclesiæ fidem, quam ut æternum ignorarentur. Ut autem Christus ipse tam magnifica de se ipso enarraret minus consentaneum erat modestiæ illi quam in statu suæ humiliationis tam constanter profitebatur. Alios ergo testes negotium hoc requirebat, testimonium oportuno tempore perhibituros: quod & fecerunt. Joh. I: 14. 2 Pet. I: 16. II. TRES. Nam in duorum testium ore omnis rei veritas consistit. Tertium Christus ἐκ περιουσίας addidit. Observa, veritatem Evangelii & gloriam qua Christus, ut unigenitus Dei filius, in cœlis nunc potitur, confirmari tribus testibus cœlestibus totidemque terrestribus. I Joh. V. Totidem hic adesse Divina Providentia voluit. De cœlo tres, Patrem, Mosen & Eliam. De terra itidem tres, qui de transfiguratione testimonium dicerent. Nam in splendore illo qui in monte refulsit fuit imago quædam illius lucis quæ per Evangelii prædicationem coruscavit in toto orbe: & in transfiguratione Christi fuit glorificationis illius veluti rudimentum. III. Nominatim PETRUS, JACOBUS, JOHANNES. Erant hi in Apostolis eximii. His nomina commutavit Dominus, ad demonstrandum operationum præstantiam quibus eos destinaverat, ad quas obeundas eos instruxit dotibus necessariis. Hos & aliàs sibi præ cæteris junxit. Marc. V: 37. Mat. XXVI: 37. Petrus zelo fervens Christum supra reliquos diligebat. Jacobus primus ex Apostolis suum atque aliorum testimonium sanguine suo obsignaturus erat. Johannes Christo eximie dilectus, futurus erat μακρόβιος, &, post alios omnes Apostolos superstes, testimonium hoc ad ætatem sequentem viva voce transmissurus. Atque has quidem de testibus transfigurationis Jesu observationes, judiciosas sane atque elegantes, non mihi, sed *Amyraldo* se debere, æquus lector ne ignoret. Mihi hanc addere liceat, præcipuam caussam cur præ aliis hos secum sumserit Christus, liberrimum ipsius atque immeritum esse favorem. Habet enim

VIII. Personæ præsentes, cur paucæ, cur tres, cur Petrus Jacobus & Johannes.

quosdam e suis velut interioris admissionis amicos, in quos eximias præ reliquis omnibus prærogativas confert. Nec est quod illud aut Domino, aut suis, invideamus. Exigit Ecclesiæ conditio, ne omnes aut donis pares aut officio æquales sint. Non omnia corporis membra possunt esse oculus. 1 Cor. XII: 14. Sufficiat nobis ad corpus pertinere, etiamsi vel pedum digiti, vel digitorum ungues essemus: modo quæ nostri sunt officii iis sedulo defungamur, & quæ nobis demandata est stationem fideliter tueamur.

IX. Transfiguratio Christi, inter orandum facta.

IX. Sed ipsam Domini METAMORPHOSIM propius lustremus. Eam INTER ORANDUM factam esse, annotavit Lucas Cap. IX: 29. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ προσεύχεσθαι αὐτόν. Adeo se ad vota Filii promtum paratumque cœlestis Pater exhibuit, ut petere atque impetrare eadem res Christo esse videretur. Quod & reliquis filiorum Divina promisit benignitas. Jes. LXV: 24. Vide Dan: IX: 21, 23. Atque adeo his ipsis usu venire solet, ut Deum, qui spiritus est, in spiritu & veritate orantes, Divinæ cujusdam gloriæ splendore circumdentur. Scilicet devota oratio animæ spirituali pro alis est; quibus in sublime evolet, ad familiarius cum Deo commercium admittenda: quem ubi e propinquo, intentis meditationibus, ac *retecta facie contemplatur*, eadem opera *ad eandem imaginem transformatur, ex gloria in gloriam, sicut a Domino Spiritu*. 2 Cor. III: 18. Facula ista soli propius admota novo lumine accenditur, suisque evoluta tenebris, & ipsa evadit lux in Domino.

X. In facie & vestibus maxime conspicua fuit.

X. METAMORPHOSIS Christi, mutatio non essentiæ corporis, sed exterioris formæ fuit, quæ, positura particularum lineamentis & coloribus constans, visu percipitur. Hæc conspecta fuit non solum in FACIE CHRISTI, sed & in VESTIBUS. *Facies* ea pars hominis est quæ præ cæteris omnibus conspicitur: in qua formæ ac pulcritudinis potissima sedes, & sapientiæ potentiæque Divinæ in tam admirabili omnium diversitate eximium theatrum est. Eam nunc in Christo Deus non egregio solum nitore, sed & præfulgenti splendore decoravit. Utrum id factum sit, ita ut cutem ipsam faciei fulgentem ad tempus fecerit, an vero corpuscula quædam lucida cæcis ejus meatibus inseruerit, nimis otiose & Philosophice inquiritur. Sufficiat nobis simpliciter scire, fulgorem lucidissimi solis non potuisse superare hunc faciei Christi splendorem, qui ad ipsas quoque se diffudit *vestes*. Pro conditione hominis solet ipsius amictus esse. Gen. XLI: 42. Jes. XXII: 21. Dan. V: 29. Esth. VI: 9. In communi vita vestitus Jesu, ut adsumtæ formæ servi & austeritati muneris Prophetici conveniebat, simplex quidem, non tamen sordidus, sed modestus ac gravis erat. Nunc nive ipsa candidior, & luci simillimus est: quem candorem nulla fullonis ars æquet. De Deo dicitur Ps. CIV: 2. *Operit se luce tanquam amictu*. Qui supra hominum sortem se extollere voluerunt mortales, hoc adfectarunt, ut fulgore vestium suarum astrorum ipsorum splendorem imitarentur. Talis erat

vestis

vestis βασιλική, argentea Herodis Agrippæ, mirabili opere contexta, quæ radiis exorientis solis percussa, & Divinum quendam fulgorem emittens, venerationem cum horrore incutiebat spectantibus. *Joseph. Antiq.* XIX: C. VII. *Drusius* ex *Juchasin* addit: ita fuisse comparatam ut ex ea prodire viderentur sol, luna & stellæ. Angelos certe, quum cœlestem terris gloriam demonstraturi erant, *fulgida* ejusmodi veste circumposuit Deus. Mat. XXVIII: 3. Eodem etiam eximio modo amictum esse voluit Angelum fœderis in hoc gloriæ suæ præludio. Vere præludio. Hæc enim transformatio non prorsus exhibuit Christum visendum discipulis, qualis nunc est in cœlo; sed gustum immensæ gloriæ præbuit, qualis œconomiam istam decebat, & qualem capere ipsi poterant. Resplenduit tunc facies veluti sol: nunc vero solis fulgorem longe superat. Act. XXVI: 13. Insolitus in vestitu candor enituit: nunc extra vestitum Divina in toto ejus corpore majestas refulget. Phil. III: 21. Non fuit tunc solida exhibitio cœlestis gloriæ ipsius: sed symbolis duntaxat, quæ carnis modulo congruerent, ex parte gustandum præbuit quod in totum percipi nondum poterat.

XI. Quorsum ea omnia? Et CHRISTI caussa & NOSTRI. *Christi* interest ut hæc ipsi evenirent: quippe quem Pater hac quadam cœlestis gloriæ anticipatione ad instans certamen animare constituit. Dederat quidem ipsi promissiones eximias Jes. LIII: 10, 11, 12. Eas Christus firma fide amplexus; Jes. XLIX: 4. & de iis, ut certissimis, nuper in Domino gloriatus fuerat. Mat. XVI: vs. ult. Neque metus erat ne ullo unquam culpabili deliquio fidei laboraret. Homo tamen erat; peccati quidem omnis purus, sed homo tamen. Ita vero comparatum est humanum ingenium, etiam sapiens & sanctum, ut validius moveatur, quando fidei & ratiocinationi sensus quidam bonorum & gustus accedit. Ideoque nec hoc Filio deesse Pater voluit. Quum difficultates *Prophetici* muneris suspiciendæ essent, apertura cœli, descensu Spiritus & compellatione Patris gratissima, mirabiliter animatus est. Math. III: 16. Nunc quum instaret tempus quo se ut *Pontifex* Patri oblaturus erat, æquum fuit ut splendidis vestibus exornatus, ex earum ac faciei suæ fulgore experiundo disceret, quæ post sui oblationem gloria ipsum maneret in cœlis. Instabat hora, qua controversia ipsi de *regno* contumeliosissimum in modum movenda, & regni professio in crimen morte piandum imputanda, regiaque ipsius dignitas infami ludibrio exponenda erat. Sed insolita hac plus quam Regiæ splendoris exhibitione, clarius demonstravit Rex cœlorum quanto ipsum in honore haberet, quam Assuerus olim Mardochæo, in omni isto invidiosæ pompæ apparatu, quem ei per Hamanem præstari jussit. Ad *Veteris Oeconomiæ* magnificentiam non parum faciebat splendor ille, quem in cute faciei suæ ostentabat *Moses*, recens a sacro monte & Dei contubernio veniens, cui ferundo impares se fassi sunt Israëlitæ. Exod. XXXIV: 29. At multo majorem esse *Nova Oeconomiæ*

XI. Et tam Christi caussa facta est.

gloriam oportuit; adeo ut quod *olim glorificatum fuit, ne quidem gloriosum esse videri potuerit, supereminentis hujus gloriæ respectu.* Quæ Divine exsecutus est Paulus. 2 Cor. III: 7. & seq.

XII. Quam nostra.

XII. Sed & *nostra* hic potissimum caussa agitur. Idque multifariam. A. Et primo quidem invictum hic nobis suppeditatur argumentum, quo confirmemur in fide fundamentalis istius veritatis, Jesum nostrum vere Christum Domini, Deum ac Salvatorem Israëlis esse. Ita enim se Sospitator Israëlis sub simili emblemate olim conspiciendum dedit Patribus Exod. XXIV: 10. Jes. VI: 1. Coll. cum Joh. XII: 41. Ezech. I: 26, 27. Dan. X: 5. coll. cum Apoc. I: 14. In quam similitudinem quum Jesus nunc a Deo transformetur, quid restat, nisi ut dicamus: *Ecce Deus noster hic est, exspectabimus eum & salvabit nos: hic est Jehova quem exspectavimus; exsultabimus & lætabimur de salute ejus.* Jes. XXV: 9. Hunc historiæ hujus usum Petrus nobis suggerit. 2 Pet. I: 16. B. Dein huc quoque glorificatio ista tendit, ne offendamur vilissima Christi exinanitione; quam tantis interdum Divinæ Majestatis speciminibus intermicantem cernimus. Jes. LII: 13, 14, 15. C. Porro exemplo Christi discimus, hanc esse Dei methodum, ut quos magnis pro Ecclesia & caussa sua certaminibus exercere vult, eos non præstantissimis solum promissis, sed & cœlestis gloriæ prælibatione quadam roboret. Ad magna destinaverat Paulum: sed & in Paradisum eum rapuit, & audire fecit verba ineffabilia quæ homini proloqui nefas est. 2 Cor. XII: 4. Solet his talibus cœlestium uvarum botrum dare, ut fortius se ad rapiendam supernam illam Hierosolymam accingant. Facit ut ea aliquando e cœlo descendat in animam. Ap. XXI: 2. Vel aliàs animam Spiritu in sublime raptam per aureas illius plateas deducit, monstratque gloriam sanctæ illius civitatis, & lumen simile lapidi Jaspidi, splendenti instar crystalli, & portas & fundamenta ornata omni lapide pretioso, & si quid in ea humanæ imaginationis magnificentiam immane quantum superat, ut his animo præceptis quidquid in hoc seculo fulgore splendet, & vel allicit vel terret, animose despiciat. D. In hac etiam Christi glorificatione, non exemplar modo sed & arrhabonem habemus illius quæ nobis aliquando continget. Ad id enim destinavit nos Deus ut conformes simus Christo, Rom. VIII: 29. Non anima solum, sed & corpore. Phil. III: 21. Multa de spirituali illo corpore Paulus. 1 Cor. XV: 40. Sed quis unquam illius instar vidit? Hic videmus: nam ad eundem fere modum splendebunt aliquando justi. Mat. XIII: 43. Dan. XII: 3. E. At nemo præsumat se consummatæ glorificationis compotem fore in cœlis, qui non eam inchoatam habuerit in terris. Deus in regno gratiæ, non minus quam naturæ, certis quibusdam gradibus omnia promovet. Initium glorificationis est Sanctitas. Ps. XCIII: ℣. ult. Qui fulgere se aliquando in cœlis postulat, is ab hinc lux sit in Domino. Eph. V: 8. 14. Phil. II: 15. Mat.

v. 16. Qui faciei suæ gloriam pollicetur, is signaturam & nomen Dei in fronte gerat. Ap. VII: 3. XIII: 1. Qui candidas beatitudinis vestes exspectat, is suas in hoc mundi luto puras servare nitatur. Ap. III: 4.

XIII. Dum ita glorificabatur Jesus, memorabile aliquid accidit. ECCE, Attendant huc omnium oculi, aures, animi. Conspecti ipsis sunt MOSES ET ELIAS CUM IPSO COLLOQUENTES. Multa hic occurrunt diligentiori acquisitione digna. Et primo quidem, cur *homines* potius quam *Angelos* adesse hic Filio suo Deus voluerit. Frustra profecto simus, si omnium nos Divinorum consiliorum rationes in numerato habere postulemus. Quorum caussas sive ipse nobis exposuerit Deus, sive in suis reservaverit arcanis; id semper fixum nobis ratumque manere debet, ita sapienter disposita esse cuncta, ut non potuerint sapientius. Hujusce autem rei de qua nunc quæritur ista probabilis assignari potest ratio. Quotiescunque Angelos filio suo ad obsequia præsto esse jussit Pater; toties demonstravit, omnibus eum Angelorum choris sublimiorem, omniumque Dominum esse. Sed quod nunc beati cœlites ex hominibus, & pii in terris militantes, in unius Christi consortio, adfuerint sibi invicem; in ea re exstare voluit exemplum quoddam illius ἀνακεφαλαιώσεως, *qua summatim omnia recolliguntur in Christo, tum quæ in cælo sunt, tum quæ in terra. Eph.* I: 10. XIII. Cur transfigurationi isti homines potius, quam Angelos, interesse voluerit Deus.

XIV. Dein, si ex beatis hominibus aliquos nunc Christo adesse oportuit, cur nominatim fuere *Moses* & *Elias*? Et hoc sapienter. Moses Legislator, Legem; Elias Prophetarum ferventissimus, Prophetarum ordinem repræsentat. Atque ita sua præsentia confirmant, Legem & Prophetas Christo testimonium præbere. Rom. X: 4. Act. X: 43. Rom. III: 21. Et in eo finiri. Mat. XI: 13. XIV. Cur speciatim Mosen & Eliam.

XV. Sed hi ipsi num in *personis* sui visi sunt, num in *phantasmate*? Prius verisimilius est. De Elia quidem nulla est difficultas, quem eodem glorificato corpore quo in cœlum adsumtus est, postulante id œconomia, in montem ad Christum descendere potuisse facile concipitur. Sed de Mose quid statuendum, quem mortuum fuisse constat? Unde ipsi corpus, & quale? Deo quidem immortali difficile non fuit animæ Mosis glorificatæ corpus aliquod adaptare ad hoc ministerium; uti Angelis persæpe factum est. Sed num *proprium* id Mosis, num *adscititium* ad tempus fuit? Deum quidem corpus Mosis sibi privatim adseruisse, & sepelivisse, patet ex Deut. XXXIV: 5, 6. Judas vs. 9. addit contentionem Michaëlis & Diaboli super eo. Qui diabolus quum Angelus mortis sit, & potiri corpore Mosis non potuerit; hinc colligunt quidam, integrum illud a corruptione adservatum fuisse: atque eo quidem fine ut huic nunc impenderetur ministerio. Utut est, quum proprium suum corpus habere potuerit Moses, eccur credemus induisse alienum? Quid absurdi, si statuamus Mosi a Deo redditum fuisse corpus suum, ut in eo illustrior typus esset resurrectionis fidelium XV. Hi an in personis suis visi sint, an in spectris.

qui

qui fuerunt sub Testamento veteri. Sed quando redditum? An paulo post mortem? an nunc demum in hunc usum? Quis dixerit? Posterius probabilius est. Quia Christus est primitiæ eorum qui obdormiverunt, & suscitati sunt ad vitam gloriosam & cœlestem, nulla iterum morte finiendam. 1 Cor. xv: 20. Quid corpore Mosis post hanc apparitionem factum? an iterum ab anima sejunctum, an cum Elia in cœlos assumtum? an in terra moratum, ut cum Christo in cœlum adscendente adscenderet? Curiosa omnia, quibus nulla solida responsione satisfieri potest. Rabbini quidam apud *Maimonidem* in præfatione sua ad Talmud, dicunt, *Moses Magister noster non est mortuus, sed Deo in cœlo ministrat*. Non negant iis verbis historiam mortis, sed adstruunt illius suscitationem. Ita sane eorum mentem interpretatur *Ludovicus Cappellus*; qui simul conjectat, haustam fuisse eam opinionem ex Evangelica hac historia.

XVI. Unde Apostolis cogniti.

XVI. At quo modo tandem ab Apostolis cogniti fuerunt, qui nullam unquam eorum speciem viderant? Vel ex revelatione Divina, vel ex signis quibusdam emblematicis, quibus personæ eorum indigitabantur, vel, quod probabilius, ex colloquio, quo vel ipsi sese, vel ipsos Christus indicabat.

XVII. Cur conspecti in gloria.

XVII. Utrumque, tam Mosen, quam Eliam, *conspectum fuisse in gloria* annotavit Lucas; id est, uti arbitror, in luce extra ordinem & super humanum modum splendida. Quod de Elia mirum non est; cujus corpus jam dudum assertum cœlo, cœlestibus quoque donari oportuit qualitatibus; qualibus ornata erunt corpora fidelibus in suscitatione mortuorum redhibenda. Hæc enim quæ nunc circumgestamus, quum animalia sint, carne & sanguine constantia, cœlesti beatitudini possidendæ idonea non sunt. At nec de Mose mirum videri debet: cui etiamnum in terris agenti, ex familiari numinis commercio in monte Sinai, insolitus splendor inhæsit. Eum vero nunc in utroque eximium esse decuit; partim quod Filio Dei, Domino suo, in hoc glorificationis suæ præludio veluti ministri honorarii, ad decus & gloriam, adessent; partim quod discipulis ipsius instar aliquod præbere debuerint eorum corporum, quibuscum Christo æternum affuturi sint in cœlis.

XVIII. Cur cum Christo collocuti.

XVIII. Eosdem cum Christo *collocutos* esse, omnes Evangelistæ tradiderunt. Intererat enim ne id ignoraremus. Nimirum colloquium Mosis & Eliæ cum Christo, indicat consensum Legis & Prophetarum cum eodem. Neque ad privatas Mosis & Eliæ personas restringi debet; sed pertinet potius ad legationem ipsis olim injunctam. Voluit enim Dominus, quanquam pridem mortui erant, & confecerant vocationis suæ curriculum, voce tamen sua iterum sancire, quod olim dum inter mortales versabantur docuerant. Ita oportebat Apostolos confirmari, non esse novam doctrinam quam Christus iis prædicabat, sed testatam in lege & Prophetis.

Imo

Imo & eos ipsos Prophetas, qui nihil scriptum reliquerunt, qualis est Elias, in eandem tamen doctrinam consensisse.

XIX. Materiam colloquii mortalium nemo divinare potuisset; nisi eam explicasset Lucas: ἔλεγον τὴν ἔξοδον αὐτοῦ ἣν ἔμελλε πληροῦν ἐν Ἱερουσαλήμ. Legimus *introitum* aliquem Jesu Christi in Jerusalem, cum pompa quadam regia, præeuntium & sequentium turba acclamante, *Hosanna filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in altissimis*. Mat. XXI. Legimus etiam *exitum* Christi ex Jerusalem, cum maxima ignominia, portantis crucem suam ad locum ubi affigendus erat cruci, comitante magna multitudine populi, & plangentium lamentantiumque mulierum. Luc. XXIII: 26, 27. Introitus prædictus fuit per Zachariam Cap. IX: 9. Exitus præfiguratus per ista animalia, quorum sanguis infertur pro peccato in Sacrarium per Pontificem, & quorum corpora exurebantur extra castra: quapropter & Jesum, ut sanctificaret populum per proprium sanguinem, extra portam pati oportuit. Heb. XIII: 11. Caussam non video cur non hunc Jesu ex Jerusalem *exitum* a Mose & Elia prædictum esse credamus. Cæterum quum ille *exitus* ad mortem fuerit, & mors ipsa *exitus* quandoque vocetur, 2 Pet. 1: 15. *& transitus ex mundo ad Patrem* Joh. XIII: 1. eam hoc quoque loco exitus nomine comprehendi vero consentaneum est. Neque emphasi sua caret; quod exitum istum Christo *complendum* esse prænuncient. Id enim respectum habere videtur, tum ad antegressas prophetias, tum ad plenissimam hujus operis consummationem. Mortem Messiæ Lex omnibus propemodum sacrificiis præfiguraverat: eandemque Prophetæ nunc obscurius, nunc disertius, prædixerant. Nihil autem prætermitti a Jesu debuit, quo minus omnibus figuris ac vaticiniis plenissimum responderet implementum. Mat. XXVI: 54. Luc. XXIV: 44. Præterea præscriptum Christo a Patre suo pensum aliquod fuit, quod nascendo inchoavit, vivendo continuavit, moriendo absolvit atque implevit. Quod ipse protestatur morti jam vicinus Joh. XVII: 4. *Ego te, Pater, glorificavi in terra: opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem*. Eam rem Christo nunc *prædicunt* Moses & Elias, non quod ipse ignoraret, aut de ea non cogitaret, minusve ad illam subeundam animi haberet: sed ut repeterent illam maximi momenti veritatem, in morte Christi totum salutis humanæ cardinem verti: neque aliter quam per mortem, aut ipsum, aut suorum quenquam, pervenire posse ad eam gloriam cujus tunc in ipso aliquod veluti tentamentum spectabatur. Omnes etiam hac admonitione docemur, in mediis consolationibus de futura cogitandum esse cruce. Fallimur enim si perpetuam nobis in hac vita tranquillitatem, & lætarum rerum constantiam polliceamur. Dum prospere agimus colligendæ vires, quibus fortiter utamur in adversis.

XIX. Prædicentes exitum quem impleturus erat in Jerusalem.

XX. Hic nunc inseruntur ea quæ præcipuæ rei concomitantia quædam

XX. Ape-

Apostolorum somnolentia.

adjuncta dici posse initio monuimus. Et primo quidem occurrit APOSTOLORUM INFIRMITAS AC SOMNOLENTIA. De qua Lucas: *Petrus vero, & qui cum ipso erant, gravati erant somno.* Tantus erat Domini Jesu in piis devotisque exercitiis fervor, tantaque constantia; ut omnis aliorum zelus præ iis languor merus esset. Patris sui cultus interdiu cibi, noctu somni quietisque loco erat. Vigor iste animi & alacritas incredibilis, & cœlestis quam ex Dei glorificatione percipiebat voluptas, id corpori ejus quandoque præstitisse videntur, quod nobis cibus & somnus præstant. Nisi malimus vim Divinitatis, quæ humanam naturam ad passiones obeundas mirifice sustentavit, eidem insolitum robur ad continua devotionis exercitia indidisse. Ut ut est, dum Jesus sine intermissione orat, aut cum summi numinis legatis colloquitur, discipuli sopore gravati dormiunt. Fortassis quia nox erat, (quod colligi posse videtur ex comm. 37. & certe solebat Jesus post diurnas conciones, noctu ad preces secedere) aut quia lassi conscendendo excelsum montem, aut quia preces Christi solitariæ prolixiores. Officii quidem ipsorum fuisset tantis rebus quæ ibi gerebantur invigilare: sed hæc est humana inbecillitas. Per quam fit ut vel ipsis piis, tum etiam quando de regno Dei agitur, somnolentia tam animi quam corporis obrepat. Mat. XXVI: 40. Cant. V: 2. Mat. XXV: 1. Provenit id partim ex corporis constitutione, quod ubi a labore ad quietem sessionemque venit, & circa objecta corporea operari desinit, facile in somnum solvitur; partim ex vitioso animi habitu, qui se non satis adversus somnum munivit, proponendo sibi immensam Dei Majestatem, actuum religiosorum præstantiam, vigilantiæ utilitatem, somnolentiæ periculum & damnum. Nemo igitur ægre ferat, si quis ipsum ex tam importuno somno expergefaciat; aut si Doctores aliquando altum inclament, atque acriore dicto pungant, ut omnis iste sopor oculis animisque excutiatur. Charitatis id est officium, quo animarum commodis consulitur; non convitium ex iracundia profectum. Neque tamen ausim dicere talem somnolentiam tantum esse peccatum, quod dormientem e statu gratiæ reapse ejiciat, indicioque sit non pertinere ad eum res spirituales cœlestesque de quibus agitur, aut eum nunquam Deum in sanctuario conspexisse, metuendumque esse ne talis ille, spirituali correptus lethargo, dormiturus sit donec excitetur ad judicium. Enimvero inconsulta mihi esse videtur ista judicandi damnandique temeritas.

XXI. Ex qua ad jucundissimum spectaculum expergiscuntur.

XXI. Haut ita nobis præit Jesus, qui discipulos dormientes comiter excitat, & admittit ad videndam suam comitumque suorum gloriam. Nam quum evigilassent, *viderunt gloriam ejus, & duos illos viros stantes cum eo.* O beata evigilatio, quum mox gloriosa Christi species, oculis, animisque objicitur! Id contigit electis omnibus, quando per Evangelii prædicationem, & Spiritus sancti arcanam vim, expergefacti ex somno peccati, excitantur,

excitantur, ad contemplandam suorum primo criminum fœditatem, tum mundi vanitatem, mox Christi ad salutem omnisufficientiam. Eph. v: 14. Id contingit sæpe piis, post nocturnum somnum mane evigilantibus, ut cum hujus solis radiis, simul justitiæ solem læti conspicentur. Ps. cxxxix: 17, 18. Id perfectissime continget justis evigilantibus ad vitam æternam. Ps. xvii. ℣. ult.

XXII. Sequitur PETRI EVIGILANTIS INTERPELLATIO. De qua tria narrantur. I. Illius *occasio*. II. *Argumentum*. III. *Spiritus Sancti* per Lucam de ea *judicium*. *Occasio* fuit *discessus Mosis & Eliæ*: Luc. ix: 33. qui partibus sibi demandatis defuncti, reditum in cœlum moliebantur, Deo factorum dictorumque suorum reddituri rationem. Adeo sublunaria omnia adventu abituque constant. Stabilis mansio in cœlis erit. Æquum fuit ut ad Christum venirent, quippe quorum universum ministerium eo destinatum erat, ut homines adducerent ad Christum; sed & æquum fuit, ut recederent, quippe quorum Oeconomia locum cedere debuit meliori, per Christum in Ecclesiam introducendæ. Luc. xvi: 16. Sed Petrus horum mysteriorum ignarus, quum discessum moliri videt, de retinendis laborare incipit. Adeo imprudenter sæpe satagimus, tum etiam quum maximo zelo Dei caussam agere, Dei gloriam quærere, nobis aliisque videmur. XXII. Discessus Mosis & Eliæ.

XXIII. Interpellatio constat. I. *Expositione judicii sui de illius loci bonitate*. II. *Obsequiosa exploratione Dominicæ voluntatis*. III. Prompta *officii sui oblatione*. *Bonum est*, inquit, *hic nos esse*. Non necesse est, ut existimemus iterum Petrum voluisse Christum dehortari ab itinere Hierosolymitano, de quo locuti fuerant Moses & Elias. I. Quia non patet Petrum eum sermonem audivisse, vel intellexisse. II. Non constat ipsum tam cito oblitum tam severæ increpationis, quam nuper ex ore Domini audiverat Mat. xvi: 23. III. Verba alium sensum patiuntur, neque nostræ est modestiæ, ut in sequiorem partem trahere amemus, quæ mitius exponi possunt. Hoc nobis voluisse videtur: tanta quidem ego tam illustris consortii perfundor voluptate, ut nullum angulum existimem, qui amœnitate cum hoc montis cacumine comparari possit. Facile nunc uxoris liberorumque, navis retiumque, patriæ etiam, omniumque rerum quæ unquam mihi in terris charæ ac jucundæ fuerunt, obliviscor. Liceat mihi modo cum Mose quadraginta dies, imo vero tot annos, tot secula hic commorari. Profecto nihil optabilius contingere potest animæ devotæ quam Divinæ in Christo gloriæ contemplatio. Exod. xxxiii: 12. Gen. xxviii: 12-17. Ps. iv: 7, 8. Quoties animæ, potissimum post tentationum & desertionum spiritualium procellas, conspiciendum sese Jesus exhibet, eamque remoto sipario ac diductis cœli cortinis in penetrale suum introductam, per amœna gratiæ ac gloriæ suæ spectacula circumducit; dici non potest quam incre- XXIII. Petri de loci istius amœnitate judicium.

dibili voluptate perfundatur: adeo quidem ut mirum merito videri queat, quod non aliquando per gaudiorum vehementiam sui impos mente prorsus moveatur. Utinam hominibus circa crassas fluxasque seculi voluptates perdite insanientibus, amœnitatis hujus vel species aliqua objecta unquam esset! Mox vilescerent ac sordescerent omnes mundanarum voluptatum illecebræ. Miseri occæcatique mortales, quid de popinis, cœnaculis, theatris vestris dicitis, bonum est esse hic! O si ibi fuissetis, ubi suos quandoque deducit Jesus, tunc demum diceretis, hic, hic Paradisus est, alibi gehenna.

XXIV. Obsequiosa Dominicæ voluntatis exploratio.

XXIV. At neque de nihilo est, quod non dicat, bonum est *nobis esse hic*, sic enim suæ duntaxat commoditati consulere videretur: sed bonum est *nos hic esse*. Ita enim loquendo, suum Domino ministerium offert. Credebat aliquid facto opus esse, quod vel ipsi Domino, vel apparentibus ibi Prophetis, ex usu sit. Et existimabat, quod res erat, neminem propius eam curam tangere quam ipsum cum comitibus suis. Gaudebat itaque occasionem sibi dari, qua sua Domino & beatis illis cœlitibus obsequia probare posset. Sed prudenter nihil sibi tentandum credebat, nisi consulto prius Domini ore. DOMINE, inquit, *si vis*. Mat. XVII: 4. Optime. Nihil homini Christiano, sive in rebus magnis, sive in parvis, audendum agendumve est, nisi ad nutum Divinæ voluntatis. Eo ipso quod Deus Dominus sit, nos illius servi: qui secundum juris civilis scita voluntatem non habent. Pro nostra voluntate Dei voluntatem esse oportet: quæ semper sapiens, sancta, bona, nobisque in bonum est. Stulte nobis blandimur, si nostra nos sponte scire postulemus qua in re placituri simus Deo. Id scimus, placere non posse, nisi agamus ex fide, & cum certioratione bonæ conscientiæ. Eam habere non possumus, nisi *δοκιμάζωμεν probemus quæ sit voluntas illa Dei bona, placens ac perfecta*. Rom. XII: 2. Nihil itaque sanctius, nihil securius ac certius est, quam quavis occasione dicere, *Domine, quid me vis facere?*

XXV. Promta officii ad tria tabernacula struenda oblatio.

XXV. Operam denique suam Petrus ad *Tabernaculorum* structuram offert. Credebat aliquanto diutius duraturam eam in sacro monte commorationem. Existimabat, incommodam futuram esse sub dio, seu nocte gelida, seu die æstuoso. Domos in montis cacumine ædificare, nec loci, nec temporis, nec sumtuum ratio permittebat. Nihil ergo oportunius videbatur tabernaculis. Eorum conficiendorum artem non didicerat Galilæus piscator, scaphæ suæ assuetus. Sed amor docet omnia. Nihilque tam difficile aut insolitum fuit in negotio Jesu, quod ex ardenti illa charitate & placendi studio non alacriter susciperet. *Tria* autem tabernacula struenda arbitratur, totidem quot ibi erant venerabiles personæ; ut sua singuli libertate fruerentur. Sui interim comitumque securus. Non multum referre existimabat, an ipse cum sociis aëris inclementiæ maneret expositus, adversus

versus quam multis exercitatus tempestatibus pridem obduruerat. Nihil pensi habebat, modo bene esset Domino suo, iisque qui honoris ergo e cœlis ad ipsum descenderat. Nisi fortassis, Domini sui benignitatem atque clementiam toties expertus, fide præceperit sibi & reliquis duobus in Domini tabernaculo locum concessum iri. Nunquam enim eos a se & charitate sua separari patietur Jesus, qui tam sincero tamque ardente communionem suam retinendi desiderio flagrant.

XXVI. Dubitari non potest, quin omnia ista Petri molimina ex sincera erga Christum charitate profecta sint, atque hactenus ipsi placuerint: ubicunque enim promtus adest animus, ibi quis Deo acceptus est, pro eo quod habet. 2 Cor. VIII: 12. Attamen ardor iste amoris non ea qua decuit sapientiæ & prudentiæ luce comitata fuit. *Nesciebat enim quid diceret*, ait Lucas, præ admiratione nimirum & stupore Marc. IX: 6. Habebat sane ista Christi metamorphosis, ista Prophetarum a multis seculis hominum commercio ereptorum apparitio, & inusitata illa rerum species, tantam non modo peregrinitatem, sed & cœlestem quandam ideam, ut non potuerit non spectatorum animos admirabilitate sua percellere. Admiratio autem talis, cum terrore conjuncta, mentem quodammodo de statu suo dejicit, ut officio suo minus accurate fungatur. Id Petro nunc usu venit. Non satis considerabat I. Alia Christo, alia sibi quoque in mundo peragenda esse, quam ut illic morarentur. II. Non esse conveniens, ut glorificati cœlites diutinas in terra moras necterent. III. Et ad nimis familiare commercium admitterent peccatores. IV. Aut glorificatos tentoriis adversus aëris intemperiem nequaquam indigere. V. Seque ministros Christo Domino propemodum æquiparare. Et si quæ plura sint quæ προπέτειαν non satis consideratam arguunt. Adeo etiam bona piorum opera suis laborant nævis. Jes. LXIV: 6.

XXVI. Ex ignorantia & inconsiderantia profecta.

XXVII. Sed quod imprimis hic nobis attendendum, diversæ admodum humanæ cogitationes a Divinis circa res Divinas atque cœlestes sunt. Jes. LV: 8, 9. Neque id mirum. Homo enim, qua est stupiditate, neque fines Dei adsequitur, neque media ordine digerit ad fines istos ducentia: & simulac uberiore luce perfunditur, comperit se tum præcipue desipuisse, quum maxime se sapere existimaret, &, ut sacræ literæ loquuntur, *grandem coram Deo bestiam* esse. Ps. LXXIII: 22. Deus autem est *Deus scientiarum*. I Sam. II: 3. Jes. XXVIII. ✝. ult. Qui fines sanctissimos sapientissimosque semper sibi proponit, mediaque omnia admirabili arte componit atque disponit. Adeo, ut cuicunque ea rite perpendere datum est is in admirationem raptus exclamet cum Psalte Ps. XCII: 6. *quam magna sunt facta tua, Jehova! valde profundæ sunt cogitationes tuæ.* Ista Divinorum atque humanorum consiliorum diversitas luculento in hac historia exemplo demonstratur. Petro bonum factum videbatur in monte commorari, Mosem

XXVII. Uti diversæ frequenter humanæ cogitationes a Divinis sunt.

& Eliam præsentes sibi & Christo habere, singulis tabernacula facere. At longe aliter visum est Deo. Is volebat Christum quæ restabant Hierosolymis absolvere, Petrum ad condiscipulos reverti, Mosen & Eliam in cœlum redire: ideoque adhuc ipso loquente, ecce *nubes lucida* in qua dispalescebant.

XXVIII. Gloriosæ Dei præsentiæ symbolum nubes est.

XXVIII. Circa *nubem* hanc investigandum. I. Quid *significaverit*. II. Cur *lucida* fuerit. III. Cui *usui* servierit. Sæpe nubem pro præsentiæ suæ gloriosæ symbolo adhibuit Deus. Exod. XIV: 19. XIX: 16. XXXIII: 9. XL: 34. 1 Reg. VIII: 10. Neque sine mysterio ea res fuit. I. enim ita ostendit Deus se Dominum cœli esse, qui nube utitur pro vehiculo. Ps. CIV: 3. II. Ita monemur multo majorem semper gloriam occultam esse penes Deum, quam ea est quæ quantumvis gloriosis symbolis se patefacit. Nubes enim nativum cœli splendorem oculis nostris eripiunt. Sine nube conspici in hac vita Deus nequit. Exod. XXXIII: 20. 1 Tim. VI: 16. Et ubi quam maxime se conspicuum præbet, plura sui occultat. Hab. III: 3, 4. III. Denique ita erudimur ad modestiam, ne temere in numinis arcana irrumpamus. Humani ingenii imbecillitas Dei gloriam ferre non potest. Nubes igitur pro tegumento est, aut pro amiculo, quo se veluti circumplicat, ut curiositatem & proterviam animis nostris ingenitam cohibeat.

XXIX. Et hic quidem lucida.

XXIX. Nubes T. V. pleræque omnes *opacæ* erant. Exod. XX: 21. 1 Reg. VIII: 12. Nonnullæ etiam *tonitrubus* & fulgetris turbatæ Exod. XIX: 16. aut *turbinibus* vorticosæ. Job. XXXVIII: 1. Tunc enim Deus se tenebat absconditum. Jes. XLV: 15. & habebat ista œconomia multum sibi admixtum terroris. Heb. XII. 18, 19. Hæc erat *lucida* & *placida*. Nam Filius Dei eum nobis ἐξηγήσατο. Joh. I: 18. idque ea mansuetudine, quæ Evangelii comitatem decet. Jes. XLII: 2, 3. Nubes T. V. significabat illius gloriam. Exod. XL: 34. 1 Reg. VIII: 10. Sed hæc, tam fulgida, est μεγαλοπρεπὴς δόξα. 2 Pet. I: 17. & majorem infert. N. T. gloriam. Conf. 2 Cor. III: 7–11.

XXX. Quæ inumbravit Mosen & Eliam.

XXX. *Usus* hujus nubis geminus erat. *Prior*, ut *inumbraret Mosen & Eliam*. Ita enim colligo ex Luc. IX: 34. *Hæc eo* (Petro) *dicente, exstitit nubes quæ inumbravit illos: metuerunt autem* (discipuli) ἐν τῷ ἐκείνους εἰσελθεῖν εἰς τὴν νεφέλην *dum illi* (Moses & Elias) *ingrederentur nubem*. Videtur nubes ista luce & splendore suo corruscante magis magisque illos veluti circumdedisse, atque ita oculis discipulorum eripuisse, perinde ac si umbra quædam fuisset intra quem sensim abdebantur. Noluit enim Deus discipulorum curiositatem pascere, ut distincte cernerent, quid cœlestibus iis corporibus fieret, qua & quo tenderent. Ob eandem deinceps caussam Jesum in cœlos adscendentem ἀτενιζόντων Apostolorum oculis nubes intercepit. Act. I: 9.

XXXI. *Alter*

XXXI. *Alter* nubis usus erat, ut ex ea prodiret gloriosissima Dei Patris vox, quæ aliquando per Evangelii præconium totum orbem personatura, eundemque veritatis cœlestis admirabili luce collustratura erat. Dignum Divina Majestate est loqui ex *latebris tonitrui*. Ps. LXXXI: 8. Ita fecit dum legem promulgabat ex Sinai. Exod. XX: 22. ut œconomiæ Mosaicæ gloriam adstrueret. Idem quoque faciendum sibi esse censuit, quum demonstranda esset gloria potioris œconomiæ in Evangelio. Idcirco tam signanter annotavit Petrus, vocem illam prodiisse, *ὑπὸ μεγαλοπρεπῦς δόξης*, eamque esse *ἐξ ὐρανῦ ἐνεχθεῖσαν*. atque ita Christum a Patre *accepisse honorem & gloriam*. 2 Pet. I: 17, 18. Id est declaratum esse, quod Patri similis, æquælis, & cum ipso idem sit. Non enim Deus gloriam suam alteri dat. Jes. XLII: 8.

XXXI. Et ex qua prodiit vox cælestis.

XXXII. Quod patebit luculentius, si testimonium Dei de Filio voce ista prolatum attente consideraverimus. Quod his conceptum fuisse verbis consentiunt Evangelia. *Et ecce vox e nube dicens.* HIC EST FILIUS ILLE MEUS, DILECTUS ILLE, IN QUO ACQUIESCO: IPSUM AUDITE. Quibus verbis continetur I. *Declaratio gloriæ Christi.* II. *Præceptum ipsum audiendi.* Similis compellatio facta fuit, quum Christus qua Propheta patefacturus se esset Israëli, ut animus ei adderetur adversus pravorum hominum molimina. Mat. III: 17. Eadem repetitur quum ultimus nunc prælii actus instaret, & ob confessam hanc ipsam veritatem blasphemiæ damnandus esset. *Hic est*, inquit, FILIUS MEUS. *ἐν δυνάμει*. Rom. I: 4. ut si ipsi *διαφορώτερον ὄνομα*. Heb. I: 4. Quippe non creatus, aut adoptatus, sed genitus. Ps. II: 7. Primogenitus. Col. I: 15. Unigenitus. Joh. I: 18. Proprius Rom. VIII: 32. Deum ut proprium Patrem habens, eoque ei æqualis. Joh. V: 18. DILECTUS. Quippe eandem cum Patre amabilium perfectionum immensitatem habens, *ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποςάσεως αὐτῦ*. Heb. I: 3. & in adsumta humanitate ea semper præstans quæ grata sunt Patri. Joh. VIII: 29. Vide Joh. V: 20. IN QUO ACQUIESCO *Ἐν ᾧ εὐδόκησα*. *Εὐδοκία* in Sacris nostris duo notat: aliquando amorem gratuitum, cujus nulla caussa sit in re vel persona amata, aliquando amorem quem rei vel personæ amatæ qualitates conciliarunt. Palam autem est de postremo isto amoris genere sermonem esse in hoc loco. Nihil enim in filio suo videt Deus, quod non voluntati suæ prorsus consentaneum, & sanctissimo amore suo dignum sit. Ideoque tanta ipsum prosequitur benevolentia, ut nihil reliqui facere velit, quominus omnem gloriæ, felicitatis, & omnimodæ amabilitatis plenitudinem in ipsum conferat; inde redundaturam in omnes, qui ipsius sunt. *ὅτι ἐν αὐτῷ εὐδόκησε πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικῆσαι*. Col. I: 19.

XXXII. Qua Jesus declaratus est Filius Dei dilectus, in quo acquiescit Pater.

XXXIII. Concluduntur hæc omnia mandato: IPSUM AUDITE. Quod fundatum est in ipsius præcellentia supra reliquos omnes Dei ministros; simulque

XXXIII. Unice audiendus.

simulque argumento est, ipsum esse magnum illum Prophetam quem per Mosen, & illius loco, populo Israëlitico pollicitus est Deus Deut. XVIII: 15, 18. & Angelum illum de quo Exod. XXIII: 23. Subest tacita antithesis Mosis & Eliæ cum Christo: jubetque Deus discipulos unico Filio suo esse contentos. Neque enim majore populum beneficio afficere poterat, quam quod, olim majoribus suis per Prophetas locutus, nunc eos alloqueretur per Filium. Heb. I: 1. Perinde ergo hic est quasi diceret: Quid vobis dolet discedere Mosen & Eliam? Omnia in hoc magistro vestro, unico meo Filio, in quo solo per omnia mihi complacitum est, habetis. Ipsum modo audite; & nihil erit, quod vel Moses vel Elias, vel alii quicunque Prophetæ, ultra vos docere queant. Etsi enim venit Christus ut Legi & Prophetis fidem asserat: sic tamen occupat summum gradum, ut fulgore sui Evangelii absorbeat scintillas illas quæ in Veteri Testamento micabant. Est enim sol justitiæ, cujus adventu plenus illuxit dies. Quum igitur ipsum audire jubet Deus, eo ipso ab omnibus hominum doctrinis abductos, huic uni nos sistit, ab uno omnem salutis doctrinam petere jubet, ab uno pendere, in uno hærere, denique unius voci auscultare. Audire enim significat non solum percipere doctrinam ejus auribus, sed & accipere fide, eique ex animo se obedientem sistere.

XXXIV. Summa Evangelii est, Jesum esse Filium illum Dei.

XXXIV. In tanta cœlestis hujus testimonii brevitate summa continetur totius evangelii, fundamentum omnis consolationis, & compendium Christianæ pietatis. Hic docemur quis qualisque ille sit, quem generis humani Sospitatorem constituit Pater, nimirum unicus ille & supra creaturas omnes dilectus Dei filius. Neque quisquam alius tanto muneri par, sive in terra, sive in cœlis, inveniebatur. Non potuit in alio justitia & salus esse nisi in Jehova Deo nostro. Neque fas est Israëli in quoquam alio gloriari, nisi in Deo servatore suo. Nemo nos in libertatem Dei filiis dignam asserere, nisi iste Dei filius potuit. *Si Filius vos in libertatem vindicarit, vere liberi erit*. Joh. VIII: 36. Hanc ergo Servatoris nostri υἱότητα distincte cognoscere & dignoscere, fideliter agnoscere, & contra quascunque δοκησισόφων vanas superbasque argutationes constanter tueri oportet. Pro certo habentes, totam salutis nostræ spem convelli, ubi negatur, Jesum Mariæ filium, verum, proprium, æternum Dei filium, in omni vi validissimæ significationis esse. *Nos vero spectavimus*, ait Johannes, *& testamur Patrem misisse Filium, qui esset Servator mundi. Quisquis professus fuerit Jesum esse Filium Dei, Deus in eo habitat, & ipse in Deo*. I Joh. IV: 14, 15.

XXXV. Veritas, plena consolationis.

XXXV. O vere Evangelicam, plenam consolationis & lætitiæ spiritualis veritatem! Si enim Christus unicus & dilectus ille Patri filius est, quam immensa censeri debet ista charitas, quod talem tantumque generi humano dederit, & pro eo tradiderit, ad tam duros cruciatus, tam diram mortem? Joh. III: 16. I Joh. IV: 10. Et quid tandem non speremus ab eo qui tali filio

filio non pepercit, ut parceret nobis? Rom. VIII: 32. Quanta etiam Christi ipsius φιλανθρωπία est, quod, talis tantusque quum esset qui non duceret rapinam parem esse Deo, adeo se nostri caussa exinaniverit, ut assumta forma, non hominis solum, sed & servi, Patri se suo obedientem sisteret ad mortem usque, neque quamvis mortem, sed eam quæ omnium terribilissima est, mortem crucis? quoque ipse unigenitus Dei filius, & hæres omnium, non erubuerit nos fratres vocare, & ad hæreditatis suæ consortium admittere? Porro, si Christus sit dilectus ille Dei filius, in quo complacitum est Patri, securis nobis esse licet, sponsorem nostrum acceptum esse Deo, ac facile impetraturum quidquid pro nobis petierit; & nos quoque in ipso acceptos fore Deo, uti Josepho fratres sui in Benjamine.

XXXVI. Quid nobis denique restat, nisi ut tantum æterni Patris filium summo honore ac reverentia prosequamur, & ad eum nos recipiamus? Ps. II: 12. Ut dilectum a Patre & ipsi diligamus, omni defæcatissimi amoris puritate ac vehementia? Ps. XVIII: 2. quippe qui eo dignus est propter pulcritudinis incomparabilis eximium decus; eum meruit, dum nos indignissimos amore suo prævenit; denique eum ut sibi debitum merito exposcit virtute fraternæ propinquitatis. Tandem ut in quo acquiescit Pater, in eo nos quoque beneplacitum habeamus. Id demum pulcrum atque decorum esse judicantes, quod ei simile est; & nobis adeo ipsis displicentes, quatenus ei sumus dissimiles. Toties etiam, tantaque cum voluptate omnes ipsius virtutes, & quæ earum decus est sanctitatem, contemplantes, donec & ipsi ad imaginem istam transformemur, & ipse beneplacitum in nobis habeat. XXXVI. Ea valida ad pietetem.

XXXVII. Denique quum Christus unicus nobis Doctor a Deo datus sit, ejus nos disciplinæ dedamus, ejus pedibus assideamus, ab ejus ore pendeamus, ejus dicta omnia, sine exceptione omnia, patulis auribus, mentibus, animis recipiamus; continuaque meditatione quasi in succum & sanguinem convertamus. Licet enim Christus cœlo receptus multis jam seculis inter homines versari desierit, quotidie tamen nos alloquitur in Lectione & Prædicatione verbi Evangelici: cui tum demum justum pretium suum statuitur, quando non ut Evangelistarum & Apostolorum, sed ut ipsius Christi verbum consideratur, dictante & impellente Christi Spiritu hominum istorum ore prolatum, calamo consignatum. Præterquam quod interna Spiritus sui virtute in cordibus electorum loquatur Christus, illuminans mentes ad salutarem salutarium veritatum intellectionem, & res ipsas verbo comprehensas ad sanctificationem & consolationem mentibus insinuans; sine qua mystica institutione, quæ solius Christi est, omnis Prophetarum & Apostolorum sermo, cortex duntaxat, insolubile ænigma, litera mortua, stultitia denique nobis esset. Ante omnia igitur expetenda nobis illa Christi institutio est, quæ arcana Spiritus informatione in XXXVII. Maxime ad id, ut ab ipsius, veluti Supremi Doctoris, ore unice pendeamus.

intimis animorum nostrorum recessibus peragitur: quæque ex verborum cortice nucleum extundit, ænigmata in liquidas demonstrationes vertit, ex litera mortua sermonem vitæ facit, & stultitiam illam omni humana sapientia tanto sublimiorem esse ostendit quanto celsius terra cœlum est. Hæc est *unctio, a Sancto illo profecta, qua docet omnia.* 1 Joh. II: 20.

XXXVIII. Quippe qui veritatem intus docet sine verborum strepitu. Thomas a Kempis laudatur.

XXXVIII. Pulcherrima sunt quæ in hanc mentem scripsit *Thomas a Kempis de Imitatione Christi Lib.* III. *Cap.* II. cujus Capitis lemma est: *quod veritas intus loquitur sine strepitu verborum.* Ita autem ille: „ Loquere, „ Domine; quia audit servus tuus. Servus tuus ego sum: da mihi intel- „ lectum, ut sciam testimonia tua. Inclina cor meum in verba oris tui: „ fluat ut ros eloquium tuum. Dicebant olim filii Israël ad Moysen: lo- „ quere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte „ moriamur. Non sic, Domine, non sic oro. Sed magis cum Samuele „ Propheta humiliter ac desideranter obsecro: loquere, Domine; quia „ audit servus tuus. Non loquatur mihi Moyses, aut aliquis ex Prophetis: „ sed potius tu loquere, Domine Deus, inspirator & illuminator omnium „ Prophetarum: quia tu solus sine eis potes me perfecte imbuere; illi au- „ tem sine te nihil proficient. Possunt quidem verba sonare: sed Spiritum „ non conferunt. Pulcherrime dicunt: sed te tacente cor non accendunt. „ Literas tradunt; sed tu sensum aperis. Mysteria proferunt: sed tu re- „ seras intellectum signatorum. Mandata edicunt: sed tu juvas ad perfi- „ ciendum. Viam ostendunt: sed tu confortas ad ambulandum. Illi fo- „ ris tantum agunt: sed tu corda instruis & illuminas. Illi exterius ri- „ gant: sed tu fœcunditatem donas. Illi clamant verbis: sed tu auditui „ intelligentiam tribuis. Non ergo loquatur mihi Moyses: sed tu, Do- „ mine Deus meus, Æterna Veritas; ne forte moriar, & sine fructu effi- „ ciar, si fuero tantum foris admonitus, & intus non accensus: ne sit mihi „ ad judicium verbum auditum, & non factum; cognitum; nec amatum; „ creditum, & non servatum. Loquere igitur, Domine; quia audit ser- „ vus tuus. Verba enim vitæ æternæ habes. Loquere mihi ad qualem- „ cunque animæ meæ consolationem, & ad totius vitæ meæ emendatio- „ nem: tibi autem ad gloriam & perpetuum honorem. „

XXXIX. Discipulorum pavor, & lapsus in faciem.

XXXIX. Restant gloriosæ hujus vocis SEQUELÆ: quorum prima fuit DISCIPULORUM PAVOR. Ita narrante Matthæo: *& quum hæc audivissent discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt vehementer.* Non absimile vero est, adfuisse huic voci insignem sonitus magnitudinem, quæ humanas omnes voces longo intervallo superaret: ita enim solet Deus loqui. Ezech. I: 24. Dan. X: 6. Joh. XII: 29. Apoc: I: 15. XIV: 2. Magnam etiam peregrinitatem habuit, quod non aliunde nisi ex nube vox articulata prodiret. Sed potissima consternationis caussa fuit, quod in omnibus istis animadverterent præsentis Divinæ Majestatis symbola; quibus fieri

non

non potest, quin, in ista tam corporum quam mentium nostrarum infirmitate, animus valde percellatur. Cujus rei insigne in Israëlitis exemplum est. Deut. v: 30. Qaoties enim cunque Deus suam animis nostris Majestatem illustribus documentis ingerit, toties nostræ non vilitatis solum sed & impuritatis & omnigenæ indignitatis & condemnabilitatis conscientia vivide expergiscitur: unde fit ut ad tam sublimis puritatis & magnificentissimæ gloriæ præsentiam trepidemus. Neque id solis contingit improbis, quibus formidolosa semper Vindicis Dei cogitatio est: sed & piis, imo & amicis Dei ac familiaribus, quibus eo venerabilior semper summi Numinis Majestas est, quo clarius perspicitur ejus Bonitas: & qui nunquam sibi ipsius magis sordent, quam dum in liquidissima se Divinæ gloriæ luce contuentur. Hæc est caussa cur Petrus potentiam Christi in prodigiosa piscium captura conspicatus, ad genua ipsius provolutus sit, dixeritque, *Discede a me: nam homo peccator sum, Domine.* Luc. v: 8. Quod & tunc locum habuit, quando non terribilis iræ, sed incredibilis gratiæ suæ luculentissima suis indicia Divina præbuit benignitas. Gen. XXVIII: 17. Luc. II: 9. Marc. XVI: 5. Nihil enim est quod majorem reverentiam conciliat, quam immensa Bonitas, cum pari Majestate conjuncta. Magnam animi perturbationem comitari solet ea corporis commotio quæ commoda ipsi ratione respondeat. Porro vix ullus animi affectus est, quo & corpus vehementius afficiatur, quam timor; qui spiritus conturbat, cerebrum concutit, genubus tremorem inducit, membra debilitat, & præcipitat ad lapsum. Ubi vero formidinis magnitudini pietatis reverentia accedit, nullus convenientior casus est, quam quo quis in faciem venerabundus prolabitur. Id uti hic Apostolis contigit, ita & de se testatur Daniel Cap. x: 9. *Quum audirem sonum verborum illius oppressus fui sopore, & facie mea adjecta in terram.*

XL. Quemadmodum vero manus suæ attactu Danielem blande & clementer excitavit Angelus; ita & *accedens ad suos Jesus tetigit eos, dixitque, surgite, & ne timete.* Fungitur hic officio suo Jesus, dum prostratos erigit. Ideo enim descendit ad mortales, ut quotquot in ipsum credunt eo duce in Dei conspectum intrepide prodeant: nec amplius terribilis sit illis Majestas, quæ omnem cæteroqui carnem absumeret. Accedit itaque ad discipulos, affectu & misericordia motus; ne quid gravius ex vehementi illa perturbatione paterentur. Duo autem adhibet, quæ animum attonitum excitare idonea sunt; *attactum* scilicet & *sermonem:* quæ pariter adhibuit in excitando Daniele, & Johanne Apoc. I: 17. Cæterum & concussionem validam, & vocis sonum vehementem esse oportet, si naturali efficacia ad ingentem stuporem discutiendum suffectura sint. Verum neque vehementer discipulos arripuisse, neque fortiter inclamasse Jesum, verisimile est. Nihil certe Evangelistæ habent, quod hoc innuat. Itaque reconditi aliquid hic esse videtur. Nimirum ut in miraculis patrandis, symbola sæpe

XL. Unde eos erigit Jesus.

quædam adhibuit, quæ miraculorum effectioni prorsus imparia, aliquam tamen caussarum similitudinem haberent; ita & mori isti hoc loco obsecutus, externa illa, signa potius quam caussas, admovit ad opus, ad cujus effectionem vim interiorem aliquam & miraculosam suppeditabat: ut scite observavit *Amyraldus*.

XLI. Vetans timere.

XLI. Dixit autem Jesus, *ne timete*. Non quod pavor ille ad præsentis numinis indicia prorsus indecorus esset: nam & inanimatas res veluti sensu quodam Divinæ Majestatis affici par est, ubi eam illustribus documentis ostentat. *Quando procedebat coram populo suo Deus, & gradiebatur per solitudinem excellentissime; tunc terra movebatur, etiam cœli destillabant a præsentia Dei; ipse etiam Sinai, a præsentia Dei, Dei Israëlis* Ps. LXVIII: 8, 9. Non etiam quod plane inutilis esset ille terror; quo percelli discipulos ipse Deus voluit, ut omnium harum rerum memoriam fortius penitiusque animis ipsorum imprimeret. Non denique quod displiceret Christo ea quæ pavori huic aderat profundissimæ erga Deum reverentiæ demonstratio, toties alibi inculcata. *Jehova regnat, commoveantur populi: insidet Cherubinis, nutet terra.* Ps. XCIX: 1. Sed secerni voluit Christus id quod a carne hujusque infirmitate, ab eo quod a Spiritu illiusque virtute est. Noluit ut nimio metu externarentur, eove justo diutius cruciarentur: ne & fiduciæ in Dei Bonitatem officeret, & animum simul in attenta tantarum rerum meditatione impediret. Docere denique voluit quænam gratiosæ suæ œconomiæ excellentia sit præ illa veteri: non enim hic viget spiritus ille servitutis ad timorem, sed liberalior spiritus adoptionis, qui παῤῥησίας ac lætitiæ est. Ita Christus animi paterni interpretem agit, & mentes perterritas solatur. Hoc est quod dixit Deus Jes. LXVI: 2. *In hunc intueor, in pauperem & contritum spiritu, ac trepidantem ad verbum meum.*

XLII. Post Mosis & Eliæ discessum solus conspectus est Jesus.

XLII. Non caruit successu ea Christi compellatio: quippe qua expergefacti velut e veterno aliquo Apostoli, accurate omnia circumspexerunt. Sed quocunque oculos verterent, nihil eorum deprehenderunt quæ nuper tam admiranda ipsis videbantur. *Neminem viderunt, nisi solum Jesum*: sueta forma, solito amictu. Non decebat diutius in terris commorari Mosen & Eliam; quorum ministerium neque cum Jesu magisterio, neque cum Apostolorum functione miscendum, aut confundendum erat. Lex & Prophetæ usque ad Johannem duraverunt; ab illo tempore regnum cœlorum, quod solius Christi est, prædicari oportuit. Luc. XVI: 16. Discessit igitur Moses, discessit Elias; imo siluit vox ipsa cœlestis Patris; quæ semel locuta est, ut semper audiatur Filius. Christus ipse deposita nuperæ transfigurationis gloria ad pristinum servi statum habitumque rediit: temporariam enim eam gloriam esse decuit, quæ non nisi præludium æternæ erat: multaque ad huc perpetienda restabant Christo, antequam æterna illa potiretur.

XLIII. Re-

XLIII. Restat TACENDI MANDATUM. *Et quum descenderent, mandavit eis Jesus, dicens, Nemini dixeritis quod vidistis, usque quo Filius hominis a mortuis resurgat.* Cur potius in clivo montis, quum descenderent, quam in cacumine, dum ibi morabantur, istud interdixerit, caussam puto assignari a nemine mortalium posse. Nisi fortasse quod aliquantulum spatii concedere perturbatis voluerit ad recolligendos animos, quo & attentiores essent & retinentiores interdicti. Sed indicti ad tempus silentii caussæ non admodum in obscuro sunt. Quarum aliquæ fortassis ad ipsum *Christum*, aliæ ad *Apostolos*, nonnullæ etiam ad *Judæos* spectant. *Christus* durante infirmitatis suæ œconomia modestissime se gessit, & convenienter statui suæ exinanitionis. Ideoque quæ paullo magnificentiora erant semper studiosissime fugitavit, & publicari vetuit; nisi si quæ evitari non poterant: ne propriæ suæ gloriæ publicæque famæ vanus videretur esse captator. *Apostoli* nondum satis ad talia prædicanda idonei erant, antequam imbuti essent virtute ex alto; quæ non nisi post Christi ex mortuis resurrectionem & in cœlos adscensionem ipsis promissa erat. Imo ne reliquis quidem discipulis eo tempore propalanda hæc esse videbantur; ne videlicet vel sibi tantæ rei visionem negatam esse dolerent, vel aliis concessam inviderent. At neque Apostolis ea narrantibus fides a *Judæis* fuisset habita, donec publicum magis ac luculentius gloriæ suæ specimen Christus in resurrectione dedisset. Ideo negaverat paullo ante, ullum Judæis signum datum iri præter signum Jonæ prophetæ Mat. XVI: 4. Verum postquam se palam exseruit Divina ejus virtus, locum etiam habere cœpit prædicatio temporalis illius gloriæ: ut certo constaret, quo tempore exinanitus fuit, Deitatem tamen suam integram illi semper stetisse, licet abscondita esset carnis velo. Atque hæc est ratio cur resurrectionis suæ tempus exspectari voluerit, ut quod in monte seorsim gestum fuerat, ex rebus potioribus & illustrioribus fidem inveniret ac fructum.

XLIII. Indictum Apostolis harum rerum silentium.

XLIV. Mandato Domini paruerunt Apostoli, inter se quidem disputantes *quid illud sit resurgere a mortuis*, Marc. IX: 10. *nemini interim per id tempus annunciantes quidquam eorum, qui viderant.* Luc. IX: 36. Quorum illud in vitio, hoc in laude ponendum est. Non videtur tam stupidos tamque Judaicæ suæ religionis ignaros eo tempore fuisse discipulos, ut fundamentalem fidei Israëliticæ articulum de universali mortuorum resurrectione nescíverint. Verum id quod dicunt ad resurrectionem Messiæ referendum esse arbitror. Quamvis enim & ea pro Veteris œconomiæ ratione satis perspicue Prophetarum prædicta fuerit oraculis, quia tamen ea ætate velo obductæ erant populi Israëlitici mentes, & Pharisæi ac scribæ clavem scientiæ, qua aperienda priscorum oraculorum arcana sententia est, e medio sustulerant; hinc & ipsi discipuli anticipatis de carnali Messiæ regno illiusque æternitate opinionibus adeo erant mancipati, ut quotiescunque

XLIV. Ab ipsis, quamvis inter se de Resurrectione disceptantibus.

eum de morte sua, & quæ eam sequi deberet resurrectione, loquentem audirent, toties eum gryphos loqui arbitrarentur, quos neque ipsi intelligerent, neque quisquam fortassis mortalium. Deo, uti reliqua omnia, ita & hoc ipsum, sapienter sic dispensante: ut deinceps appareret ipsos suscitati Magistri sui historiam non e composito finxisse; sed animos ipsorum ineluctabili rationum efficacitate convictos fuisse de rei istius evidenti veritate, quam & ipsi tam absurdam olim tamque impossibilem esse rati sunt, ut, quando disertissimis verbis a Domino prænunciabatur, ne intellexerint quidem.

XLV. Religiose servatum.

XLV. Id vero egregiam meretur laudem, quod dicto audientes, totam transfigurationis Christi historiam fideli silentio presserint. Nimirum in omnibus parendum est Domino. Loquendum ubi loqui jubet, tametsi cum capitis discrimine conjunctum foret. Act. IV: 20. Tacendum ubi silentium imperat: etiamsi fortassis nos, arcanorum Dei consiliorum non satis gnari, ex imaginaria carnis sapientia, loquendum esse censeremus. Sunt certe loquendi tacendique vices, magna semper sapientia observandæ: sed tum præcipue inviolabili religione tenendæ, quoties suam circa eas voluntatem patefecit Deus. Non minus prudenti ac religioso silentio, quam liberæ ac sapienti elocutioni sua laus est. *Si quis in sermone non impingit, hic perfectus est vir; ut qui possit fræno moderari totum etiam corpus.* Jacob. III: 2.

DISSERTATIO V. QUÆ EST I.

DE

MIRACULIS JESU.

Qua

Miracula Jesu ita exponuntur, ut ex iis probetur Evangelii veritas.

BREVIARIUM.

I. *Quid sint miracula.* II. *Jesu Miracula, quotuplicia.* III. *Miracula, Jesu caussa a Patre facta.* IV. *Miracula longo tempore ante Christi adventum patrari desierunt: nunquam patrata a quoquam majorum Christi.* V. *Miracula Jesu numero plurima sunt.* VI. *Et genere diversissima.* VII. *Et sapientissima gradatione notabilia.* VIII. *Non ex hominum, sed suo & Patris arbitrio præstita.* IX. *Benefica, & salutaria hominibus.* X. *Uno alterove excepto.* XI. *Prorsus denique admiranda.* XII. *Non aliena, sed propria sua potestate facta.* XIII. *Cui non præjudicat Marci observatio Cap.* VI: 5. *nec Christi dictum Joh.* V: 19. XIV. *Hinc & aliis potestatem miracula in suo nomine faciendi dedit.* XV. *Imo & majora faciendi, quam fecerat ipse.* XVI. *Quæ omnia eo tendunt, ut comprobaretur missio ipsius a Deo, & doctrinæ veritas.*

XVII.

XVII. *Demonstratione solida.* XVIII. *Qua olim quoque asserta fuit missio Mosis.* XIX. *Virtus portentifica inter characteres Messiæ est.* XX. *A quo miracula petere suo quodam jure Judæis licuit.* XXI. *Cur miracula sæpe sua vulgari Christus vetuerit.* XXII. *Uti in exemplo leprosi mundati.* XXIII. *Et cæcorum quibus videndi facultatem dedit.* XXIV. *Et hominis, cujus arida manus est sanata.* XXV. *Et Filiæ Jairi ex morte suscitatæ.*

JUvat Exercitationem hanc laudandis, explicandis ac vindicandis Domini & Sospitatoris nostri JESU CHRISTI MIRACULIS dare; atque ex iis ineluctabili argumento conficere, quod Jesus magnus ille Propheta, patribus olim promissus, à Patre in terram demissus, atque adeo verus Messias sit. MIRACULA quum dico, intelligo stupenda ejusmodi opera quæ præter aut contra communes naturæ leges facta, omnemque creatarum caussarum valentiam superantia, à Deo ad fidem verbis suis faciendam adhibentur. Nimirum Deus, qui naturæ ordinem sapientissimis legibus definivit, eam sibi reservavit libertatem, ut, quotiescunque libitum est, præter suetum istum ordinem ageret, atque ita se supremum absolutumque naturæ Dominum esse demonstraret. Vel potius: eodem æterno consilio quo singularum caussarum seriem, & ad effectus suos producendos concursum constituit; eodem, inquam, æterno consilio decrevit, statis temporibus, ob rationes idoneas, ab ordine isto recedere, eaque patrare quæ vel ob rei ipsius admirabilitatem, vel ob insolitum efficientiæ modum, mentem hominum percellant, & præsentis in isthac actione Divinæ omnipotentiæ confessionem extorqueant. Unde liquet, proprie & accurate loquendo, Deum solum esse qui mirabilia facit: quum solus sit naturæ Dominus. Ps. LXXII: 18. Quotiescunque ergo, vel homines, vel angeli, sua agilitate & industria aliquid efficiunt, quod, ob incognitum nobis agendi modum, oppido peregrinum esse videatur, non id mox ob eam rem miraculis accensendum est; quoniam creatæ naturæ vim nobis haut satis exploratam, neque ad nostræ sive imperitiæ sive imbecillitatis modulum exigendam, non excedit; & si detegatur artificium, simul peribit, aut plurimum certe imminuetur, admirabilitas. Quotiescunque etiam Deus miraculorum patrandorum vi homines quosdam donasse dicitur, existimandum non est, ipsos reali aliquo influxu, ne quidem uti caussas instrumentales, ad effectum istum concurrere; sed solummodo Deum ad ipsorum præsentiam, dum ipsi non nisi verba quædam aut signa, ex sese invalida, adhibent, secundum potentiæ suæ immensitatem operari. Placet autem numini, qualemcunque hanc hominum istorum operam intercedere, ut eos singularis ista assistentiæ suæ declaratione commendabiles faceret, tanquam consiliorum suorum administros. Nam isti potissimum fini inserviunt miracula, ut dictis Dei per fidos voluntatis suæ internuncios, adstruatur

I. Quid sunt Miracula.

adſtruatur fides. Atque hæc quidem generatim de Miraculis pro instituti noſtri ratione dicta ſunto.

II. Jeſu Miracula, quotuplicia.

II. JESU Miracula illa voco I. Quæ ipſius cauſſa à Deo Patre facta ſunt. II. Quæ ab ipſo in nomine Patris ſunt edita. III. Quorum in ſuo nomine patrandorum poteſtatem Apoſtolis, diſcipulis, & ſectatoribus ſuis conceſſit.

III. Miracula, Jeſu cauſſa a Patre facta.

III. Multa nobis in Evangeliorum narrantur monumentis quæ circa nativitatem, vitam, & mortem Jeſu, prorſus præter naturæ ordinem acciderunt; notiora quam ut prolixe hic repeti debeant, certiora quam ut in dubium ab ejus ætatis hominibus vocari potuerint, confirmatiora quam ut nunc falſi poſtulari fas ſit. Et hæc ipſa ſatis evincunt, eum, in cujus gratiam cuncta iſta fecit Deus, Dei non nuncium ſolum, ſed & filium eſſe. In cujus enim alterius gratiam virginis uterum fæcundaſſet, Gabrielem angelum tanti prodigii internuncium è cœlo miſiſſet, integros cœleſtium geniorum choros recens nato infanti genethliaca carmina accinere juſſiſſet, ſtupentibus ad tantum apparentium angelorum fulgorem, quo noctis tenebræ pellebantur, & ad Divini carminis incredibilem ſuavitatem, paſtoribus Bethlehemiticis? In cujus alterius gratiam nova, & ab omnibus cœli luminaribus diverſiſſima, apparuiſſet ſtella; qua excitati ab ultimo Oriente Sapientes in Judæam properarunt, debitum nato Regi honorem exhibituri? In cujus alterius gratiam apertis repente cœlis, ſub columbæ ſpecie deſcendiſſet Spiritus Sanctus, donis eum ſuis impleturus; vel auditus fuiſſet plus vice ſimplici Divinæ vocis fragor eum pro filio ſuo agnoſcentis & commendantis? Quid denique notabat repentina illa ſolis in ipſa meridie, tempore plenilunii, per integrum trihorium, obſcuratio, Phlegonti etiam, & Thallo memorata, &, ſi Luciano martyri fides, gentilium inſerta Annalibus? Quid iſta ſacratiſſimi ruptura aulæi, & vehemens terræ tremor, & rupium ſciſſura, & monumentorum apertura, eo tempore quo in cruce pendebat Jeſus, mox ſpiritum redditurus Patri? Quid unquam à Deo in Moſis præſtitum eſt gratiam, quod cum tot tantiſque confligi mereatur prodigiis? Enim vero niſi cæciores eſſe velimus homine gentili, aut obduratiores Romano milite, fateri oportet, eum, cujus cauſſa tot ſimul ac tanta contigerunt prodigia, filium Dei eſſe.

IV. Miracula longo tempore ante Chriſti ad ventum patrari deſierunt:

IV. Cæterum de iis potiſſimum Jeſu miraculis agendum eſt, quæ non *ob ipſum*, ſed *ab ipſo* facta ſunt; quorum non occaſio ſolum & objectum, ſed & auctor & cauſſa exſtitit. Dignum notatu eſt, ante Jeſu in carnem adventum miracula ab hominibus longo jam tempore patrari deſiiſſe. Ultimum quod in ſacris memoratur Eliſæi eſt, cujus oſſa à cadavere tacta vitam reſtituerunt mortuo. 1 Reg. XIII: 20. Ab Eliſæo autem ad Chriſtum anni numerantur præter propter octingenti. Non eſt profecto iſta Providentiæ Divinæ œconomia inconſiderate tranſmittenda. Qui olim miraculis

fuerunt

fuerunt celebrati, eos palam est illo vixisse tempore quo Messiam venire non oportuit. Circa Messiæ ævum à nemine facta leguntur miracula nisi ab ipso & discipulis ejus, ipsius virtute ac nomine. Accedit & hoc, non minus observabile: quod neminem ex majoribus Christi, non Enochum, non Noachum, non Abrahamum, non Davidem, ulla unquam miracula edidisse legamus; ne fortasse eorum aliquis Messias esse crederetur. Imo ne Johanni quidem Baptistæ id esse concessum, quamvis muneris dignitate cæteris omnibus Prophetis immensum antecellere perhibeatur: ne illum fortasse, ob cæteras virtutes, suspicio ista caderet. nunquam patrata a quoquam majorum Christi.

V. Sed ipsa Jesu miracula, & quæ in iis potissimum consideratu digna occurrunt, propius aliquanto lustremus; facta passim eorum cum Mosaicis collatione. Et primo quidem loco notemus, Miracula Jesu *numero plurima*, & vere innumera fuisse. Elisæus, qui Prophetas reliquos miraculorum gloria anteivit, vix duodecim fecisse perhibetur. Elias aliquanto pauciora, quibus si cæterorum omnium Prophetarum miracula addantur, excrescet numerus ad septuaginta quatuor. Mosi attribuunt septuaginta sex, quæ per ipsum aut propter ipsum facta sint. Cuncte, si in unam colligantur summam, efficient centum & quinquaginta; quæ à mundi principio usque ad excidium primi templi, annis ter mille trecentis & viginti octo, ut Judæi numerant, sive ab ipso Deo immediate, sive hominum interventu, sint patrata. Non lubet nunc ad calculos sedere. Unum hoc liquido affirmare ausim, Hebræorum magistros in annumerandis miraculis non admodum fuisse parcos. Sed & nobis religio est, ea quæ mirabiliter olim à Deo facta sunt, ulla ratione minutum ire. At quantula portio omnia ista sunt eorum quæ Jesus noster intra unius triennii aut quadriennii, vel quinquennii, si vis, decursum edidit? Inficias equidem non ivero, si ea solum attendantur quæ per species memorata Evangelistis sunt, haut vægrandem fore numerum: sed sciendum multa à Christo esse facta quæ non sunt memorata. Joh. xx: 30. ea vero quæ sunt memorata sic plerumque esse exposita, ut sub generali summa innumera propemodum continerentur. Quum Johannes suos ad Jesum discipulos sciscitatum mitteret, essetne Messias, an post eum exspectandus alius, eadem hora sanabat multos à morbis & flagellis & spiritibus improbis; cæcis visum, claudis gressum, leprosis puritatem, mutis loquelam, surdis auditum, mortuis vitam, à dæmone agitatis tranquillitatem gratificabatur. Luc. VII: 21, 22. Fuit quum turmatim urbes & regiones universæ suos ad ipsum ægros sine ullo morborum discrimine adducerent, quorum neminem incuratum dimisit; Matt. IV: 24. Marc. III: 10. VI: 55, 56. & quamvis sola manuum impositione, vel unico sæpe verbulo, totam eam rem conficeret; fuit tamen quum occupatum in opere nox interciperet. Mat. VIII: 16. Marc. I: 32. Luc. IV: 40. Quorum omnium historiæ si singulatim descriptæ fuissent, V. Miracula Jesu numero plurima sunt.

quantum conficerent volumen? Magnifice profecto, & hyperbolice, fateor, non tamen præter decorum, Johannes dixit: *sunt & alia multa quæ fecit Jesus, quæ si scribantur sigillatim, ne mundum quidem ipsum opinor capturum eos qui scribuntur libros.* Joh. XXI: 25. Quibus si addantur ea quæ à discipulis Jesu edita sunt in ipsius virtute ac nomine, non in Judæa solum, sed in toto fere terrarum orbe, non paucis annis, sed aliquot seculis; quam immensus tandem exsurget numerus?

VI. Et genere diversissima.

VI. Verum miracula Jesu, uti numero plurima, ita & *genere diversissima* fuerunt; non certæ alicui speciei adstricta, sed universalia, & potestatem atque imperium in omnes rerum species demonstrantia: in mare, in ventos, in pisces, in arbores, in panes, in porcos, in ipsos denique dæmones. Mare pavimenti instar stravit, ut in eo non secus quam in platea ambularet, & per altissimos gurgites pedes ferret inlutos. Matt. XIV: 25. Idem mare tempestatibus agitatum composuit, ventosque verbo silere jussit, ad spectantium stuporem dicto audienteis. Matth. VIII: 24. Pisces jussu suo in retia confertim, & velut agmine facto, compulit. Joh. XXI: 6. & si opus esset, cum nummo quem deglutierant, sponte, ut ita dicam, capiendos se dare jussit. Matth. XVII: 27. Arborem ficus momento fecit exarescere. Matth. XXI: 19. Panes pro arbitrio multiplicavit, ut pauci multis hominum millibus satiandis sufficerent. Matth. XIV: 19, 20, 21. & XV: 36, 37, 38. Porcos dæmonum arbitrio permisit, supplicantium ut in eos sibi ingredi bona cum ipsius venia liceret. Matth. VIII: 31, 32. Dæmones ipsos, ferocissimos etiam, quantumvis frementes frendentesque compescuit, ejecit, protestate sua exuit, nutibusque suis parere coëgit. Matth. VIII: 28. XII: 22. Marc. IX: 25, 26. Scripserit licet *Menasse Ben Israël*, Mosen sine controversia Prophetas cunctos excessisse, quippe qui non in elementis modo, sed & mixtis, in mineralibus, in plantis, in animalibus rationis expertibus, in hominibus, cœlis, & angelis miracula ediderit: ego asseverare non dubito, immane quantum Jesum nostrum Mosen hac quoque in parte excessisse. Quam enim Moses potestatem in curandis omne genus morbis, quam in mortuis suscitandis, quam in dæmonibus expellendis exercuit?

VII. Et sapientissima gradatione notabilia.

VII. In promiscua ista miraculorum varietate *sapientissimam gradationem* observavit Jesus: non quidem in temporum semper, sed in rerum ordine. Quam gradationem & in cunctis universim, & in specialibus quibusdam sigillatim, annotare juvat. Incepit miracula sua Jesus ab eo quod homini pro alimento concessum est, attamen ad jucunditatem magis quam necessitatem pertinet, transformando aquam in vinum: quo sane carere potuissent convivæ nuptiales, prolixe jam excepti. Dein necessitati consuluit esurientium, multiplicando panes & pisces: & sequentium se millia quinque, quinque saturavit è panibus, ac, *ne esse præstigiæ incredulis illis viderentur*

rentur & duris, bis senarum sportarum sinus reliquiarum fragminibus aggessit: ut *Arnobii* id verbis enunciem. Atque hæc quidem sanis & valentibus gratificatus est. Perrexit ad curandos ægros. Sanavit qui laboraverant annis duodecim. Marc. v: 25. imo octodecim. Luc. XIII: 11. imo triginta & octo. Joh. v: 5. imo à pueritia. Mat. IX: 21. & ab ipsa denique nativitate. Joh. IX: 1. Neque eos solum morbos curavit qui ex naturalibus orti sunt caussis, sed & quibus miseros mortales dæmonum malitia infestavit. Palam enim est, Scripturæ eos obloqui, qui dæmoniacas affectiones cum naturalibus confundunt. Matthæus certe distinguit Cap. IV: 24. *δαιμονιζομένυς καὶ σεληνιαζομένυς καὶ παραλυτικὺς.* Et quamvis ille qui Matthæo XVII: 14. *lunaticus* dicitur, Lucæ IX: 39. *dæmoniacus* vocetur, non exinde consequitur, affectionem istam mere naturalem fuisse; sed potius dæmonem, lunæ in corporis humani humores efficacia & influxu abusum, infelicem puerulum mirandum in modum torsisse. Quod ex Marci IX: 25, 26. liquido constat: nec male expressum est à Rustico Elpidio, Lib. v. ℣ſ. 245.

> *Repserat in miserum rabies horrenda furoris*
> *Dæmonis afflatu, propria qui peste nocivus*
> *Allidit captas fœdo discrimine mentes,*
> *Menstrua deciduos quum luna recolligit ignes.*

Neque ægros curare contentus, mortuis vitam restituit. Gradu sibi quandoque ab illis ad hos facto. Postquam enim centurionis famulum, morti vicinum, sanitate donasset, postridie vita donavit vere mortuum. Luc. VII: 10, 11. Eodemque die quo curavit fœminam ad duodecimum annum laborantem, ex morte revocavit duodecennem puellam. Marc. v: 25, 42. Imo & in mortuorum suscitatione gradationem quandam deprehendere licet. Excitavit enim recens mortuam Jairi filiam. Luc. VIII: 49. Excitavit feretro impositum Naimiticæ viduæ filium. Luc. VII: 12. Excitavit sepulcro jam ad quartum diem conditum, putrescentem Lazarum. Joh. XI: 39.

VIII. Non ex hominum, sed suo & Patris arbitrio præstita.

VIII. Quæri posset, cur in tanta miraculorum varietate non placuerit Christo rogantibus ipsum Pharisæis & Sadducæis in eo gratificari, ut signum aliquod è cœlo ipsis ostenderet; qualia fuerant tonitrua & fulgura in Legislatione, & Manna, cœlestis ille panis, quo pasti in deserto Israëlitæ fuerunt. Mat. XVI: 1. & seq. Cujus rei ratio non ea profecto est, quod difficilius fuerit Jesu cœleste ejusmodi signum dare quam quidvis aliud: æqualis enim potentia ad omnia requiritur. Sed perspectam habuit Jesus pravam rogantium mentem, qui non docili animo suppliciter petebant, sed ex superbia, protervia, contumacia postulabant, ut non pro Dei & Christi voluntate, sed pro suo arbitrio, signum ipsis concederetur: quasi ea quæ hactenus facta essent fidei faciendæ non sufficerent. Rogabant enim

tentantes. Id eſt, non diſcendi ſtudio, ſed per fraudem captantes, quod vel negatum ſibi iri putabant, vel non credebant eſſe in manu Jeſu. Quia enim nihil niſi humile & contemtibile ſibi de illo perſuaſerant, non aliud illis propoſitum fuit, quam ut deprehenſa ejus infirmitas quidquid hactenus acquiſierat laudis apud populum abrogaret. Talibus autem hominibus reſpondet Dominus, non ut ipſi vellent; ſed ut ſibi ad tuendam numinis Majeſtatem commodum videtur: non æquum eſſe exiſtimans, ut homines leges præſcribant Deo. Illudebant Jeſu procaces homunciones, non magis credituri iis quæ petebant ſignis, quam crediderant cæteris: non enim fidei vacillantis fulcra, ſed petulantiæ nutrimenta quærebant. Adhæc, importunum erat tonitrua, fulgetra, tempeſtates pro ſigno iterum poſtulare; quod œconomiæ quidem Moſaicæ conſentaneum erat, non item mitiſſimi Meſſiæ Evangelio; ubi Deus habitare mavult in ſuſurro tenui ſilentii. Importunum erat Mannam iterum exigere; quod ea non niſi deſerti panis eſſet, in omni alterius cibi indigentia; nunc autem Iſraëlitæ in terra degebant quæ lacte ac melle fluens omnium ipſis rerum copiam ſuppeditabat. Et ediderat jam Jeſus ſignum ſuppeditationi mannæ analogum in prodigioſa illa panum piſciumque multiplicatione. Jure itaque ſuo uſus eſt, quum dixit, *Gens mala atque adulterina*, degeneres Abrahæ nepotes, *ſignum requirit*, ex mera poſtulandi protervia, *ſed ſignum non dabitur ei niſi ſignum illud Jonæ Prophetæ*, ſignum non è cœlo, ſed ex abyſſo: unde uti Jonas vivus prodiit, ita & ego aliquando vivus prodibo tertio à morte mea die: quod invictiſſimum non innocentiæ ſolum meæ, ſed & Divinæ miſſionis, immo & Divinitatis ipſius, argumentum erit.

IX. Benefica, & ſalutaria hominibus.

IX. Ex iis quæ hactenus diſputavimus palam eſt, id quoque ſingulare habuiſſe Chriſti miracula quod *Benefica* fuerint, & cum hominum ſalute conjuncta; ſecus ac pleraque Moſaica, ad terrorem incutiendum, multorumque, non hoſtium duntaxat, ſed & Iſraëlitarum proterve agentium, perniciem comparata: quam ob rem, præter rationem equidem, ſed tamen exprobratum ipſi à popularibus eſt, quod *morte affecerit populum Jehovæ*, Num. XVII: 6. Enimvero terrificum iſtud miraculorum genus apprime idoneum erat, tam populi Iſraëlitici genio, præfracto & rebelli & vix aliter in ordinem cogendo, quam œconomiæ Moſaicæ, quæ miniſterium mortis haut immerito vocatur. 2 Cor. III: 7. Longe alia ratio miraculorum Jeſu fuit, qui *obambulavit beneficiis afficiens, & ſanans omnes ſub poteſtatem diaboli redactos, quoniam Deus erat cum eo.* Act. X: 38. Cui idcirco teſtimonium hoc à perculſis ſupra modum ſpectatoribus perhibitum eſt, *Bene omnia fecit: facit ut ſurdi audiant, & muti loquantur.* Marc. VII: 27. Ita prædictum de Meſſia erat. Jeſ. XXXV: 5. Ita decebat eum, qui omnigenam mortalibus ſalutem ſuo in mudum adventu allaturus erat, & corporalium malorum ablatione, ac corporalium bonorum collatione, demonſtraturus, ſe eum

eſſe

esse cui perfecta animarum salus debeatur. Mat. VIII: 16, 17. Ita conveniebat Oeconomiæ Evangelicæ, quæ tota gratiæ est, & miracula exigit salutifera: ad quæ tum videnda tum percipienda alliciantur homines, turmatimque advolent, laudantes & glorificantes Deum, quod tantam potestatem dederit hominibus, talemque iis excitaverit Prophetam Mat. IX: 8. Luc. VII: 16.

X. Unicum solummodo alterumve θαυματουργίας κολαστικῆς, ut Veteres loquebantur, exemplum extare Dominus voluit; non in homines, sed in Gadarenorum porcos, (inutile Judæis pecus, & quorum non esus solum interdictus, sed & nutritio infamis) Jesu permittente à dæmonibus in mare præcipitatos, & in unicam arborem, quæ, ad viam plantata, in nullius fortasse privati bonis erat. Ut appareret, eum qui tam illustria semper miraculosæ suæ clementiæ documenta dedit, non tamen omnem severitatem suam adversus ingratos, pertinaces ac refractarios prorsus deposuisse: quam si rarius exercuerit, non ex potentiæ illud defectu, sed gratiæ abundantia provenire. Optime *Isidorus Pelusiota. Lib.* I. *Epist.* LI. Ἐκ τῆς ἀψύχου τοίνυν οὐσίας πείθει τὸν ἀχάριστον δῆμον, ὅτι καὶ ἀμύνασθαι δύναται, καὶ ὡς ἀγαθὸς οὐ βούλεται. Cæterum hac de re & alibi aliquid dixi, & deinceps ex professo dicendum erit. Paucula etiam Apostoli severitatis exempla in nomine Jesu statuerunt, quale erat illud Petri in Ananiam & Sapphiram Actor. V. & Pauli in Bar Jesum Actor. XIII: 10. & in eos fortasse qui tradebantur satanæ. Neque abnuo si quis eo referenda existimet *arma illa militiæ Apostolicæ*, quæ Paulus 2 Cor. X: 4, 6. laudavit, ut *divinitus valida ad destructionem munitionum, quibusque in promtu habebat vindicare omnem contumaciam*. Sed contendo, rarissime Apostolos, nec nisi summa urgente necessitate, iis esse usos: quum infinita ubique extent tam in Jesu quam Apostolorum rebus gestis admirandæ beneficentiæ monumenta.

X. Uno alterove excepto.

XI. Non sine caussa *admirandam* dico Jesu beneficentiam; quæ admirabilitas non in ipsa solum re, sed & in modo eam conficiendi eluxit. Non enim lenta manu patrata Jesu signa fuerant, nec ad morbos curandos emplastra, pharmaca, catapotia magno molimine adhibita sunt; sed pleraque fere ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, verbo, nutu, contactu, ab eo, aliquando præsente, nonnunquam & absente, confecta: aut, si quandoque quædam ipsi adhibere placuit media, ea talia fuerunt ut nullam ad ejusmodi effectus productionem efficaciam habere per se liqueret; quin & si non dicis caussa, eo saltem fine adhiberentur, ut demonstratum daret, qualibet re se curare & perficere posse quod vellet. Nemo Prophetarum ante Jesum sua sic unquam miracula fecit. Pleraque quæ Mosi adscribuntur, aut speciali Divino jussu, aut conceptis ad Deum precibus fecisse legitur. Elias item, cæterique ex prophetarum ordine. Quanto molimine Elisæus usus

XI. Prorsus denique admiranda.

sit ad excitandum Sunamitidis filium, prolixe exponitur 2 Reg. IV. At Jesus noster ventos objurgavit, & mari dixit, *Sile*, & mox facta est tranquillitas magna. Matth. VIII: 26. leproso dixit, *volo, purgator*, atque è vestigio purgata est lepra ejus. ℣ſ. 3. centurionis paralyticum puerum curavit absens, perspectaque & laudata heri fide, dixit centurioni, *Abi, & ut credidisti fiat tibi*; sanatusque est puer ejus eo ipso momento. ℣ſ. 14. Dixit surdo & muto, *Ephphata*, & ex templo apertæ sunt aures ejus, & solutum linguæ vinculum. Marc. VII: 34, 35. Dixit mortuæ, *Talitha Kumi*, & mox surrexit puella, atque ambulavit Marc. V: 41, 42. Dixit Lazaro jam ex morte olenti, *prodi foras*, & sine mora qui fuerat mortuus prodiit pedes & manus vinctus fasciis. Joh. XI: 43, 44. Fimbriam vestimenti ejus in turba comprimentium tangit αἱμοῤῥοοῦσα, & dictum factum à duodecennali fluxu sanatur. Marc. IX: 20. Ubi, quando, post ultimam hominum memoriam facta, visa, audita sunt similia? Matth. IX: 33. Joh. IX: 32. & XV: 34.

XII. Non aliena, sed propria sua potestate facta.

XII. Quarum rerum observatione eo paullatim deducimur, ut asseverare ausimus hoc esse Jesu nostro singulare, quod *non potestate aliena*, externa, sibi assistente, ut alii Prophetæ omnes, sed *sua propria*, id est suæ Deitatis virtute, miracula fecerit. Postulat ea res aliquam ἐπιμονήν; indiga quippe uberioris expositionis. Nimirum considerari Jesus noster in triplici differentia potest; qua *homo*, qua *Mediator*, qua *Filius Dei*. Humanæ ipsius naturæ, ne quidem glorificatæ, veram, realem, & propriam miracula faciendi virtutem communicatam esse, dicere non sustinemus. Ea enim, quamvis supra creaturas omnes eximiis decorata privilegiis, est tamen semperque manet in ordine creaturarum; neque magis Divinæ omnipotentiæ quam ipsius Deitatis capax. Mediatorium officium includit quidem ὑπεροχὴν Deitatis, sic ut à non-Deo præstari non possit, attamen Mediator qua talis Patris nuncius & servus est, qui Patris nomine & auctoritate omnia facit, ipsaque adeo miracula ad probandum sui à Patre missionem. Ideo dixit, *se a se ipso nihil facere* Joh. VIII: 28. sed quæ facit opera, ea se *facere in nomine Patris sui*. Joh. X: 25. atque adeo *opera Patris sui esse*, ibi. vers. 37. quippe *quæ dedit ipsi Pater ut faceret*. Joh. V: 36. Eodem pertinet Petri illud Act. II: 12. *Jesus ille Nazarenus, vir à Deo approbatus apud vos, præstantibus factis & prodigiis & signis quæ edidit per ipsum Deus*. Hoc intuitu dicitur *unctus Spiritu Sancto & potentia*, & miracula fecisse, *quoniam Deus cum ipso erat*. Act. X: 38. Et sub eadem Mediatoris sive nuncii σχέσει Patris sui opem imploravit: & pro ea impetrata gratias egit, cuncta ad Patris honorem referens. Joh. XI: 40, 41, 42. Attamen non impediunt hæc omnia, quo minus is qui voluntaria œconomici officii susceptione Patre se minorem exhibuit, alio intuitu *parem se fecerit Deo*, eandem sibi cum Patre virtutem, easdemque operationes attribuens: quatenus nimirum idem

cum

cum Patre Deus est. Huc tendit pulcherrima ista, ac prorsus Divina adversus incredulos Judæos disputatio, quæ extat Joh. v: 18. ubi ex operibus suis non id tantum probat quod alibi, se a Patre missum, sed Patri Deo parem esse: nam *quæcunque Pater facit, hæc Filius pariter facit*, id est æque ac non minus, atque adeo una & conjunctim. Non dicit τȣ́τοις ὅμοια ποιεῖ, *his similia facit*, sed ταῦτα ὁμοίως ποιεῖ, *eadem ista pariter facit*, ȣ̓ κατὰ τὴν τῶν γινομένων ὁμοίωσιν, ἀλλὰ κατὰ τὴν τῆς ἐξȣσίας ὁμοτιμίαν, uti explicat Nazianzenus. *Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat: ita & Filius quos vult vivificat. Sicut enim Pater habet vitam in se ipso, & Filio dedit habere vitam in se ipso.* Atque hac sane ratione optime dicitur, Jesum Filium Dei Divina sua virtute, quæ quamvis ipsi propria, à virtute Patris tamen nunquam sejuncta est, miracula sua patrasse. In cujus potentiæ & honoris consortium nemo est admissus mortalium. Nimis enim Mosen supra cæteros Prophetas in eo quoque Hebræorum magistri extollunt, quod quum hi nulla nisi precum interventu miracula fecerint, ille etiam sine precibus, pro lubitu. Quo pertinuisse volunt portentificam illam virgam, de qua incredibile est quas narrent nænias, fabulantes veluti pro sceptro ipsi datam, in symbolum auctoritatis, cui tota se rerum natura subjiceret. At secus se res habet. Ipsa enim ejus historia docet, non fecisse ipsum miracula nisi vel ad preces suas, vel ad expressum numinis mandatum.

XIII. Non est existimandum, vel Marcum potentiæ Jesu quidquam detrahere, quum dixit Cap. VI: 5. *neque potuit illic virtutem ullam edere:* vel ipsum Jesum, dum sic loquitur Joh. v: 19. *Amen, Amen dico vobis, non potest Filius à semet ipso operari, nisi viderit Patrem operantem.* Marci enim dictum non de absoluta intelligendum est potentia, sed ea quam sapiens moderatur voluntas. Non poterat, id est per leges quas ipse sibi posuerat, non licuit ipsi, non fuit ei decorum, miracula ibi edere. Non id solebat facere, nisi rogatus, & ubi credebatur posse id ab ipso fieri. Non enim miracula faciebat ad ostentationem, aut captandam sibi gloriam; quod impostorum & circumforaneorum est; neque benefacere volebat invitis ac beneficia sua repellentibus. Oppido eleganter *Hieroclis* verba huic rei accommodavit *Clericus*: Τῷ τῆς προαιρέσεως ȣ̓ τῆς φύσεως μέτρῳ τὴν δύναμιν κανονίζει. Jesu apud Johannem sermo ex connexione exponendus est. Litem ei eo nomine intenderant Judæi quod ægrum sanasset Sabbato: ille exculpat factum, quum non suum solum, sed & Patris sui esset; cujus ipse proprius erat Filius. Eam ob rem postulatur à Judæis blasphemiæ, quod ita loquendo parem se Deo faceret. Non negat sequelam Jesus, sed admittit, & vindicat à crimine blasphemiæ, probatque se & recte egisse, & recte locutum esse. Et quia magni momenti res erat, seria asseveratione utitur. Non male egi, inquit, curando ægrotum, neque male dixi, me operari sicuti pater meus: nam profecto ego qui Patris filius sum, non possum à memetipso

XIII. Cui non præjudicat Marci observatio. Cap. VI: 5. nec Christi dictum Joh. v: 19.

memetipso operari, mea vel potentia aliqua vel voluntate privata, quæ à potentia vel voluntate Patris sejuncta sit, nedum ei adversetur; eadem enim Patris & Filii potentia & voluntas est. Cæterum quum is qui Patris Filius idem ejusdem internuncius sit, in ea relatione ostendit ipsi Pater omnia opera sua, & in eadem relatione facit ea quæ viderit Patrem facientem, neque latum unguem à Patris exemplo recedit: ut ne hac quidem parte quasi officii male obiti accusari queat. Nec ista nuncii obsequiositas quidquam deterit de dignitate Filii: quam satis sibi asserit, dum ὁμοίως cum Patre facit omnia, & ad Patris exemplum *quos vult* vivificat. Qua voce significatur Filium habere potestatem δεσποτικὴν καὶ ἀρχιτεκτονικὴν, verbum imperans, vocationem ea quæ non sunt adducentem, & εὐδοκίας circa bonum hominis, ut id possit donare cui velit, tanquam Dominus Divinorum munerum: Vide *Coccejum in h. l.*

XIV. Hinc & aliis potestatem miracula in suo nomine faciendi dedit.

XIV. Verum & in eo Mose superior Jesus fuit, quod quum in Mosis nomine nulla ab aliis miracula edita sint, in *Jesu nomine* plurima. Multo minus portentificam potentiam cum aliis Moses communicavit. Equidem Deus seposuit aliquid de Spiritu qui in Mose erat, quod poneret super LXX Senioribus: at neque Mosis hic aliqua actio intervenit, neque de miraculis patrandis agitur, sed de iis Spiritus donis quibus designati Judices obeundo muneri suo idonei redderentur. Num. XI: 17, 25. Moses ipse, fateor, manus imposuit Josuæ, & simul aliquid ei de gloria sua impertitus est, *fuitque Josua filius Nunis plenus sapientiæ, postquam ipsi manus suas Moses imposuisset.* Num. XXVII: 18. Deut. XXXIV: 9. Cæterum id unicum exemplum est; neque ex Mosis arbitrio, sed speciali Dei mandato; nec ad spiritum portentificum, sed ad spiritum sapientiæ refertur: quamvis & ad Josuæ preces grandia deinceps miracula Deus ediderit. Jesus autem noster non modo XII Apostolis suis *dedit potestatem adversus spiritus impuros, ut ejicerent eos; & sanarent omnem morbum, & omnem languorem* Matth. X: 1. sed & LXX discipulis dixit, *Ecce, do vobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones, & supra omnem vim inimici, & nihil vos lædet.* Luc. X: 19. Imo & sectatoribus quibuscunque suis indiscriminatim est pollicitus: *Signa eos qui crediderint hæc consequentur: per nomen meum dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent,* &c. Marc. XVI: 17, 18. Et quod omnia ista excedit, ac fidem propemodum superat, majora à suis præstitum iri prænunciat quam ab ipso facta sint. Joh. XIV: 12.

XV. Imo & majora faciendi, quam fecerat ipse.

XV. Nec intra verba res stetit: nam Apostoli ac discipuli Jesu, ipso adhuc in terris commorante, miraculis inclarescere cœperunt, Luc. X: 17. præcipue tamen ea ad omnium stuporem patraverunt, postquam Jesus ad dextram Dei Patris exaltatus imbuisset ipsos virtute ex alto. Ab eo enim tempore *profecti prædicarunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante per signa subsequentia.* Marc. XVI: 20. Quorum quasi primitiæ fuerunt

in

in prodigiosa illa curatione hominis ab utero materno claudi, cui in nomine Jesu Christi Nazaraei per Petrum Apostolum repente data est solidatio plantarum ac malleorum ipsius, ut exsiliens steterit, & ambulaverit; & cum Apostolis templum ingressus sit, ambulans, & saliens, & laudans Deum, adspectante, & agnoscente toto populo Act. III. & fatente senatu, *negari non posse quod conspicuum per Apostolos signum editum sit, quum id manifestum sit omnibus habitantibus Hierosolymis.* Act. IV: 16. Quid singulis commemorandis immoror? Pro omnibus ad absolvendam Jesu fidem sufficiunt duo illa quae Lucas annotavit; quorum alterum extat Act. XIX: 11, 12. *Virtutesque non vulgares edebat Deus per manus Pauli: ita ut etiam ad infirmos deferrentur à corpore ejus sudaria seu semicinctia, & discederent ab eis morbi, & exirent spiritus improbi.* Alterum vero Act. V: 15, 16. *Adeo ut in plateas adferrent infirmos, & ponerent in lectis ac grabbatis, ut venientis Petri vel umbra inumbraret aliquem eorum — qui sanabantur omnes.* Quae aliquo saltem intuitu majora sunt iis quae patrasse legitur Jesus. Denique donum illud sanationum, & operatio virtutum, & varia linguarum genera, & prophetia, similiaque portentificae potestatis effecta, longo tempore in Ecclesia viguerunt. 1 Cor. XII: 9, 10. Omnia vero pertinuerunt ad Evangelicae doctrinae confirmationem: *quae quum primum enarrari coepit per ipsum Dominum ab iis qui ipsum audierant fuit nobis confirmata: testimonium illis praebente Deo & signis & prodigiis, variisque virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus, pro sua voluntate.* Heb. II: 3, 4.

XVI. Id enim ultimo loco de miraculis Jesu observandum est, huic fini facta esse omnia, ut ex iis tanquam invincibili argumento comprobaretur Divina ipsius missio, & doctrinae totius veritas. Ita & ipse saepius argumentatus est. Joh. V: 36. & X: 37. Mat. XI: 2,–5. Ita judicavit populi turba. Mat. XII: 23. Joh. II: 23. & VI: 2. & VII: 31. Luc. VII: 16. Ita & sapientiores è populo, qualis Nicodemus ἄρχων τῶν Ἰουδαίων. Joh. III: 2. & catus ille caecus cui visum dederat Jesus, qui argumentationum suarum subtilitate & soliditate pervicacibus Judaeorum proceribus multum facessivit negotii. Joh. IX: 29. ipse denique Romanus centurio. Matth. XXVII: 54. Et post Jesu ex mundo excessum, qui aliud tam innumerabilem hominum, sine discrimine nationum, linguarum, aetatis, sexus, conditionis, multitudinem, ad amplectendam Christi crucifixi fidem commovit, quam continuus ille miraculorum conspectus, quae ab Apostolis eorumque comitibus quotidie edebantur.

XVI. Quae omnia eo tendunt, ut comprobaretur missio ipsius a Deo, & doctrinae veritas.

XVII. Quae argumentatio quam certa fuerit ac solida, uberiori nunc demonstratione clarandum est. Sic autem conficitur: quum miracula, ut initio diximus ejusmodi operationes sint, quae naturae leges superant, Divinae semper omnipotentiae certissima sunt argumenta. Non est autem probabile, ut Deus, qui suprema veritas est, & veritatis studium hominibus

XVII. Demonstratione solida.

adeo commendat, & ad veritatis cognitionem adsequendam idonea ipsis media suppeditat, ut ille, inquam, veracissimus Deus omnipotentiam suam nequam hominibus mutuetur ad confirmationem mendacii, & deceptionem piorum ac veritatis amantium. Si quis ergo Dei nomine se venire narret, ut aliquid notabile Dei populo annunciet, si idem doctrinam adferat sapientem, piam, sanctam, Deique virtutibus consentaneam, neque repugnantem ulli anteriori doctrinæ quam olim Deus indubitatis miraculis approbavit; idemque missionem suam tali effectu probet in quo manifeste Dei digitus eluceat: causa dici non potest, cur non talis ille ut à Deo missus fidei obsequio recipiatur. Ad eum vero modum comparata hic sunt omnia. Venit in mundum Jesus, profitetur se à Deo missum esse ad monstrandam æternæ salutis viam, exponit Mosis & Prophetarum oracula, illustrat ea clariore mysteriorum elucidatione quam ulla unquam ætate auditum sit, avocat hominum mentes ab omni rerum vanarum studio ad meditationem & quæsitionem regni Dei, facit ea omnia quæ maximum Prophetarum, Messiam, facturum esse antiquissimi prænunciarunt Prophetæ; tum vero ad missionis suæ confirmationem ea edit prodigia quibus paria nulli ante ipsum Prophetæ ediderunt: obtestor nunc quamvis conscientiam, quo certiori argumento evinci potuerit ipsum ex Deo esse.

XVIII. Qua olim quoque asserta fuit missio Mosis.

XVIII. Præsertim quum eadem olim ratione asserta populo Israëlitico Mosis ad eum missio fuerit. Dicenti enim Mosi, *at ecce non sunt credituri mihi, neque auscultaturi voci meæ, nam dicent, non apparuit tibi Jehova*, respondet Jehova, instructum eum iri potestate edendi portentum coram oculis ipsorum, *ut credant*, inquit, *apparuisse tibi Jehovam, Deum patrum suorum.* Si unum portentum non sufficiat, addit & alterum: *hoc fiat*, inquit, *si non crediderint tibi, neque auscultaverint voci tuæ, & signo priori, ut credant voci, & signo alteri.* Imo & tertium subjungit; ut incredulitas, quantumvis pertinax, ad fidei subjectionem edometur. Exod. IV: 1, 2, 5, 8, 9. Neque caruit ea res successu. Nam edente Mose signa ista ante oculos populi credidit populus. ℣ſ. 30, 31. Quod autem Israëlitæ crediderunt, & credere debuerunt, de Divina Mosis ad ipsos liberandos missione, ad conspectum trium miraculorum, id etiam de Jesu credi oportuit ad plus quam trecenta miracula. Si Sareptana vidua, cujus filium Elias ex morte suscitavit, eo convicta argumento dixerit ipsi, *jam hoc experior virum Dei te esse, & verbum Jehovæ esse in ore tuo verum.* 1 Reg. XVII: 24. quid non Jesu dicere oportuit fœminam illam Nainitidem, quum filium; aut Jairum, quum filiam; aut Mariam & Martham, quum fratrem suum Lazarum, vitæ à Jesu restitutos cernerent? Si Naaman Syrus à lepra sua miraculo curatus, reversus ad virum Dei agnoverit, *nullum esse Deum in tota terra nisi in Israële*, & Elisæum ut magnum illius Dei ministrum veneratus est 2 Reg. V: 15. quid non decuit facere tot leprosos, multo compendiosiore via, solo verbo

verbo & nutu Jesu, sanatos? Ingratissimi profecto fuissent mortalium, nisi in prodigiosa ista Jesu beneficentia Dei manum fuissent exosculati, agnitis in ipso Divinitatis characteribus.

XIX. Nam & illud hic imprimis attendendum est, portentificam hanc virtutem inter characteres Messiæ esse, & pertinere ad *cœlaturas* istas, ut Zacharias loquitur III: 9. quibus insigniri hunc lapidem oportuit. Jes. XXXV: 5, 6. Unde factum est ut Jesu tempore omnes ingentem miraculorum vim à Messia expectaverint; ipsique adeo Pseudo-Messiæ, quorum eadem fere ætate vilis annona erat, vix aliter nisi miraculorum jactatione commendabiles se facere conati sint. *Abarbanel* in commentariis ad Jes. XI. enumerat decem Messiæ proprietates, quæ totidem conditiones sint, adeo in Messia requisitæ, ut, si vel una desit, pro Messia haberi non debeat. Harum sexta sunt הנסים והנפלאות שיעשה מלך המשיח כנגד הטבע *signa & miracula quæ faciet Rex Messias contra naturam.* Idque probat ex Joël. II: 18. *Dabo prodigia in cœlo & in terra.* Recte, & ex κατηχήσει veterum. A qua sine dubio recessit *Maimonides* in *Tractatu de Reg. cap.* XI. ubi vetat cogitare, *quod Messias necesse habeat signa & prodigia facere, & naturæ ordinem innovaturus, aut mortuos in vitam revocaturus sit, similiave patraturus, quæ stolidi sibi Christiani imaginantur: quoniam sapientes Judæorum à Ben Cozba, qui se Hadriani Imperatoris ætate pro Messia gerebat, nullum signum poposcerint.* At mirum non est, quod nulla admodum prodigia à Messia expectet, qui de Mosis etiam miraculis perquam tenuiter sentit: neque asseverare veretur, in *Tractatu de Fundamentis legis: Israëlitas non credidisse Mosi propter ea quæ patravit miracula, quia qui propter signa credit, illius animo facile oboriri potest suspicio, magiam fortassis & præstigias subesse: ideoque Mosen, quæ in deserto fecit miracula, ea fecisse quod necessitate cogeretur, non ut suam inde missionem probaret.* In qua sagacissimum Hebræum fugit ratio. Aliter enim historia sacra habet. Exod. XIV: 31. *Quum vidissent Israëlitæ opus illud maximum, quod edidit Jehova contra Ægyptios, timuerunt populus ipse Jehovam, credideruntque Jehovæ, & Mosi servo ejus.* Et quorsum quæso pertinebat prodigiosa illa seditiosorum pœna? Nemo id melius ipso Mose dixerit Num. XVI: 28. *Hac re cognoscetis Jehovam misisse me ad faciendum omnia opera ista.*

XIX. Virtus portentifica inter characteres Messiæ est.

XX. Sed ad Jesum redeo. Neque diffiteor, jure quodam suo Judæos miracula ab ipso proposcisse, modo modeste & sincero id fecissent animo. Quamvis enim, si doctrinæ summam spectes, Jesus, non secus ac Paulus, nihil dixerit extra Mosen & Prophetas; constat tamen, quod, adducto per ipsum & in ipso legis complemento, cessaturam veterem œconomiam monuerit, locum facturam œconomiæ meliori. Quum vero vetus illa, quam antiquandam docuit, indubitatis fulta fuerit miraculis; æquum est ut novam illam suam non minoribus certe, neque paucioribus, muniret: quo Judæorum animus, æquali ad minimum evidentia, de posteriore ista

XX. A quo miracula petere suo quodam jure Judæis licuit.

Divinæ voluntatis parte convinceretur. Nec eo in casu miracula miraculis opponuntur, ut alia aliorum valentiam retundant; non magis quam Divina voluntas opponitur sibi. Sed sicuti Deus, pro sapientiæ suæ immensitate, omnia disponens suaviter, quemadmodum unicuique ætati condecet, æterno suo consilio constituit nonnulla ad tempus præscribere, quæ illi tempori consentanea erant, iis vero deinceps alia substituere, convenientiora tempori correctionis: ita eidem placuit tam primam institutionem, quam sequentem correctionem, miraculis firmare, ut utraque pari fidei promptitudine reciperetur. Atque hæc est vera ratio, cur Jesus & Apostoli ipsius, doctrinam suam, in qua Mosaici cultus antiquatio erat, miraculis firmare debuerint; nimirum ut palam facerent, se non minus à Deo missos esse, ad prædicationem Evangelii, quam Moses ad prædicationem Legis. Quod quum factum sit adeo luculenter, & eodem quidem miraculorum genere quod prædefiniverat Jesajas; quid restat, nisi ut eum pro Messia, Prophetarum omnium principe, agnoscamus?

XXI. Cur miracula sæpe sua vulgari Christus vetuerit.

XXI. Disquiri hac occasione meretur, quoniam Christus pleraque miracula sua in multorum hominum conspectu patravit, & eo quidem fine ut Divina ipsius missio ex iis probaretur, cur frequenter & vehementer eorundem divulgationem interdixerit? Quomodo enim latere poterat quod turba teste patravit, aut cur patravit in turba, quod cupiebat celari? Et cur celari voluit, quod tantæ ad Judæorum animos convincendos & fidem doctrinæ suæ salutiferæ conciliandam erat efficaciæ? Nescio an nobis homullis liceat in arcanas Divinorum consiliorum rationes inquirere; quibus sufficere debebat ad credendum id quod factum est sapientissime factum esse, ob eam rationem quia à Jesu factum, etiam si fortassis facti speciales caussas non assequeremur. Attamen, quum plerumque Jesus consiliorum suorum rationes non prorsus celaverit, sed vel factis vel dictis suis, si non palam indicaverit, saltem attendentibus subinnuerit; diligentiæ nostræ est singula excutere: si forte ad eas rationes intelligendas, & in iis sapientiam Jesu conspiciendam, eniti liceat. Non occurrit equidem generale aliquid quod motis modo difficultatibus tollendis sufficiat: nisi quis hac observatione satisfieri sibi patiatur, quod Jesus quorundam signorum à se editorum famam spargi ad tempus noluerit, non quod eam penitus supprimi vellet, sed ut acta radice maturiorem deinde & liberiorem fructum proferrent. Paulatim enim in lucem prodiit, & per certos gradus; neque aliter quam ferebat ordinatum à Patre tempus. In ipsis etiam latebris non ita desiit fulgere ejus gloria, quin in justum suum splendorem magnifice erumperet. Verum satius erit ad specialiora descendere: quia quotquot de hac re Jesu interdicta extant, ea ex circumstantiis singula suis sunt æstimanda: quod si gnaviter fecerimus, non admodum in obscuro manebit sapiens interdicti ratio. Conemur itaque,

XXII. Pri-

XXII. Primum talis interdicti exemplum occurrit Matth. VIII: 4. Marc. I: 43. ubi Jesus leproso a se mundato dixisse legitur, ὅρα μηδενὶ εἴπῃς, & quidem ut Marcus ait ἐμβριμησάμενος αὐτῷ graviter, & cum fremitu quasi, interminatus ei. Verum si ad ea quæ sequuntur attendamus, manifestum fiet, non esse indictum huic homini perpetuum silentium: sed duntaxat usque dum purgationem sui probasset sacerdotibus, eamque testatam fecisset doni imperati oblatione. Nimirum non modo volebat Jesus Divinæ legis retinens videri, quod erat revera: sed & miraculo suo fidem fieri ab ipsis sacerdotibus, & tum demum illud publicari. Ut autem fides ei fieret à sacerdotibus, præveniendi erant antequam fama miraculi in Galilæa facti ad Hierosolymitanorum aures perveniret, ne sacerdotes, quorum ea notio erat, invidiæ veneno tacti, aut leprosum eum fuisse, aut à lepra bona fide curatum esse, negarent. Ideo eum Jesus εὐθέως ἐξέβαλε protinus facessere jussit, ne fama anteverteret, & silentium imperavit donec se sacerdoti explorandum stitisset, & permissum ipsi esset munus suum offerre; quod non licebat nisi post solemnem sacerdotis declarationem. Ab eo tempore fas sanato fuit in urbem ingredi, & in societate hominum conversari; quod quum fieret, simul palam fieri necesse erat, eum à Jesu curatum esse. Idcirco addidit Jesus, hæc à se ita juberi εἰς μαρτύριον αὐτοῖς, ne deinceps ulla specie negari miraculum posset, & ut, dum eorum judicio approbatus munus obtulisset, testimonium contra se haberent, impie se facere quod Christo obluctarentur.

XXII. Uti in exemplo leprosi mundati.

XXIII. Alterum indicti silentii exemplum invenitur Mat. IX: 30. καὶ ἐνεβριμήσατο αὐτοῖς Ἰησοῦς, λέγων, ὁρᾶτε, μηδεὶς γινωσκέτω. Hic alia prorsus interdicti ratio est, rursus ex textu elicienda. Duobus cæcis videndi facultatem dederat Jesus. Factum id erat domi, intra privatos parietes. ℣. 28. Idcirco divulgari vetuit, ne fraudis aliqua subesset suspicio, ac si cæci illi, revera non cæci, subornati fuissent abs Jesu aut suis, ut miraculose se sanatos esse mentientes illustriorem Jesu famam redderent. Nempe calumniæ & cavillo omni ansam præcidere voluit, certus, miracula quæ in publico faciebat, exceptione omni majora, abunde sufficere ad doctrinæ suæ assertionem, & Patris sui glorificationem, ut non opus haberet quidquam fœnerari ex iis quæ in privatum paucorum commodum privatim faciebat. Idem fortasse applicari potest surdo illi & muto, quem oblatum sibi ad mare Galilææ *abduxit Jesus à turba privatim*, ibique curavit Marc. VII: 33, 36. Itemque cæco, quem *extra vicum eductum* sanatumque domum suam misit, cum interdicto ne in vicum illum ingrederetur, neque cuiquam in vico quæ sibi contigerant enarraret. Marc. VIII: 23, 26. Fortassis etiam indignos judicavit vici istius incolas, qui nova miracula viderent, aut fieri audirent, ob ingrati & pervicacis animi duritiem. Non enim assensum à me impetrant, qui innocua quadam simulatione Jesum usum

XXIII. Et cæcorum quibus videndi facultatem dedit.

fuisse contendunt, & indixisse silentium ut acueret vulgandi desiderium. Sic enim fere comparatum esse, ut ruamus in vetita, & nihil minus tacere queamus, quam quæ tacere jussi sumus. Cæterum non solet Jesus ad eum cum auditoribus suis modum ludere, aut vetando jubere: & quacunque mente beneficium in se collatum homines isti vulgaverint, ego illos male fecisse non dubito: quum longe sanctius sit simpliciter obedire, quam ex nescio qua *δοκησισοφία* de mandatis Dei pro nostro lubitu arbitrari. Quod quam care olim Sauli constiterit, omnibus notum est.

XXIV. Et hominis, cujus aridamanus est sanata.

XXIV. Tertium exemplum extat Mat. XII: 16. ubi homini cujus aridam manum sanaverat, aliisque multis è turba similia expertis beneficia, *interminatus* esse perhibetur, *ne se manifestum facerent*. Quo autem interminatio ista tetenderit, melius cognoscemus, si comparaverimus Marci narrationem Cap. III: I—II, 12. *Et spiritus impuri quum eum conspexerant, accidebant ei ad pedes, & clamabant, dicentes Tu es filius ille Dei. Ipse vero multum interminabatur iis, ne ipsum manifestum facerent.* Observo igitur I. Non generatim, neque diserte, interdicere hic Jesum gratam prædicationem miraculosarum curationum quibus quam plurimos beaverat, sive illi dæmoniaci fuerint, sive alii quicunque. Quorsum id vetuisset? Fieri enim non poterat, ut quæ in tanta hominum frequentia faciebat non dispalescerent ad alios, silentibus licet iis quibus silentium impositum esse creditur: Nec verba Domini tale interdictum important. Non vetat ne publicarent miracula, sed *ne se manifestum facerent*, clare enunciantes eum esse Dei filium. Non enim veritatis istius disertam prædicationem tempestivam esse judicavit, ante sui ex mortuis suscitationem. Matth. XVI: 20. XVII: 9. II. Minime omnium voluisse ut tale sibi testimonium diceretur à spiritibus impuris per obsessos homines loquentibus: ne ullum sibi cum iis commercium esse videretur. III. Si quod de manifestatione Jesu dicitur ad opera etiam ejus miraculosa extendendum sit, observandam hic esse censeo temporis rationem; quam Matthæus indicat. Nimirum conjuraverant jam Pharisæi in necem Jesu, neque oportunum arbitratur nequitiam eorum intempestiva miraculorum suorum jactatione provocare, ne ante tempus rabiosorum canum instar in ipsum irruerent. Sic ut indicti silentii, & secessionis Jesu, eadem fuerit caussa.

XXV. Et Filiæ Jairi ex morte suscitatæ.

XXV. Addi potest exemplum filiæ Jairi, quam quum ex morte suscitasset Jesus, *multum imperavit domesticis ne quis id resciret*. Marc. V: 43. Luc. VIII: 56. Quorsum illud? Nam tametsi non omnes promiscue ad spectaculum resurrectionis admiserit, non poterat tamen diu latere miraculum. Forte igitur non tam rem ipsam quam modum taceri voluit; & quidem ad tempus. Videmus enim, ut aliis quoque locis quæsiverit oportunitatem. Spatium aliquid dari voluit, quo quieti & compositi Dei opus expenderent. Adhuc, noverat Jesus hinc curiositatem vulgi, inde sacerdotum

pessime

pessime erga ipsum affectorum invidiam, vulgatione magnorum istorum miraculorum irritari: ut illi nescio ad quem terrenum honorem ipsi præstandum impellerentur, isti vero magis ad insidias struendas accenderentur. Accedit, quod nondum tempus esset quo pro Christo Dei palam ipsum vulgari oportebat. Concludo verbis Grotii: *imperium suum in mortem ipsam nolebat hoc tempore evulgari, ut quod post resurrectionem demum ipsius omni mundo esset publicandum. Interim aliqua ejus potentiæ signa nonnullis cognita esse voluit, quæ mox ipsi quoque resurrectioni fidem adstruerent.* Non incommode hæc à Viris eruditissimis annotata esse arbitror. Credibile tamen est, alias quoque Christo caussas fuisse, & fortasse longe majores, nobis incognitas, cur miracula quædam sua ad tempus publicari interdixerit.

DISSERTATIO VI. QUÆ EST II.

DE MIRACULIS JESU.

Qua
Eorum veritas contra Judæorum & Gentilium exceptiones vindicatur.

BREVIARIUM.

I. *Orobii exceptiones contra miracula Jesu.* II. *Quæcunque miraculis Jesu objiciuntur, eadem specie opponi possunt miraculis Mosis.* III. *Omnes idonei testis conditiones in Apostolis inveniuntur.* IV. *Et primo quidem accurata rerum de quibus testantur scientia.* V. *Quam asseverata narratione probant.* VI. *Dein Probitas ac Fides.* VII. *Porro omnis proprii commodi abnegatio.* VIII. *Impetita quidem ab Orobio.* IX. *Sed improbe, & malitiose. Nam neque honores sibi ex Evangelio polliceri potuerunt.* X. *Cujus ministerium, quamvis in se dignissimum, cum mundi opprobrio conjunctum erat.* XI. *Neque ipsis se discipulis suis commendabiles reddere, valuerunt, nisi per demonstrationem spiritus & potentiæ.* XII. *Nec divitiarum spe illecti Evangelium promulgarunt.* XIII. *Denique invictam in veritatis assertione constantiam malis omnibus opposuerunt.* XIV. *Quam arrodit quidem Orobius:* XV. *Sed contra rerum lucem.* XVI. *Nunquam Paulus Evangelii caussam trepide aut dissimulanter egit: nec apud Judæos.* XVII. *Nec apud Gentiles.* XVIII. *Talia sunt Christi miracula, ut, si non extiterint, ne fingi quidem potuerint.* XIX. *Rursus obnitente Orobio.* XX. *At frustra.* XXI. *Miracula Jesu celebrata sunt scriptis Hebræorum.* XXII. *Et Gentilium: ipsius etiam Juliani.* XXIII. *An & celsi?* XXIV. *Ea certe ætate crebra adhuc fuisse Christianorum miracula asseverat Origenes.* XXV. *Et Tertullianus.*

Atque

I. Orobii exceptiones contra miracula Jesu.

ATque hæc quidem de Miraculis Jesu ex Evangelica historia simplici sermone disseruimus: nunc ea excutiamus quæ tam Judæorum quam Gentilium pervicax opposuit incredulitas. Quæ quamvis & numero multa, & genere diversa sint, ad duo tamen summa capita referri posse videntur. Nam & facta esse negant miracula quæ ab Evangelistis Jesu attribuuntur, & si facta esse concederent, non tamen Divinam ex iis missionem, & doctrinæ veritatem, multo minus ipsius personæ Divinitatem, probari posse contendunt. *Primo itaque loco observari jubent, Apostolos, quorum narrationi tota illa miraculorum historia innititur, plerumque fuisse ex infima plebe homines, nullius apud populares suos auctoritatis & fidei; saltem fuisse Jesu magistro suo obnoxios, & domesticos testes, qui quibus inducti fuerint ad ea narranda rationibus, sive simplicitate sua decepti, sive calliditate sua deceptores; non admodum nunc liquere: certe Judæorum sapientiores neque Jesu viventi credidisse, neque post ipsius mortem Apostolis, quantavis se prodigiorum admirabilitate jactarent; & si qui ipsos sectarentur, ii qui fuerint, aut cujus indolis, & conditionis, neminem nunc nosse: constare autem, quod plerique ex infima plebe fuerint: cæteros fortasse fuisse Samaritanos, & Idumæos, qui nil præter nomen Judæorum habebant. Nec aliud probari, eo quod dixerint se vidisse, audivisse, & manibus palpasse: idem enim dictum esse de miraculis Virginis Mariæ, hostiæ sacratæ, omniumque qui Papistis coluntur Divorum; quibus non minus fidei præstitum est à Romano-Catholicis quam Evangelico, idque per plus quam mille secula (voluit dicere annos); ita credidisse avos nostros, proavos & atavos: quo tempore si quis fuisset oblocutus eum non minus quam pro perfido Judæo aut pessimo hæretico fuisse habendum: quamvis eo tempore exactior fuerit ordo miraculis discernendis quam Christi & Apostolorum ætate: nec à rudi solum incultaque plebecula miracula ista fuisse credita; sed & à Christianis Monarchis, Regibus, Principibus, & viris doctissimis; qui nec falli se credebant, nec alios decipere ex malitia volebant.* Vide *Orobii tertium scriptum Ad Quart. Quæsit. Numm.* 111. *p.* 153.

II. Quæcunque miraculis Jesu objiciuntur, eadem specie opponi possunt miraculis Mosis.

II. Verum enimvero non desunt nobis Christianis quæ Judaicis istis cavillationibus solide reponamus. Et primo quidem mirum merito videri queat, quod animo suo non reputaverint Judæi, eadem quæ miraculis Jesu objiciunt, eadem specie, vel etiam majori, opponi posse miraculis Mosis. Horum enim ipse unicus testis est: quædam etiam ipsi soli apparuerunt, uti illud de ardente rubo in deserto Midian, quod tamen cæterorum fere omnium fundamentum est: alia partim in Ægypto patrata, omnium artium Magicarum celeberrima sede ac schola; partim in horridis Arabiæ desertis, in conspectu unius populi, & quidem rudis ac stupidi, cui non dederat Jehova oculos ad res sacras perite discernendas: omnia vero crassissimæ caliginis & profundæ ignorantiæ temporibus facta sunt. Nonnulla etiam caussis naturalibus adscribi posse à quibusdam naturæ mystis censentur. Aliorum narratio specialibus premitur difficultatibus, quibus

vel

vel ſolertiſſimi Hebræorum interpretes vix ſe expediunt. Nulla tam valida fuerunt in Ægypto, ut Pharaonem de Divina Moſis ad liberandum populum Iſraëliticum miſſione convicerint. Nulla etiam tantum effecerunt in deſerto, quin frequentes non populi ſolum Iſraëlitici ſed & procerum querelæ, & murmurationes, & ſeditiones contra Moſem auditæ ac viſæ ſint, quaſi non Dei juſſu, ſed ſuopte arbitrio, res populi ac religionis conſtitueret. Si recentiorum ſeculorum miracula, non facta, ſed ficta, demant aliquid de fide priſcorum, priſca illa, quo antiquiora rudibuſque & ἀδήλοις temporibus propiora ſunt, eo minus certitudinis habere videntur. Quæ non eo à me dicuntur, quaſi auctoritati Moſaicorum miraculorum quidquam detractum vellem: nos enim Chriſtiani non minori ea admittimus reverentia quam religioſiſſimus quiſquam Judæorum. Sed ut oſtendam, ſuorum ſe quibus gloriantur miraculorum fidem deſtruere, dum impugnant noſtra (noſtra enim cenſemus quæ Jeſu ſunt): & ut reſponſiones ab iis exigam, quibus motæ contra Moſis prodigia difficultates tollantur. Eas ſi commodas ab ipſis accepero, nihil reſtabit quam ut eaſdem Jeſu prodigiis applicem: & confecta res erit.

III. Omnes idonei teſtis conditiones in Apoſtolis inveniuntur.

III. At non eſt cur opem à Judæis poſcamus, quum noſtræ nobis copiæ ſufficiant. Contendimus itaque, non poſſe meliores rerum à Jeſu geſtarum teſtes haberi, vel requiri etiam, quam fuerint Apoſtoli. Quatuor potiſſimum res ſunt, quas in idoneo teſte, etiam ſi ſummo jure experiaris, cum ratione exigere queas. I. Accurata rerum de quibus teſtaturus eſt ſcientia. II. Probitas & Fides. III. Omnis proprii commodi abnegatio. IV. Invicta animi in aſſerenda teſtimonii veritate conſtantia. Horum autem nihil eſt quod in Apoſtolis & Evangeliſtis non abundantiſſime extet.

IV. Et primo quidem accurata rerum de quibus teſtantur ſcientia.

IV. Conſtat enim fuiſſe, ex quo ſemel in conſortium Jeſu adſciti ſunt, perpetuos ejus convictores, & non publicarum ſolum, ſed & privatiſſimarum actionum inſpectores; non interdiu duntaxat, ſed & noctu: ſic ut nihil ipſis latere potuerit eorum quæ à Jeſu dicta vel facta ſunt. Niſi ipſe fortaſſis quædam eos clam habere voluerit. Sed noluit: habuit enim non ut famulos, ſed ut amicos, quibus indicavit quod à Patre audiverat, & quos conſtituit ut teſtes ſibi eſſent & Hieroſolymis, & in tota Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimas terras. Nemini ergo mortalium res Jeſu notiores eſſe potuerunt quam ipſis. Et quamvis ſimplices artiumque ſeculi ignaros fuiſſe fatear; non tamen fatuos fuiſſe, nec ſtolidos, omnis ipſorum hiſtoria clamat. Multaque ſibi comperta fuiſſe narrant, in quibus fieri non potuit ut ulla ratione deciperentur. Taceo nunc quæ omnium teſtimonio ſenſuum cognoverunt; quibus ſi certitudinem abroges, nulla in convictu hominum reſtabit cognitionis evidentia. Id certe quod in admirabili iſta animi ſui mutatione experti ſunt, quando ex rudibus & illiteratis, quales nuper fuerant, multarum repente linguarum exoticarum, & arcaniſſima-

rum rerum, incredibili peritia uno momento imbuti fuere, quod ex eo momento per totam ipsis vitam proprium mansit, id, inquam, neque figmentum, neque somnium, neque illusio esse potuit. Hoc autem si verum est, uti est verissimum, consequitur itidem vera esse quæ narraverunt cætera. Ad hæc enim sapienter quibusvis gentibus prædicanda tam stupendo dono instructi fuere. Itaque summa cum fiducia prædicaverunt ea quæ ex quotidiano Jesu convictu erant ipsis compertissima. Neque magis exprobrari ipsis debet quod domestici testes sint, quam Thucydidi, Xenophonti, Polybio, Cæsari, res quibus ipsi ut pars magna interfuerunt summo cum judicio & optima fide exponentibus.

V. Quam asseverata narratione probant.

V. Hinc est quod tanta cum fidei πληροφορίᾳ, tanta oris παῤῥησίᾳ, locuti esse deprehendantur, quotiescunque ipsis de actionibus Jesu sermo instituendus fuit. Quam confidenter de se Johannes? Evan. XXI: 24. *Hic est discipulus ille qui de his testatur, & hæc scripsit, & scimus firmum esse testimonium ipsius.* Iterumque I Epist. 1: 1, 3. *Quod erat a principio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus, & manus nostra contrectarunt de sermone illo vitæ: quod, inquam, vidimus & audivimus id annunciamus vobis.* Quam animose Petrus? II Epist. 1: 16. *Non enim arte compositas fabulas secuti notam vobis fecimus Domini nostri Jesu Christi potentiam & adventum: sed ut qui oculis nostris adspeximus illius majestatem &c.* Enimvero non cadit ejusmodi fiducia nisi in animum probum, optimeque sibi conscium.

VI. Dein Probitas ac Fides.

VI. Et fuerunt profecto Apostoli, quamvis Evangelii nomine multis exosi, inculpatæ tamen famæ viri, quorum vita nulla unquam criminis labe fœdata, imo ne calumniæ quidem morsibus lacerata fuit: sed quam aliis inculcarunt castissimam sanctitatem, ejus in semetipsis exemplum præbuerunt. Homines interim fuerunt, suis etiam infirmitatibus obnoxii; sed in hac ipsa virtutum imperfectione, illiusque confessione, veræ prorsus & inusitatæ ingenuitatis argumentum videre est. Apostoli ipsi si quid minus fortiter, si quid curiose, si quid ambitiose, si quid parum apte fecerunt dixeruntve, id in Evangelicam historiam in acta regestum est. Filii Zebedæi, Johannes & Jacobus, dextram & sinistram poscunt in regno Christi. Quis hæc prodere cogebat, arcana domus, & quæ detecta auctoritati suæ detrahere viderentur? Deteguntur tamen. Petrus imprudenter Domino obloquitur, dein labitur turpius, abnegat Dominum, plus vice simplici. Taceri hoc poterat. Attamen Marcus, discipulus ipsius, qui Petro dictante Evangelium conscripsisse traditur, victuris æternavit chartis. Quorsum? quum ob alias rationes sapientissimas, tum etiam ne fraus aliqua fieret ingenuitati. Itane animum suum induxissent scribere, si scripsissent aliter quam dictante veritate? Sed & in eo argumentum sinceritatis est, quod de miraculis Jesu differentes circumstantias omnes enarrent,

tempus,

tempus, diem, horam; locum, urbem, pagum, domum; personas, viros, mulieres: quæ quo plura, eo ad convincendum faciliora. Si mentiuntur, quid facilius est quam ut coarguantur, qui adversariis ea tela, eos ipsi gladios ministraverunt? Non ita profecto solent quibus volupe est auditorum aut lectorum suorum animos arte compositis fabulis pascere.

VII. Porro omnis proprii commodi abnegatio.

VII. Ad hæc, eo etiam Apostolorum & Evangelistarum fides valide adstruitur: quod non commodi alicujus, non lucri, non honorum spe ad ea tradenda inducti fuerint; sed pro diligentiæ suæ mercede contraria potius omnia metuenda habuerint, odium plebis & primatum, carceres, flagra, exilia, mortes dirissimas. Locum sane hic habere oportet Ovidii illud *Trist.* III. *Eleg.* X.

Vix equidem credar, sed quum sint præmia falsi
Nulla, ratam testis debet habere fidem.

VIII. Impetita quidem ab Orobio.

VIII. Tuendus hic mihi Apostolorum honor est adversus improbas Judæi criminationes; quas tamen non sine indignantis animi horrore adscribo. *Quod Apostoli,* inquit, *nec famam, nec honorem ex sua prædicatione quæsiverint, dubium est: id tamen certum, quod neque famam neque honorem amittere poterant; quippe non habebant. Quum homines infimæ plebis, & abjectissimæ fortunæ essent, ut constat ex Evangelio, pauperes piscatores, & Paulus coriorum sutor: non enim solent tales proprio decori & famæ maxime consulere. Præmium erat pauperibus piscatoribus, pro divinis habitis, omnia tradi, omnia à suis credentibus subjici. Reliquit Petrus tria retia, laceram (fracassatam* Barbare dixit) *cymbam, stolidos comites: & postea à plurimis præ oraculis ejus verba observabantur. Quocunque diverterent Apostoli, certissimum hospitium. Propterea non erat parvi pretii transitus ab eo misero statu ad divinarum rerum magisterium: & quamvis non apud omnes famam & honorem adquirerent, saltem iis qui suis verbis auscultabant in magno pretio habebantur, ut solent omnes qui nova dogmata introduxerunt: uti ex epistolis Pauli satis liquet. Divitias non adquirebant, quia non nisi inter infimam plebem vagabantur: sed neque aliquas habebant, quas quo Evangelio enunciando perderent. Saltem commodum victum ex eadem prædicatione consequebantur: ut ex plurimis Epistolarum locis constat; si quidem spontaneæ collationes ab Ecclesiis tunc enascentibus flagitabantur, quas collectæ nomine Paulus appellabat. Atque pro spiritualibus quæ ipse largiebatur temporalia petebat, textum sacræ paginæ explicans,* non obturabis ora bovis triturantis. *Fortasse tales gratiæ non erant admodum exiguæ: si quidem vendebant omnia quæ habebant, & imponebant pretium pedibus Apostolorum. Non erant divitiæ, fateor, sed erat quod sufficeret ut commode vivere possent. Et quanta, & qualia pro hoc solo fine homines cum mortis imminentis periculo committere solent, quamvis experiantur plurimos pro eisdem capitali pœna punitos? nec omnes alieno periculo emendantur.* Hæc *Orobius Script.* III. *Num.* III. *p.* 133, 134. Quæ eo tendunt, ut demonstretur

ftretur fieri facile potuiſſe ut Apoſtoli honorum aut commodorum ſpe illecti Evangelicas hiſtorias finxerint.

IX. Sed improbe, & malitioſe. Nam neque honores ſibi ex Evangelio polliceri potuerunt.

IX. Examinemus ſingula, ea quæ Chriſtianos pro manſuetiſſimo Jeſu loquentes moderatione ac lenitate decet; attamen & eo zelo quem Deo & Servatori noſtro in vindicanda fidelium ſervorum ſuorum innocentia debemus. Et de *honore* quidem & *fama* primo dicamus. Quo nomine ſi intelligat Judæus exiſtimationem, virtutis, probitatis pietatiſque ſtudio partam, nullas equidem cauſſas habet cur eam Apoſtolis deroget: qui, quamvis piſcatores, non minus honeſtæ inter ſuos famæ fuerunt, quam olim bubulcus Amoſus; non tamen vel à Judæis, vel à nobis eo minus pro Propheta habitus. Et habebant ſane quod hic *amittere poſſent*, laudabili iſta φιλοτομία ducti ut famam vitæ anteponerent; quod & Petrus oſtendit, dum ſe comiteſque ſuos ab impacto ſibi ebrietatis convitio tam accurata apologia purgat. Act. 11: 14. & Paulus, dum ſatius ſibi eſſe dicit mortem oppetere, quam ut gloriationem ſuam inanem reddi patiatur. 1 Cor. ix: 15. At ſi per famam & honorem eam Judæus celebritatem intelligat, quæ ex familiæ, opum, aut dignitatum ſplendore proficiſcitur, fateor Apoſtolos eo non fuiſſe conſpicuos: ſed & illud addo, nec potuiſſe eum ſibi ſplendorem ex Evangelio polliceri. Vide, Judæe, quam ingenue agam. Dabo tibi, quod ne petiiſti quidem. Fateor, fuiſſe ipſos olim, quamvis paupercu- los, væſana ambitione agitatos, ut & ea ſibi concupiſcerent, quæ ſortem ſuam immenſum excedebant. Nimirum habebant id ex genio gentis, præſertim qui ex familia & poſteritate Davidis erant, habebant ex genio religionis Judaicæ cui erant innutriti, ut ſublimia ſibi quæque in hoc ſeculo a Meſſia ſua pollicerentur: & quum Jeſum magiſtrum ſuum pro Meſſia agnoſcerent, a quo omnes ad familiare adſciti erant commercium, quem aliqui etiam proximo cognationis gradu attingebant, fieri vix aliter potuit quin quandoque creſceret ipſis animus, & principales ſibi opes ac dignitates ſponderent. Tantum valebat inolita animis opinio de externo regni Meſſiæ ſplendore. Mat. xx: 20. Verum poſtquam accurate à Magiſtro edocti erant, aliam prorſus regni ſui indolem eſſe, à regnis mundi diverſiſſimam; uti non promiſſas, ita nec ſperandas eſſe ex Evangelii prædicatione dignitates aut opes; ſed vel eo ipſo nomine futuros eſſe communis odii victimas, tam Judæorum quam Gentilium purgamenta & rejectamenta, aut ſi quid iis vilius nominari poteſt, ſtultiſſime ſane feciſſent, ſi honorum ſpe Evangelii, de cujus divina veritate, ſecundum Judæum, convicti utique non erant, ſuſcepiſſent præconium. Nemini fucum blandis pollicitationibus facere Jeſus voluit: eo ipſo tempore quo ad Apoſtolatum ſuos vocavit, prædixit non quid mundani honoris, ſed quantum moleſtiarum atque afflictionum inde reportaturi eſſent. Quod & ipſis muneris ſui primordiis experti ſunt, mox in carcerem conjecti, & virgis objurgati; cum

intermination

interminatione senatus Judaici, ne quidquam post hac in nomine Jesu dicerent facerentve. Nonne stultissimi fuissent mortalium, si contra tam disertas Domini sui præmonitiones, contra propriam experientiam, sub spe dignitatum & honorum, in Evangelio, quod pro figmento ipsi habuisse finguntur, prædicando perrexissent?

X. Audio non parvi pretii transitum esse ab eo misero statu, in quo fuerant olim, ad rerum divinarum magisterium. Nihil verius, certiusve. Verum id in solidum suo debebant Domino, vocanti ipsos ad officium quod omni sacerdotio sanctius, omni regali fastigio sublimius erat; & cujus omnis honor in eo consistebat, quod magni Regis principes ministri erant, ad exuendos miseros mortales errorum & vitiorum laqueis, ad pellendas crassissimas idololatriæ & superstitionis tenebras, ad accendendam novam veræ sapientiæ lucem, ad monstrandam certissimam æternæ salutis viam, & ad multarum animarum ex quavis gente & lingua myriadas ad Unius Dei cognitionem & cultum adducendas. Quo munere quid dignius, quid magnificentius, quid augustius, cogitari potest? Sed omnis ista dignitas plane spiritualis fuit, conjuncta cum contemtu & opprobrio hujus mundi. Quod nemo melius Paulo nostro dixerit: *In omnibus nos approbamus ut Dei ministri, tolerantia multa in afflictionibus, in necessitatibus, in angustiis, in verberibus, in carceribus, in exagitationibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, cum castitate, cum notitia, cum iræ cohibitione, cum benignitate, cum Spiritu Sancto, cum charitate minime simulata: per sermonem veritatis, per virtutem Dei, per arma justitiæ à dextris & sinistris, per gloriam & dedecus, per convitia & laudes, ut impostores & tamen veraces, ut ignoti & tamen noti; ut morientes, & ecce vivimus: ut qui castigamur, nec tamen morte afficimur: ut tristes, semper tamen gaudentes: ut pauperes, sed multos ditantes: ut nihil habentes, sed omnia obtinentes.* 2 Cor. VI: 4. & seq. Hæ sunt illæ opum atque honorum lautitiæ quas ex Evangelii prædicatione sperare Apostolis fas erat.

X. Cujus ministerium, quamvis in se dignissimum, cum mundi opprobrio conjunctum erat.

XI. At *habuerunt*, inquit, *quocunque diverterent certissimum hospitium.* Habuerint. Magnumne est hospitio ab iis excipi, ad quos cœlo beandos ab extremis terris magno cum discrimine & molestia accesseris? Sed nec semper habuerunt: ejecti aliquando, & cum ignominia expulsi. Pergit: *quamvis non apud omnes famam & honorem adquirerent, iis saltem qui verbis suis auscultabant in magno pretio habebantur: eorumque verba observabantur præ oraculis.* Jure meritissimo: erant enim plus quam Prophetæ. Sed scire aveo, qua tandem ratione infimæ plebis homines, pauperesque piscatores, aut cor[i]orum sutores, eam sibi existimationem parere, partamque tueri potuerint, apud homines, si non sapientissimos, certe rationis usu non prorsus destitutos. Respondet, *sic solere fieri in omnibus iis qui nova dogmata introducunt.* Profecto neque in omnibus, neque semper aut ubique. Fateor

XI. Neque ipsis se discipulis suis commendabiles reddere valuerunt, nisi per demonstrationem spiritus & potentiæ.

tamen magnum esse novitatis illicium: sed quando novitas illa à catis hominibus exornatur verborum illecebris, & speciosis rationibus. Quæ si defuerunt Apostolis, quo se tandem pacto tot millenis animis insinuarunt? Si adfuerunt, unde stolidi piscatores tantam repente nacti sunt dicendi & persuadendi solertiam? Nimirum hæc res est. Non parum in schola Jesu profecerant; & spiritu ipsius imbuti in alios subito mutati sunt homines, ex piscatoribus peritissimi rerum divinarum interpretes uno momento facti. Quod unum miraculum æquis rerum æstimatoribus sufficere debebat ad fidem cæteris faciendam. Et sic quidem demonstrasse me arbitror, nequaquam Apostolos spe honorum allectos fuisse, ut contra animi sui religionem novum Evangelium prædicarent.

XII. Nec divitiarum spe illecti Evangelium promulgarunt.

XII. Nunc de *divitiis* videamus. Quarum spem tantum abest ut unquam iis fecerit Dominus, ut potius ad domos & agros cæterasque possessiones suas deserendas hortatus sit. Neque abnuit Judæus. *Saltem commodum victum*, inquit, *ex prædicatione sua consequebantur*. Sed eundem ante sua consecuti fuerant piscatione: in qua si pergere licuisset, habuissent fortasse, si non *Plus dapis, at rixæ multo minus invidiaque*. Præterea tunc *collecta*, inquit, *ab ecclesiis enascentibus flagitabantur*. Flagitabantur. Sed in usum *pauperum*, non *Apostolorum*: ad quos vel teruncium ex iis pervenisse, non probabit Judæus. Habebant sane sibi flagitandi jus: nam æquum est ut qui Evangelio serviunt ex Evangelio vivant. Sed jure isthoc suo Paulus, in quem potissimum hæc vibrantur spicula, parcissime usus est, uti prolixe protestatur 1 Cor. IX. nec unquam convincetur falsi; quum manibus ipse suis aliquoties victum sibi parare maluerit, quam ut oneri esset Ecclesiis 1 Thess. II: 9. In collectarum autem distributione quam fuerit circumspectus, ex eo liquet, quod socium sibi peregrinationis omniumque actionum suarum, nominatim in re ista nummaria, testem sumserit, qui ad id *suffragiis Ecclesiarum delectus erat: vitantes*, ait, *hoc, ne quis nos vituperet in hac ubertate quæ administratur à nobis: ut qui procuremus honesta, non solum in conspectu Domini, sed etiam in conspectu hominum.* 2 Cor. VIII: 19, 20, 21. Pergit Judæus: *fortasse tales gratiæ non erant valde exiguæ: siquidem vendebant omnia quæ habebant: & imponebant pretium pedibus Apostolorum. Nonne hoc erat satis honorificum & proficuum?* Maligne admodum, & invidiose. Proficuum Apostolis fuisse nego. Nam distribuebantur illa bona *egenis, prout cuique opus erat*. Honorificum fuisse, concedo, quod ea probitatis existimatione homines Galilæi apud Hierosolymitanos essent, ut bonorum suorum in pauperes distributionem nullorum fidei securius committi posse arbitrarentur. Quem tamen honorem mox sponte sua Apostoli deposuerunt, substitutis sibi septem diaconis ab ipso cœtu deligendis; partim ut eo liberius vacarent precibus & administrationi sermonis, partim ut omnem πλεονεξίας speciem ac suspicionem longissime a se amolirentur. Potuitne quidquam honestius?

XIII. De-

XIII. Denique Apostolorum de miraculis Jesu testimonio fidem conciliat invicta ipsorum in ejusdem veritatis assertione constantia; nullis vel Judæorum vel Gentilium minis, nullis cruciatibus, nulli denique morti cedens. Non eo solum adduci nunquam potuerunt ut quidquam priori testimonio suo contrarium affirmarent; sed ne quidem ut silerent veritatem de qua erant persuasissimi, cujusque propagationem tanti ad generis humani salutem momenti esse credebant. Notior ea res est, quam ut ulteriore deductione indigeat. Jam vero ut quis sensus sui compos talia toleret ob conceptam animo opinionem, fieri fortasse possit: at ut ob falsum, quod falsum esse norit, tam dura pati velit, non unus aliquis, sed plures, quorum id credi nihil intersit, res est plane incredibilis. Ullusne ex omni hominum memoria monstrari poterit Historicus, qui ad fidem narrationi suæ adstruendam tantum unquam cruciatuum subire animum induxerit? Vide sodes quæ in hanc rem prolixe, eleganter & fortiter disputavit *Eusebius Demonstr. Evangel. Lib.* III. *Cap.* V.

XIII. Denique invictam in veritatis assertione constantiam malis omnibus opposuerunt.

XIV. Mirum est quantopere hæc extenuentur ab *Orobio*, cujus prolixa commentatio huc denique redit *pag.* 134. „ Vitæ periculum Apostolis „ haut adeo magnum fuisse: nullum enim timuisse nisi in Judæa, quam „ propere fugientes ad Græcos recurrerint. Porro nec a Græcis, nec a Ro„ manis multum fuisse metuendum, quippe qui in novis diis novoque „ cultu admittendo non fuerint oppido scrupulosi. Accessit, quod Chri„ stiani Judæis accenserentur, & pro peculiari aliqua Judæorum secta ha„ berentur: Judæis vero non obstante religione sua secure inter gentes ha„ bitare ea tempestate licebat. Tum & Apostolos non sine fraude ac dolo „ impendentia sibi pericula evasisse: quod Pauli exemplo liquere possit; „ qui coram Festo ac Agrippa caussam dicere coactus, omnia sibi impacta „ strenue negavit, caussatus nihil se contra circumcisionem aut patrios ri„ tus docuisse, sed in Judæorum odium incidisse quod mortuorum resur„ rectionem prædicaret, & pœnitentiam consuleret, & cœlestem quandam „ visionem sibi contigisse memoraret: quum tamen vera odii caussa esset, „ quod Jesum crucifixum Messiam esse contenderet, populumque a cir„ cumcisione cæterisque legalibus averteret. *Ecce*, inquit, *quomodo pro vi„ ribus periculum effugerint*. Eadem arte usos esse pugnant inter gentes: „ non enim publice contra Deorum cultum esse concionatos, asserentes „ Deos gentium falsos esse Deos, & nequaquam adorandos: proselytis „ quidem suis hoc religionis arcanum instillasse, ubi tuto fieri poterat; sed „ & ipsum latenter & maxima cum prudentia: at nunquam professos esse „ publice, non in foro, non in plateis, non coram sacerdotibus & princi„ pibus, à quibus puniri possent: ideoque si qui ex proselytis creditum id „ sibi arcanum revelabant eos falsos fratres dictos fuisse. Hinc factum esse, „ ut quando Paulus Ephesi argentarios urgebat, divinitatem imagine re-

XIV. Quam arrodit quidem Orobius.

„ præsentari

„ præsentari non posse, discipulus quidam ejus, captus à populo, excusa-
„ tus fuerit à judice, pronunciante nihil istum hominem peccavisse, quum
„ nec contra Deam suam nec contra templi majestatem quicquam fuerit lo-
„ cutus. Ex quo, inquit, evidenter colligitur, idololatriam gentium nun-
„ quam clare & publice palam omnibus reprehendisse, aut ut profanam
„ damnasse. Aliud enim est filium Dei natum, & injuste mortuum, & ex
„ mortuis suscitatum enunciare, qualibus narrationibus assuetæ erant gen-
„ tes: aliud, asserere omnes gentium Deos falsos esse & adoratione indi-
„ gnos. Profecto si hoc aliquando publice fecissent, mox fuissent crucifixi.
„ Sed nunquam hoc ausi fuerunt tentare.„ Hæc summa est Orobianæ di-
sputationis: qua contendit, non tantam fuisse, quantam nos credimus, Apostolorum in asserenda veritate constantiam.

XV. Sed contra rerum lucem.

XV. Sed & hæc ærugo mera & succus atræ loliginis sunt: uti ex singulorum examine constabit. Quantum vitæ periculum non in Judæa solum, sed ubivis terrarum, Evangelii caussa Apostoli subiverint, ex uno Paulo constare potest, labores, plagas, carceres, mortes toties experto: qui a Judæis quinquies accepit quadragenas plagas minus una: ter virgis cæsus fuit, semel lapidatus, ter naufragium fecit, noctem ac diem in profundis egit; in itineribus sæpe fuit, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis a gentilibus suis, periculis a gentibus, periculis in civitatibus, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis inter falsos fratres, & quæ ejus generis plura diserta oratione memorat 2 Cor. XI: 23. Quæ omnia obsequioso redimere potuisset silentio, & quietam honoratamque apud suos ætatem exigere. Verum quidem est, licuisse Judæis in medio gentium sine discrimine habitare; neque diffiteor Christianos aliquando Judæis accensitos fuisse. Sed & illud verum, Judæos, insanæ adversus Apostolos eorumque discipulos odio flagrantes, calumniis suis & criminationibus innocentissimos homines apud gentiles traduxisse ut pessimos seductores, & turbatores orbis terrarum, ac pestes denique generis humani. Act. XXIV: 5. At si quidquam, illud est falsissimum, astu usos esse Apostolos, & dissimulasse veritatem, ut evaderent pericula. Prædicarunt miracula Christi in plateis Hierosolymæ, in foro, in templo, in ipso senatu Judaico. Examinantur ab Anna Pontifice Maximo, & Cajapha, & quotquot erant ex genere Pontificio, ab eodem denique Synedrio quod Jesum neci dederat. Respondent intrepide quod res erat. Interminatur iis senatus, ne ulli post hac hominum loquantur in nomine Jesu. Petrus & Johannes nulla circuitione usi, *vos ipsi ajunt judicate, justumne sit in conspectu Dei vobis potius auscultare quam Deo: nos enim quod attinet, non possumus non loqui ea quæ vidimus & audivimus.* Quid fit? dimissi a senatu loquuntur sermonem Dei cum libertate: eumque plurimis & inauditis confirmant prodigiis. Ringuntur invidia sacerdotes. Injiciunt manus in intrepidos Evangelii præcones,

præcones, compinguntque in carcerem. Sed hi catenis ab Angelo exuti remeant in templum, docentque ut antea sermonem vitæ. Iterum ad senatum adducti, severeque a Pontifice increpiti, animose respondent, *Deo potius obediri oportere quam hominibus.* Virgis etiam cæsi *gaudent & Deo gratias agunt, quod digni habiti essent, qui pro nomine Jesu contumelia adficerentur. Et quotidie in templo & domatim non cessabant docere & evangelizare Jesum Christum.* Act. IV. & V. Hoccine est hominum latebras quærentium, quibus cum præjudicio veritatis se adversus procerum crudelitatem abdant?

XVI. At Paulus, inquit. Quid, Paulus? Illene unquam prævaricatus est in caussâ Jesu, ullave trepidantis nec constantis sibi animi signa edidit? Imo, inquit, *propter legalium prævaricationem accusatus, omnia de quibus accusabatur negavit.* Quid ni, si falso accusaretur? Sed accusatus est falsissime. *Comperimus*, sic accusator Tertullus, *hunc hominem esse pestem, & qui moveat seditionem omnibus Judæis per orbem terrarum, & principem hæresis Nazaræorum: qui templum quoque tentavit profanare.* Mera mendacia, si unum illud de hæresi quam vocat Nazaræorum exceperis. An non licuit Paulo pro sui defensione dicere, nihil horum de quibus accusabatur probari ab accusatoribus posse? quippe quem non invenerint in templo cum aliquo disserentem, neque coitionem turbæ facientem, neque in Synagogis, neque in urbe. Quum vero eo provecta est oratio, ut ad id quod de Nazaræorum hæresi cavillatus fuerat Tertullus respondendum foret, quod sane præcipuum erat; an hic trepidat Paulus? an subterfugit? an latebras circumspicit? Nihil minus. *Hoc*, inquit, *tibi fateor, me secundum viam illam, quam hæresin dicunt, ita colere patrium Deum:* quibus verbis præclaram totius Christianismi professionem edidit. Sic caussam apud Felicem egit Act. XXIV. Quo modo apud Festum Præsidem, & Agrippam Regem? Pari animi & sermonis fiducia. Jesum, Jesum Nazaræum prædicat, cujus doctrinam supra modum furens olim fuerat persecutus, qui ipsi minas mortesque spiranti in via e cœlo fuerat conspectus, jusseratque testem esse eorum quæ viderat, & eorum in quibus porro ipsi esset appariturus. Hujus Jesu passiones, mortem & resurrectionem ex morte, uti Judæis gentibusque annunciaverat, ita nunc rursus tanta animi contentione, tanta orationis vehementia, celebrat, ut Festus ipsum insanire clamaret, Agrippa verò fateretur, propemodum sibi persuaderi ut Christianus fieret. Iterum rogo, hoccine est caussam Jesu tepide ac trepide agere?

XVI. Nunquam Paulus Evangelii caussam trepide aut dissimulanter egit: nec apud Judæos.

XVII. Verum, inquit, *Gentilium idololatriam palam, publice, in foro, in plateis coram sacerdotibus & principibus redarguere ausus non est.* Non ausus? Quid ergo est quod Lystris fecit, quum Jovis sacerdotem cum tauris vittatis ad sacra facienda accedentem cerneret? inclamaretque ut *à vanis rebus converterent se ad Deum illum vivum qui fecit cœlum, & terram, & omnia quæ in iis sunt.* Cui sanctissimæ doctrinæ quum favere debuissent Judæi ex

XVII. Nec apud Gentiles.

Antiochia & Iconio venientes, maluerunt turbam ad Paulum lapidandum concitare, ut & extra urbem traxerint, existimantes esse mortuum. Act. XIV. Quomodo non in urbe solum Ephesina, sed & per Asiam universam, contra idololatriam declamaverit, & quo successu, doceat Demetrius ille Act. XIX: 26, 27. *Spectatis & auditis Paulum istum non solum Ephesinam, sed prope totius Asiæ multam turbam persuadendo avertisse, dicentem Deos illos non esse qui manibus fiant. Non solum autem periculum est, ne istud quod nobis est peculiare nobis probrosum evadat, sed etiam ut Magnæ Deæ Dianæ templum pro nihilo reputetur, futurumque sit ut etiam destruatur majestas ejus, quam Asia tota & orbis terrarum colit.* Quam prolixe etiam increpuit Gentilium Idololatriam in suis ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, epistolis? Nonne idem gravissima oratione Petrus fecit, dum ἀθεμίτους εἰδωλολατρείας detestatur I Epist. cap. IV: 3. Imo *apud disciplinæ suæ mystas*; ait Judæus, *à quibus nihil metuendum habebant mali.* Sed quales Apostoli in Epistolis fuerunt, tales etiam erant in prædicatione. Et Epistolæ ipsæ non intra paucorum servabantur conscientiam, sed prælegebantur publice, & volitabant per ora & manus virorum. Denique quibus magistris ipsi illi Christiani, olim gentiles, de idolorum vanitate fuerunt convicti, nisi Apostolis? qui dogmata sua non insusurrarunt auribus, sed ex Domini mandato prædicarunt in tectis. Neque profecto hæc *arcana quædam erant, paucorum fidei commissa;* quæ qui temere *in vulgus efferebant falsorum fratrum* dicterio notabantur; quod Judæus somniat: sed erant τὰ τῆς κοινῆς σωτηρίας, omnibus qui salvos se fieri postulabant ex æquo scienda, credenda, observanda; ideoque sine discrimine publicanda. Falsi autem *fratres* Paulo sunt *Pseudo-Judæi* quidam, qui sub nominis Christiani professione male sanis dogmatibus Ecclesias turbabant, interimque Judæis se assimilabant, *ne ob crucem Christi persecutionem paterentur.* Gal. VI: 12. Atque hac quidem ratione Apostolorum in tradendis Jesu miraculis fidem & auctoritatem contra recentissimas Judæi exceptiones satis me asseruisse arbitror.

XVIII. Talia sunt Christi miracula, ut, si non extiterint, ne fingi quidem potuerint.

XVIII. Et profecto talia fuerunt Jesu & Apostolorum miracula, ut, si non extiterint, nec fingi posse videantur. Quippe non in uno loco facta, sed pluribus; non in hypogæo, sed frequenti foro; inspectante toto populo, & in populo multis eruditis, qui ut Christo illiusque discipulis male volebant, ita cuncta ipsorum opera observabant; eademque sæpe repetita; & quorum effectus non momentanei fuere, sed permanentes, ne quis præstigias fuisse caussetur. Eo etiam tempore & loco memorata, quo facta sunt. Non enim in Judæa de rebus in India gestis locuti sunt Apostoli & Evangelistæ; sed ad portas urbis, apud Bethaniam & Bethsaidam, in suburbiis, in urbe ipsa, eo vico, ea porta, ea piscina. Vivebant testes, videbant cæci, loquebantur muti, ambulabant mortui. Quisquamne tam impudenti præditus est mentiendi lubidine, ut tam aperte falsa, si falsa sunt, fingere ausit, & credi sibi postulet?

XIX. Re-

XIX. Regerit Judæus, *quod in eo loco ubi hæc fuisse narrantur fidem non præstiterint Judæi, si quidem Christum crucifigendum tradidere, & pauci vel nulli ipsi viventi credidere. Post vero etiam paucissimi. Postea & synagogis, & per totam Græcam & Romanam ditionem Paulus & condiscipuli ab Judæis abjiciebantur: & unus vel alter infimæ plebis dicitur eam novam doctrinam secutus, toto Israële penitus negante, vel etiam despiciente. p.* 132, 133. Alibi aliquanto disertius: *si miracula hæc aut similia fecissent Apostoli in omnibus regionibus quibus Judæis Evangelium enunciabant, fortassis persuasi fuissent ad credendum: tamen verisimile est talia non egisse, siquidem pugnis & verberibus eos frequenter ex Synagogis ejiciebant. Profecto Rex ille Pharao Mosen ita rigorose tractare non ausus fuit, quamvis ab eo totum regnum desolatum atque eversum periclitatus fuerat. Sed absdubio Judæi nil viderant Divinitus effectum quo ad legem diversam accipiendam dimoverentur. p.* 92. XIX. Rursus obnitente Orobio.

XX. Cæterum hac quoque in parte ratio Judæum fugit. Non enim, uti par est, distinguit inter res natura sua diversas. Potuerunt Judæorum multi convicti esse de veritate miraculorum Jesu, & convicti fuerunt revera; etiamsi non crederent idcirco ipsum esse Prophetam de cœlo missum, & promissum patribus Messiam. Enimvero non turbæ solum ad miracula ista in omnibus propemodum Judææ urbibus stupuerunt, sed & proceres fassi sunt ea a se negari non posse, & invidia perciti quidvis sibi potius tentandum putaverunt, quam ut rem sic sinerent abire. Coëgerunt primarii Sacerdotes & Pharisæi concilium, & dicebant, *Quid agemus? Nam hic homo multa signa edit. Si omittamus eum ita, omnes ei credent: venientque Romani, & delebunt tum locum nostrum, tum gentem.* Joh. XI: 47, 48. Idem & Apostolis accidit: de quibus integer Judæorum Senatus, *quid faciemus hominibus istis? conspicuum enim signum editum esse per eos manifestum est omnibus habitantibus Hierosolymis, nec id possumus negare.* Act. IV: 16. At si ita se res habeat, qui factum est ut non crediderint Jesu vel Apostolis, nisi oppido paucissimi? Primum non adeo pauci fuerunt, ut Judæus narrat. Aliter Pharisæi inter se dixere, vivente Jesu, *videtisne nos nihil proficere, ecce mundus ipsum secutus est.* Quod credibile est sua ipsos lingua sic dixisse, הא כולו עלמא אזל בתריה Joh. XII: 19. Aliter compertum est, Jesu mortuo. *Vides, frater, quot sunt millia Judæorum, qui crediderunt: suntque omnes accensi zelo legis*, ait Jacobus Paulo in ipsa urbe Hierosolymitana. Actor. XXI: 20. Unde apparet & plurimos fuisse qui in Jesum crederent, eosdemque optime erga Mosis legem animatos; non Samaritanos, aut Idumæos, qui nihil præter nomen Judæorum habebant, uti alibi cavillatur. Deinde quod ex proceribus pauci doctrinam Jesu susceperint, licet miracula ipsius viderent, ortum est ex præjudiciis quibus jam a longo tempore imbuti erant; ex odio & invidia quæ mentes obnubilabant; denique ex fatali illa gentis cæcitate, stupore ac pervicacia, quibus sub id ævi ipsam XX. At frustra.

laboraturam esse toties prædixit Jesaias VI: 9. XIX: 10. XLII: 18, 19, 20. LIII: 1. Non tamen eo devenerunt, ut miracula Jesu vel Apostolorum prorsus negarent: sed ea vel Magiæ & artibus Diabolicis, vel alteri cuicunque caussæ, adscribere maluerunt, quam ut pro Divinæ missionis argumentis agnoscerent. *At certe*, inquit, *si talia conspexissent miracula, non ausi fuissent Christum crucifigere, quod ne Pharao quidem adversus Mosen ausus est.* Sed de Pharaone videtur esse oblitus, quod præsentem Mosi mortem intentaverit, si ad eum conspiciendum rediret. At ego missum faciam Pharaonem: id solum in memoriam revocabo, quod contra Mosen ausi sunt, non Pharao Tyrannus, non hostiles Ægyptii, sed Israëlitæ, ipsi, inquam Israëlitæ, fratres Mosis, qui tot ejus miracula, in ipsorum favorem edita, tanta cum admiratione conspicati fuerant: hi ipsi Israëlitæ, & ipsorum proceres, quales erant Core, Dathan, & Abiram, in Mosen surrexerunt, eum ut Tyrannum populique seductorem calumniati sunt, imo fuit quum de ipso lapidando consilia inirent. Exod. XVII: 4.

XXI. Miracula Jesu & Apostolorum celebrata sunt scriptis Hebræorum.

XXI. Porro tanta fuit miraculorum a Jesu & Apostolis patratorum claritudo, ut tam in *Hebræorum*, quam in *Gentilium*, quamvis juratorum hostium commentariis eorum extet memoria. Memorabile est quod *Raimondus in pugione fidei Part.* II. *Cap.* VIII. allegavit ex *Midras Cohelet*, & *Aboda Zara*: ubi narratur, *Rabbinum quendam Eleazarum filium Damah, morsum fuisse a serpente, & venisse ad ipsum Jacobum virum de villa Sechania ad curandum eum ex nomine Jesu filii Panderæ; sed scrupulum Eleazaro injectum esse a R. Ismaele ne id fieri permitteret.* In quem Raimondi locum observavit *Josephus de Voisin*, vir doctissimus & candidissimus, in editis exemplaribus *Midras Cohelet* non legi nunc, in nomine Jesu, sed בשם פלוני *in nomine Talis.* Verum id de nomine Jesu intelligendum esse colligit ex glossa Talmudica ad *cap.* II. *Aboda Zara: ubi dicitur*, יעקב איש כפר שבניה מתלמידי ישו *Jacobus vir ex villa Sechania, ex discipulis Jesu.* Aperte vero glossa *En Mispa* de nomine Jesu exponit. בא לרפואתו בשם רבו ישו *Venit ut sanaret eum in nomine Jesu Magistri sui.* Unde claret, discipulos Jesu eo tempore ægros in nomine Domini ac præceptoris sui curavisse.

XXII. Et Gentilium: ipsius etiam Juliani.

XXII. Hæc *Hebræi*. E *Græcis* autem *Julianus* desertor, etiam tum quando ex professo Christianos impugnat, & facta Jesu extenuat, miracula tamen ipsius negare non sustinuit. Ipsa callidi Imperatoris verba dabo, prout extant apud *Cyrillum Lib.* VI. *p.* 191. *edit. noviss. Lipsiensis.* ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀναπείσας τὸ χείριστον τῶν παρ' ὑμῖν ὀλίγους πρὸς τοῖς τριακοσίοις ἐνιαυτοῖς ὀνομάζεται, ἐργασάμενος παρ' ὃν ἔζη χρόνον ἔργον οὐδὲν ἀκοῆς ἄξιον. εἰ μή τις οἴεται τοὺς κυλλοὺς καὶ τυφλοὺς ἰάσασθαι, καὶ δαιμονῶντας ἐφορκίζειν ἐν Βηθσαϊδᾶ καὶ ἐν Βηθανίᾳ ταῖς κώμαις τῶν μεγίστων ἔργων εἶναι. *Jesus autem paucis vestrorum ac deterrimis quibusque persuasis, trecentos aut circiter annos celebratur. Hic toto vitæ tempore nihil admodum memoratu dignum egit. Nisi*

Nisi quis claudos ac cæcos curare, & dæmonio correptos adjurare, in pagis Betsaida & Bethania, magni alicujus facinoris numero habeat. Videte væsanum hominis in Christianos odium: quod effecit ut tam contemtim de utrisque loquatur, & ea, quæ negare non audet, extenuare præter omnem rationem conetur. Sed & videte vim veritatis, quæ invitis etiam pectoribus sui confessionem extorquet.

XXIII. An & Celsi?

XXIII. Simile quid in *Celso* deprehendere visi sunt Viri eruditissimi, ut qui pariter confessus sit Jesum cæcos & claudos curavisse. Sed, ut verum fatear, dubitare licet an non justo liberaliores hac in parte sint. Operæ pretium me facturum esse arbitror, si ingenuitati litans, & ne juniores crebra hujus loci allegatione in fraudem inducantur, integrum Origenis contextum describam. Is sic habet *Lib.* II. *contra Cels. pag.* 87. *editionis Spenceriana.* *Πολλάκις δ' ὁ Κέλσος ἤδη μὴ δυνάμενος ἀντιβλέπειν αἷς ἀναγέγραπται πεποιηκέναι δυνάμεσιν ὁ Ἰησοῦς διαβάλλει αὐτὰς ὡς γοητείας. Καὶ πολλάκις τῷ λόγῳ, κατὰ τὸ δυνατὸν ἡμῖν ἀντείπομεν. καὶ νῦν δέ φησιν οἱονεὶ ἡμᾶς ἀποκρίνεσθαι ὅτι διὰ τοῦτ' ἐνομίσαμεν αὐτὸν εἶναι υἱὸν θεοῦ, ἐπεὶ χωλοὺς καὶ τυφλοὺς ἐθεράπευσεν. προςίθησι δὲ καὶ τὸ, ὡς ὑμεῖς φατε ἀνέστη νεκρούς.* *Illud non novum est Celso, dum non valet virtutibus quæ a Jesu facta produntur resistere in faciem, calumniari eas quasi præstigias: ad quod jam sæpe respondimus ut potuimus. Addit ex* NOSTRA PERSONA, *ipse sibi respondens; ideo nos putare eum esse Dei filium, quia claudos & cæcos curavit: & quia resuscitavit mortuos, sicut vos, inquit,* CREDITIS. Quibus verbis contineri videtur non quod Celsus dat, sed quod Christiani sibi sumunt. Cæterum perinde nobis est, quid Celsus vel negaverit vel fuerit fassus.

XXIV. Ea certe ætate crebra adhuc fuisse Christianorum miracula asseverat Origenes.

XXIV. Id certum est, Celsi ætate crebra adhuc fuisse apud Christianos in Jesu nomine patrata miracula. Non enim ea impudentia fuit *Origenes*, ut, cum tam arguto tantæque auctoritatis disputans adversario, ea se vidisse asseveraret, quæ nusquam tunc gentium existere constabat. Sic autem ipse scribit *Libr.* III. *p.* 124. *In his, qui credunt Jesu, quidam in signum acceptæ per fidem virtutis mirificæ sanat ægrotos, invocato tantum super eos universorum Deo, ac Jesu nomine, recitataque de rebus ejus quapiam historia.* *Τούτοις γὰρ καὶ ἡμεῖς ἑωράκαμεν πολλοὺς ἀπαλλαγέντας χαλεπῶν συμπτωμάτων, καὶ ἐκστάσεων, καὶ μανιῶν, καὶ ἄλλων μυρίων, ἅπερ οὔτ' ἄνθρωποι οὔτε δαίμονες ἐθεράπευσαν.* *Vidimus enim ipsi multos sic liberatos à gravibus malis, alienatione mentis, insania, aliisque innumeris, quibus nunquam homines vel dæmones opem attulerunt.*

XXV. Et Tertullianus.

XXV. Imo eousque confidentiæ procedit *Tertullianus*, ut ad ipsa gentium tribunalia provocet, neque vereatur Christianos noxæ dare, nisi suam in dæmones potestatem judicibus publicis probent. Sic enim ille *Apol. Cap.* XXIII. *Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet: jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur*

de vero, quam alibi Deum de falso. Æque producatur aliquis ex iis qui de Deo pati existimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt, qui ructando curantur, qui anhelando profantur. Ista ipsa virgo cœlestis, pluviarum pollicitatrix; iste ipse Æsculapius, Medicinarum demonstrator, alias demorituris Scordii & Donatii & Asclepiodoti subministrator, nisi se dæmones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? quid hac probatione fidelius? Simplicitas veritatis in medio est. Virtus illi sua assistit, nihil suspicari licebit, magia aut aliqua fallacia fieri. Dictis non stetis, si oculi vestri & aures permiserint vobis. Quid confidentius, quid animosius dici potuit? Multa alia, & quidem illustrissima, Justini Martyris, Irenæi, Cypriani, Lactantii, aliorumque ad miracula suis adhuc temporibus frequentata passim provocantium, testimonia brevitatis caussa omitto. In ipso Niceno Concilio aliqui adhuc comparuisse narrantur Episcopi miraculis incluti, Paphnutius Thebaidis, qui vix Apostolis cessisse dicitur *Ruff. Lib.* I. *Cap.* IV. Spiridion ibid. *Cap.* V. Jacobus Nisibensis. *Theodor. Lib.* I. *Cap.* VII. Eo autem tendunt hæc omnia, ut, nisi omnis historiarum fides è mundo periisse censenda sit, de miraculis a Christo & sectatoribus ipsius præstitis nulla ratione dubitari posse appareat.

DISSERTATIO VII. QUÆ EST III.

DE

MIRACULIS JESU.

Qua

Argumentum pro adstruenda Evangelii veritate inde petitum, adversus Gentilium & Judæorum objectiones vindicatur.

BREVIARIUM.

I. *Absurde Miracula Jesu attribuuntur virtuti alicui Magicæ.* II. *Nunquam paria iis fecerunt gentium Dii.* III. *Multo minus homines, Deorum monitu. Vespasiani historia.* IV. *Fraudis convicta.* V. *Cui similis illa Adriani.* VI. *Et Pyrrhi.* VII. *Apollonius Tyanæus, iniqua comparatione Christo collatus.* VIII. *Insignis impostor.* IX. *Imaginarius Propheta.* X. *Et ridiculus præstigiator.* XI. *Philostratus autem facundus nugator.* XII. *Orobii objectiones.* XIII. *Præmonitio Dei contra miracula falsi Prophetæ Deut.* XIII. *exponitur.* XIV. *Ea Jesu nostro applicari non potest.* XV. *Quid enim non jussit colere sub alia idea quam Moses.* XVI. *Neque leges Mosaicas sprevit ut inutiles: sed eas perfectissime implevit.* XVII. *Conclusio.*

Hactenus

HActenus Miracula quæ Jesu in Evangeliis attribuuntur vere ab ipso facta esse, contra adversantium exceptiones, evicimus. At vel hoc ipso dato, nondum tamen vicisse Christianos, tam Judæi, quam Gentiles cavillantur, quum portentosa illa a Christo aut Apostolis facta, virtuti alicui *Magicæ* adscribi queant. Rancida calumnia, ab ipso Jesu in Evangelio olim explosa, atque omni prorsus colore destituta: quam à Judæis reponi, præter omne decorum est. Nonne vident miseri, majore cum veri specie suo id Mosi objici posse, qui omnibus Ægyptiorum artibus, in quibus principem locum Magia habet, innutritus imbutusque fuisse perhibetur? Jesu autem nostro ecquid unquam cum Magis, sceleratissimis hominibus, commercium fuit? Adde, quod doctrina Christi, cui probandæ opera ista adhibebantur, malis spiritibus plane adversetur, hominesque avocet ab eorum cultu, & ab omni morum immunditia, qua tales spiritus impense delectantur. Et quantumcumque valuerit olim magia, quæ tamen, *Curtio* judice, *non tam ars est quam vanissimi cujusque ludibrium;* constat utique invicta Christianismi valentia vim illius plurimum fractam atque imminutam esse. Vide sodes quæ in hanc rem prolixius a me disputata sunt in *Diatribe de Legione Fulminatrice* §. XXXIV. *& seq.*

I. Absurde Miracula Jesu attribuuntur virtuti alicui Magicæ.

II. Facessat itaque inepta ista de magicis Jesu artibus calumnia. Attamen, inquiunt, si Divini aliquid in operibus istis agnoscendum sit, *quid eximii habuit præ aliis gentium diis qui paria fecisse narrantur?* Et hæc quoque vetus objectio est, quam eleganter exposuit, sed & refutavit *Arnobius*, *Lib.* 1. *p.* 28. *Sed frustra*, inquit, *nescio quis, tantum arrogas Christo, quum sæpe alios sciamus & scierimus Deos, & laborantibus pluribus dedisse medicinas, & multorum hominum morbos valetudinesque curasse.* Respondet Arnobius: *non inquiro, non exigo, quis Deus, aut quo tempore, cui fuerit auxiliatus, aut quem fractum restituerit sanitati: illud solum audire desidero, an sine ullius adjunctione materiæ, id est medicaminis alicujus, ad tactum morbos jusserit ab hominibus evolare, imperaverit, fecerit & emori valetudinum caussam, & debilium corpora ad suas remeare naturas. Christus enim scitur, aut admota partibus debilitatis manu, aut vocis simplicis jussione, aures aperuisse surdorum, exturbasse ab oculis cæcitates, orationem dedisse mutis, articulorum vincula relaxasse, ambulatum dedisse contractis, vitiligines, querqueras, atque intercutes morbos, omniaque alia valetudinum genera, quæ humana corpora voluit sustinere nescio quæ inhumana crudelitas, verbo solitus imperioque sanare. Quid simile dii omnes, à quibus opem dicitis ægris & periclitantibus latam? Qui si quando, ut fama est, ægris attribuere medicinam, aut cibum aliquem jusserunt capi, aut qualitatis alicujus ebibi potionem, aut herbarum & graminum succos superponere inquietantibus caussis, ambulare, cessare, aut re aliqua quæ officiat abstinere: quod esse non magnum, nec admirationis alicujus stupore condignum, promtum est, si volueritis attendere;*

II. Nunquam paria iis fecerunt gentium dii.

attendere; medici enim sic curant.... Nulla autem virtus est, medicaminibus amovere quæ noceant: beneficia ista rerum, non sunt curantium potestates: & , ut sit laudabile scire qua quos conveniat medicina aut arte curari, locus hujus laudis non Deo, sed in homine constitutus est. Vide cætera apud Auctorem, quæ & diserta sunt & fortia.

III. Multo minus homines, Deorum monitu. Vespasiani historia.

III. Urgeri fortasse possit, etiam sine remediis quosdam repente fuisse sanatos, non à Diis solum, sed & *ab hominibus, Deorum monitu.* In quam rem illustre est *Vespasiani* exemplum, quod *Suetonius* commemorat *Cap.* VIII. *& Tacitus Hist.* IV. Cujus verba non pigebit appingere, ut sincerius de tota re judicari queat. Sic ergo ille, non procul a fine. *Per eos menses quibus Vespasianus Alexandriæ statos æstivis flatibus dies, & certa maris opperiebatur, multa miracula evenere, quis cœlestis favor, & quædam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur. Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus, genua ejus advolvitur, remedium cæcitatis exposcens gemitu, monitu Serapidis Dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit: precabaturque principem, ut genas & oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manu æger, eodem Deo auctore, ut pede & vestigio Cæsaris calcaretur orabat. Vespasianus primo irridere, aspernari: atque illis instantibus, modo famam vanitatis metuere; modo obsecratione ipsorum, & vocibus adulantium in spem induci; postremo æstimari a medicis jubet, an talis cæcitas & debilitas ope humana superabiles forent. Medici varie disserere: huic non exesam vim luminis, & redituram si pellerentur obstantia: illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. Id fortasse cordi Deis, & divino ministerio principem electum. Denique patrati remedii gloriam penes Cæsarem; irriti ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespasianus cuncta fortunæ suæ parere ratus, nec quidquam ultra incredibile, læto ipse vultu, erecta quæ astabat multitudine, jussa exsequitur. Statim conversa ad usum manus, ac cæco reluxit dies. Utrumque qui interfuere nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.* Ecce rem prodigiosam; Alexandriæ, frequentissima post Romam urbe, gestam, *palam pro concione*, ut ait Suetonius; ab orbis terrarum principe; testimonio eorum qui viderant confirmatam; etiam post principis mortem, cessante jam omni adulatione; narratam denique historicis prudentissimis ac fide dignissimis.

IV. Fraudis convicta.

IV. Attamen utcunque hæc speciosa esse videantur, ego fucum undique pellucere contendo. Ubi enim hæc facta esse perhibentur? In Ægypto, gente ad fraudes & imposturas, præsertim in re religionis, nata. Alexandriæ, urbe superstitionibus deditissima. Apud templum Serapidis Dei, quem Ægyptii ante alios colebant: & Romano principi cupiebant esse venerabilem. Qua vero ratione compendiosissime id fieri potuit? Miraculo: quo & numini sua potentia asseratur, & Cæsari concilietur nova auctoritas, quasi commercium cum diis habenti. Concurrunt igitur superstitio & adulatio:

adulatio: quæ ubi artes suas junxere, quid est quod non fingant & ausint? Quid fit? prodit ex plebe Alexandrina quidam, venalis utique, totus a nutu superiorum pendens, facileque ad quævis subornandus. Qualis ille? An cæcus natus? non, sed *oculorum tabe laborans. Non tamen exesa omni vi luminis. Vitio illo notus.* Quibus? An Vespasiano? aut comitibus ejus? non: quippe qui recens appulerant. Ægyptiis itaque, commenti artificibus, ista testantibus. Accedit alius, manu æger. An incurabiliter? Si medicis fides, vi aliqua salubri integrari poterant artus. Hi Vespasianum pariter adierunt, orantes opem valetudinis. Medendi modum ipsi præscribunt. Cujus monitu? Serapidis, ut ajunt. At in insomnio. Forsan instinctu sacerdotum ficto. Vespasianus quid? primo irridet, & aspernatur. Quippini? Nullius sibi virtutis portentificæ conscius. Mox consulit medicos, an talis cæcitas & debilitas *ope humana superabiles* forent. Quorsum hæc, quum non de humana sed Divina hic ope agatur: cui nihil arduum nimis, aut difficile est. Denique cedit, experturus quid futurum esset. At cui rei cedit? An instinctui alicui, aut impulsui Divino? Nihil tale: sed obsecrationibus opem petentium, & vocibus adulantium, quibus in spem adductus fuit. Evicit tandem axioma Politicum, *patrati remedii gloriam penes Cæsarem, irriti ludibrium penes miseros fore*. Sic scena ex arte structa. Nec eventus defuisse dicitur. Non sollicito fidem aut Suetonii aut Taciti: uti nec testium quos hic laudat. Ex vero enim narraverunt rem quæ geri visa est. An gesta autem, disquiri meretur. Dubitandi rationes, nec paucas, dedi. Utut sit, obtestor omnem conscientiam, an in toto isthoc scenico apparatu quidquam inveniatur quod cum simplicitate miraculorum Jesu comparari queat?

V. Sed plane geminum ei est quod de *Adriano Cæsare Ælianus Spartianus* ita narrat. *Cap.* XXV. „ Ea tempestate supervenit quædam mulier, quæ „ diceret, somnio se monitam, ut insinuaret Adriano ne se occideret, quod „ esset bene valiturus: quod quum non fecisset, esse cæcatam. Jussam tamen iterum, Adriano eadem diceret, atque genua ejus oscularetur, re„ ceptura visum si id fecisset. Quod quum insomnium explesset, oculos „ recepit, quum aqua, quæ in fano erat, ex quo venerat, oculos abluisset. „ Venit & de Pannonia quidam natus, vel ut alii, vetus cæcus ad febrien„ tem Adrianum, eumque contigit: quo facto & ipse oculos recepit, & „ Adrianum febris reliquit. „ Quæ ubi narrasset Spartianus, caute subjicit: QUAMVIS MARIUS MAXIMUS HÆC PER SIMULATIONEM FACTA COMMEMORET. Artis autem istius & simulationis auctorem Antoninum fuisse, pulcre in notis suis ostendit *Cl. Salmasius*. V. Cui similis illa Adriani.

VI. Lubet ob materiæ affinitatem conferre id quod de *Pyrrho* tradidit *Plutarchus*, in ipsius vita, non procul initio. *p.* 384. Τοῖς δὲ σπληνιῶσιν ἐδόκει βοηθεῖν, ἀλεκτρυόνα θύων λευκὸν, ὑπτίων δὲ τῶν κατακειμένων τῷ VI. Et Pyrrhi.

δεξιῷ ποδὶ πιέζων ἀτρέμα τὸ σπλάγχνον, οὐδεὶς δὲ ἦν πένης οὔτε ἄδοξος οὕτως, ὥστε μὴ τυχεῖν τῆς ἰατρείας, δεηθείς.... λέγεται δὲ τοῦ ποδὸς ἐκείνου τὸν μείζονα δάκτυλον ἔχειν δύναμιν θείαν, ὥστε μετὰ τὴν τελευτὴν, τοῦ λοιποῦ σώματος κατακαέντος ἀπαθῆ καὶ ἄθικτον ὑπὸ τοῦ πυρὸς εὑρεθῆναι. *Lienosis* EXISTIMABATUR OPITULARI, *quum gallum gallinaceum album immolans supinis jacentibus lienem pede dextro premeret leniter. Neque erat adeo pauper quisquam aut abjectus, cui petenti denegaret curationem...... Illius pedis* PERTUR POLLEX DIVINA VIRTUTE PRÆDITUS FUISSE: *ac cremato post fata ejus reliquo corpore, repertus inviolatus est & intactus ab igne.* Prudenter non asseverat Plutarchus, ita se rem habuisse, sed ita dictum existimatumque esse. Qualibus narratiunculis quisque pro arbitrio addit aut demit fidem.

VII. Apollonius Tyanæus, iniqua comparatione Christo collatus.

VII. At neminem tota gentilitas invenit digniorem qui cum Jesu nostro comparetur, quam APOLLONIUM TYANÆUM, cujus ætas ad illam Christi proxime accedit. Mirum est quantam sui æstimationem singulari vitæ instituto, rerum futurarum præsensione ac prædictione, itemque prodigiosorum operum patratione, apud plurimas quibuscum versatus est gentes, pepererit. *Eunapius in proœmio de vitis Philosophorum p.* 11. non *tam Philosophum quam mediæ inter deos & mortales naturæ participem* fuisse jactat; οὐκέτι φιλόσοφος, ἀλλ' ἦν τι θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων μέσον. Ejus Apollonii historiam prolixe, accurate, eleganter descripsit *Philostratus Lemnius*, editis libris quibus titulum fecit, *Vitam Apollonii*, quum debuerit inscripsisse verius, iterum Eunapii verbis utor, ἐπιδημίαν ἐς ἀνθρώπους θεοῦ, *Accessum Dei ad homines.* Hierocles quidam, hostis religionis Christianæ infensissimus, ex hoc potissimum Philostrato librum compilavit sub titulo *Philaletis*, in quo contentione inter Jesum & Apollonium facta hunc illi & vitæ instituto, & operum admirabilitate longe præcelluisse pugnat: ridetque Christianorum levitatem, οἱ δι' ὀλίγας τερατείας τινας τὸν Ἰησοῦν θεὸν ἀναγορεύουσι, *qui ob paucula quædam prodigia Jesum Deum prædicent.* Hieroclem istum integro libro confutavit *Eusebius Cæsariensis*, atque ita contudit, ut Domino nostro illibata manserit gloria, Apollonium autem dolosum magnum esse demonstraverit.

VIII. Insignis impostor.

VIII. Ego in juventutis nostræ gratiam paucula quædam specimina excerpam, ex quibus judicium formari poterit de cæteris. θείαν τινα καὶ ἄρρητον σοφίαν Heroi suo adscribit Hierocles, & ab ipsa protinus genitura, sine artis impendio, velut homine potiorem effingit. Et ne dubitemus, ipse de se Apollonius, *Ego*, inquit, *amice, vocum omnium & linguarum conscius, licet nullas didicerim.* Imo ad eam quoque scientiam pervenisse fertur, qua *brutorum intelligeret animalium voces*, &, ne quid desit, ipsas τὰς διαλέξεις θεῶν *sermocinationes deorum.* At qui illa finxerunt, iidem narrant, quibus magistris ab ineunte ætate rhetoricen ac philosophiam didicerit. Narrant item, cum Phraate, Indiæ Rege, per interpretem egisse, quod linguam

guam non calleret, & obstupuisse quod Indum Græcè sibi loquentem audiret. Quæ de *intellectis* brutorum vocibus finguntur, per se ridicula sunt, & ridiculariora evadunt, si pro arcanæ illius sapientiæ argumento adferri videas, quod passerem subinde intellexerit crebro pipillatu reliquas suæ speciei aves ad pastum concire, magnamque ea de re admirationem adstantibus præbuerit. O rem mirabilem & Propheta dignam! Modum quo quis *Deorum colloquiis* fruatur, ex Pythagora se didicisse jactat. Quum vero Pythagoras nullum hac de re monumentum reliquerit, ab eo id ipsum hausisse oportet quem in Pythagoricis præceptorem habuit. Is fuit Euxenus quidam, *ὐ πάνυ σπȣδαῖος, ὐδ' ἐνέργῳ τῇ φιλοσοφίᾳ χρώμενος, γαςρὸς ἡττων καὶ ἀφροδισίων, homo parum officiosus minimumque ipsa philosophans, utpote qui gulæ ac veneri deserviret*, uti describitur ipsi Philostrato. Quid stultius fingi potest, quam à tali præceptore rationem cum diis agendi edoceri?

IX. Sed & *Prophetam* fuisse memorant: quippe qui instantem pestilentiam Ephesiis civibus prædixerit. Uti & Nervæ fertur prædixisse imperium, & mortem instantem. Ephesi etiam in Xysto docens, subito exclamavit: *παῖε, παῖε τὸν τύραννον, percute, percute tyrannum.* Aliquot post id diebus renunciatum est Ephesi, Domitianum a Stephano, eadem qua Apollonius exclamaverat hora, fuisse confossum. Quæ an vera sint, &, si vera, unde habuerit Apollonius, fateor me nescire. Sed quali prophetico Spiritu fuerit imbutus, colligi potest ex iis quæ de præsensione pestis, apud Domitianum reus in Apologia sua his ipse verbis exposuit: *Diæta*, inquit, *magis tenui, magisque sobria quam cæteri mortales usus, primus omnium qualitatem aëris vitiumque deprehendi.* Hoccine propheticum est? IX. Imaginarius Propheta.

X. Miracula etiam aliquammulta ei attribuuntur; sed quorum vanitas ex ipsa narrationis futilitate patescit. Ephesios memoratur peste, quam prædixerat, liberasse. At quo modo? Ipsum audiamus *Philostratum: Lib.* IV. ubi pestilentiam narrat *apparuisse in figura senis mendici, laceri ac pannosi. Quem quidem senem quum lapidibus cædi Tyanæus jussisset, primum pestilenti obtutu flammam luminibus ejaculatum, tum vero conjectis obrutum saxis in effigiem obscœni canis se transformasse, cui rabidorum more tetræ circa rictum spumæ undarent.* Nec dissimulavit in sua ad Domitianum Apologia Apollonius. Eodem libro narratur, quum Athenis esset Apollonius, sanatum ab ipso esse adolescentem arreptitium; dæmonemque jussum aliquod discessus sui signum edere, respondisse, se statuam quæ erat in porticu regia eversurum: quo dicto statua illa ilico concidit. Sed lepidum imprimis est, quod in nuptiis Menippi Lystii Philosophi, adolescentis formosi, quibus intererat Apollonius, accidisse ferunt. Ibi attente contemplatus sponsam, exclamavit: *Hæc quidem una est Lamiarum, quas aliqui larvas, alii lemures indigetant, suntque ad venerem pronæ, & avidæ humanarum carnium, venereorumque cupi-* X. Et ridiculus præstigiator.

dine alliciunt eos, quos postea expleta libidine devorant. Quibus dictis pocula, & mundus sponsæ, & tota supellex illico evanuerunt. Ipsa vero sponsa ad pedes Apollonii provoluta oravit ne se torqueret. Ita Menippus liberatus est, fuitque ex eo inter Apollonii discipulos. Addatur & aliud ex *Lib.* VI. *sub finem.* Tarsi Ciliciæ adolescens aliquis a rabido cane morsus, in caninos mores transierat, adeo ut latraret, & manibus veluti pedibus incederet. Tarsenses remedium petunt ab Apollonio. Ille canem capi jussit, qui adolescentem momorderat. Hi negare, se nosse canem. Tum Apollonius: canis est albus, & stat tremebundus prope fontem, ite & eum adducite. Mittitur ergo qui canis auri insusurraret: *Apollonius te vocat.* Venit canis, & ad Apollonii pedes procumbit. Apollonius vulnus adolescentis lambere eum jussit. Quo facto & adolescens & ipse canis sanati sunt. Quis non cachinnetur ad talia præstigiatoris miracula? Et hæc digna sunt, quæ cum Jesu miraculis comparentur?

XI. Philostratus autem facundus nugator.

XI. Et qui talia memorat Philostratus, Apostolis, & Evangelistis nostris non æquiparandus modo, sed & immensum anteponendus erit? Sed & idem scripsit, *imbres & ventos apud Brachmanas in doliis asservari, quorum indigenis pro lubitu copiam faciant: terram scipione percussam in gibbum exsurgere, Indosque in vacuum aërem excutere, ubi pensiles aliquamdiu hæreant; pincernas aheneos pocula ministrare: tripodes vina fundere: calices in gyrum actos velut vorticoso flumine impelli, phialam aliquam mirabilium fontium more aquam haurientibus jugem sufficere.* Sed desino ineptiarum, quarum dudum piguit. Hæc tamen illa sunt quæ gentium sapientissimi composuerunt, aut opposuerunt, Evangelio. O mirabilem, ac propemodum incredibilem cæcitatem? cui justo numinis judicio mancipati sunt, qni sponte se ingerentem Dei veritatem proterviter spernunt & pertinaciter repellunt. Hic est etiam ille sapiens, ille præclarus, ille fide dignus Philostratus, præ quo Evangeliorum nostrorum scriptores bardi sunt & blenni, vix digni qui legantur vel audiantur. Fateor non ea ipsos arte, non iis pigmentis esse usos; quum simplex sit veritatis sermo. Sed quæcunque de Jesu narrant, ea gravia sunt ac θεοπρεπῆ. Nihil abjectum. Nihil vile. Talia denique, quæ non atramento solum scribere, sed & sanguine suo subscribere parati fuerunt. At qui Philostrati commentarios paullo attentius perlegerit, facile deprehendet, maluisse eum lectoribus eloquentiæ atque industriæ suæ admirationem, quam historiæ fidem facere. Qui si sacramento de singulis apud judicem respondere debuisset, satius procul dubio duxisset artem confiteri, & fictitio heroi suo renunciare, quam illius caussa exquisitissimas subire pœnas.

XII. Orobii objectiones.

XII. Atque hæc quidem *Gentilibus* responsa sunto. Nunc ad *Judæos* veniamus. Nihil moror insulsam fabellam quam ne memoratu quidem dignam judico, de virtute שם המפורש *nominis arcani* & sacratissimi, cujus veram

veram pronunciationem incredibili audacia didicerit Jesus, eaque omnia prodigia sua ediderit. Absint ejusmodi næniæ & blasphemiæ ab omnibus cordatis hominibus, sive Græci, sive Judæi fuerint. Cum solo mihi nunc *Orobio* res sit; qui serio Judaismi caussam, neque profecto indiligenter, egit. Is frequenter inculcat, „ etiamsi à Jesu & Apostolis ejus ea facta fuis„ sent miracula quæ in historia Novi Testamenti memorantur, non tamen „ potuisse nec debuisse Judæos eum pro Messia agnoscere. *Scripto Tert. ad* „ *Quæst.* III. *Num.* VIII. *p.* 109. Quod constare inquit, ex *Cap.* XIII. „ *Deuteronomii.* Ubi qui somniator aut Propheta miracula faciens, popu„ lum à Deo avertere tentaverit ad cultum alium, is quam primum lapi„ dandus esse dicitur, ut id malum de medio tollatur: quia tentat depel„ lere te à via, quam præstituit tibi Dominus Deus tuus, ut ambules in ea. „ Hæc via est Lex Dei per Mosen Israëli præstituta: qua Israëlem semper „ incedere voluit, ut ad Deum suum sine errore pervenire posset. Quicun„ que igitur miraculis aut prodigiis suis nos ab hac Lege seu via distrahere „ conatur, aliam viam securiorem perfectiorem aut breviorem esse docens; „ præsertim si simul ad Deos alienos nos provocaverit, est Pseudoprophe„ ta, à Deo in hoc capite damnatus, & nullatenus credendus. Quæ ad „ rem præsentem, post aliquammulta interposita, sic applicat: *p.* III. „ Propheta qui in se ipsum, ut in verum Deum Israëlis, fidem exegerit, „ qui Dei omnipotentiam sibi arrogaverit, qui verba sua, ut à se præcepta, „ populo indixerit, admitti non debet, neque ut verus Dei Propheta reci„ piendus est. Quippe Deus jussit servis suis Prophetis auscultare, qui ver„ ba quæ eorum ori indiderit ennunciaverint, non ei qui se æqualem Deo, „ vel Deum ipsum esse prædicaverit, aut aliis prædicandum commiserit. „ Quo prætextu à via quam Deus Israëli dederat eum pellere conatur, & „ aliam docet viam, divinis Legibus, ut inutilibus, plane spretis. Et da„ to impossibili, quod Messias quem expectamus eam doctrinam Israëlem „ edoceret, jure foret, ut Pseudopropheta lapidandus. „

XIII. Profecto dignus hic est vindice nodus. In quo solvendo ita versari oportet, ut nostræ primum conscientiæ satisfaciamus, tum & aliorum. Et primo quidem non illubenter id Judæo damus, quod postquam Deus voluntatem suam clare explicuit, eandemque miraculis obsignavit, nullius facienda sint prodigia, quantavis se miraculorum specie venditent, quæ contrariæ doctrinæ obtenduntur. Id enim fixum manere debet, non posse non à Deo profectum esse id, cui ipse verorum miraculorum signaculum impresserit: neque posse non falsum esse, quod veritati ita confirmatæ palam adversatur: & consequenter prodigium ad oppositæ doctrinæ confirmationem obtensum, non esse verum miraculum, sed præstigias fallacium spirituum, quas Deus ita fieri permittit ad explorandam suorum constantiam. Hoc docetur Deut. XIII. Nimirum Deus Israëlis certissimis explora-

XIII. Præmonitio Dei contra miracula falsi Prophetæ Deut. XIII.

exploratissimisque miraculis comprobaverat, sibi soli religiosum cultum deberi. Fixum illud indubitatumque Israëlitis manere debebat. Si quis exsurgat qui Prophetam se esse jactet, & Israëlitas ad alieni cujuscunque Dei cultum sollicitet, idemque signa edat, quibus mirabiles mirabilesque ludos mentibus mortalium faciat, quicunque tandem ille fuerit, neminem prorsus excipio, is non pro vero Propheta, sed pro diaboli mysta habendus, adeoque ne audiendus quidem est, neque digna ejus miracula sunt quibus attendatur. Quum enim falsitas doctrinæ cui confirmandæ adhibentur patere possit ex collatione cum doctrina vera, & Deus potentia sua nunquam abutatur ad confirmationem mendacii; merito concluditur, admiranda illa præstigias & ludos esse, humanam fortassis valentiam & solertiam superantes, non Diabolicam. Vide, Judæe, quam candide, quantaque cum fiducia agam!

XIV. Ea Jesu nostro applicari non potest.

XIV. Nunc ad Jesum nostrum pergo, clarissime demonstraturus, nihil eorum quæ Deut. XIII. notantur ulla ratione imputari ipsi posse. Tantum enim abest ut ad alienorum numinum cultum quenquam seduxerit, ut contra unus in mundo fuerit, cujus nomine & auctoritate totus propemodum mundus à falsorum Deorum veneratione ad veri & unius Dei agnitionem conversus sit. Cujus enim alterius doctrinæ acceptum est ferendum, quod tot nationes, tam diversæ lingua, indole, institutis, superstitione; aliæ quidem secularis sapientiæ disciplinis probe excultæ, aliæ vero crassis barbaræ ignorantiæ tenebris involutæ, nonnullæ etiam ferocitate terribiles & fere inaccessæ; ejurata majorum suorum nefanda idololatria, repressa inanis scientiæ jactantia, expulsa mentium caligine, deposita feritate, emaculatis criminum scelerumque sordibus, repente cognoverint, agnoverint, coluerint, unicum illum æternumque Deum, qui lucem habitat inaccessam, quam nemo mortalium vidit unquam aut videre potest, creatorem gubernatoremque universi; Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi; Deum populi Israëlitici; eundem qui arcana sua Mosi cæterisque post eum Prophetis patefecit: atque ita quidem ut oracula ista prona fidei alacritate suscipiant, nocturna diurnaque manu versent, in eorum mentem non minori diligentia & religione inquirant quam unquam à prisco factum est Israële, denique ad sanctissimarum illarum legum amussim, quantum humana patitur infirmitas, vitam ac mores suos componant, & in Dei istius gratia & communione omnem beatitudinem suam collocent? Quis ex omnibus retro seculorum Prophetis est, qui vel centesimam hujus rei partem institutione sua confecerit? Nos certe, qui natura peccatores sumus ex gentibus, & expertes fœderum promissionis, tam insignem nostri transformationem, & ad Deum Israëlis conversionem, unius Jesu disciplinæ acceptam ferimus. Qui quod tam admirandam mundo metamorphosin induxerit,

duxerit, ideone meritus est falsis illis Prophetis accenseri qui à vero Deo abducunt?

XV. Instat Judæus, *at abducit à vero Deo, qui eum sub alia idea colere jubet, qui se ipsum Deo æqualem, aut Deum esse dicit, qui Dei omnipotentiam cæterasque virtutes attribuit, qui sibi ut Deo fidem haberi postulat.* Videamus igitur sub qua idea Deum Israëlitis proposuerit Moses. Sine dubio inculcavit *non nisi unum esse Deum, Jehovam.* Sed & idem Moses *Angelum* aliquem repræsentavit, qui *Jehovæ* nomine venit, quem Jacob ut *Goëlem* suum sive *Vindicem adorat*, qui *se ipsum Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi* nuncupat, *in cujus medio Dei nomen* est, qui *facultatem condonandi* habet, qui *Dei facies* dicitur, & à Jesaia *angelus faciei Dei*, & *servator populi* Israëlitici vocatur, à Malachia *Angelus* non Domini sed *Dominus*, in *suum templum* venturus, & quæ id genus plurima in Mose & prophetis inveniuntur. Quibus accedit, quod David & Salomo Deo peculiarem *filium* adscribant, quod Messias eo nomine veniat, quod idem *Deus fortis* nuncupetur, & *Jehova justitia nostra*, & *Immanuel*, & *Dominus Davidis*, quamvis alioquin ipsius filius. Qui ergo Deum ita repræsentat, ut non obstante sua unitate *Angelum* habeat, nominis, dominii, & virtutum suarum participem, *filium* etiam, in quem *fiduciam collocari*, quem *osculari*, cui *obtemperari* jubet, is non sub alia idea Deum repræsentat quam Moses & Prophetæ. Prolixum esset allegata testimonia exponere & vindicare: quod alibi præstitum est copiosissime. Suffecerit probasse, quod non recesserit Jesus à doctrina Mosis & Prophetarum, quando sibi attribuit ea quæ de Angelo Jehova, & Filio Deo forti, ab iis scripta sunt. XVI. Qui Deum non jussit colere sub alia idea quam Moses.

XVI. Instat: *atqui recessit certe à via Israëlitis per Mosem præscripta, ab eaque abduxit populum, dum Divinas leges ut inutiles plane sprevit, prætexuitque aliam viam, securiorem, perfectiorem, breviorem.* Quod de *spretis legibus, ut plane inutilibus*, Judæo excidit, mera calumnia est. Nihil unquam tale ex sanctissimo Domini ore auditum. Paulus equidem quibusdam legibus adscribit ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελές: at non absolute, & in se consideratis, sed ex opinione atque abusu Judæorum sui temporis, qui frustra in iis justificationem & veram peccati expiationem quærebant: at plurimum ex iis utilitatis percepissent, si ad eum quo oportebat direxissent finem. Jesus autem nullas Mosis leges sprevit: omnibus se subjecit, easque implevit exactissime. Sincere protestatus, *non venisse se ut solveret legem, sed ut impleret: minimumque vocatum iri in regno cœlorum, qui solverit quidquam ex mandatis minimis, atque ita homines docuerit.* Matth. v: 17, 19. Constat vero, & apud ipsos Judæorum magistros in confesso est, leges Mosaicas in tres classes dispesci, *Morales, Cerimoniales, & Politicas.* *Morales* Jesus constanter docuit, inculcavit, novis argumentis ursit, suoque imprimis exemplo commendavit. *Politica*, destructa Judæorum in Canaane Theocratia, per se XVI. Neque leges Mosaicas sprevit ut inutiles: se ! eas perfectissime implevit.

ſe ceſſant. Præcipua difficultas circa *Cerimoniales* eſt. De iis vero nihil docuit Jeſus extra, nedum contra Moſen & Prophetas. Docuit Cerimonialia præcepta moralibus poſtponenda eſſe. Sed idem Samuel docuit 1 Sam. XV: 22. & Jeſaias I: 11. & David Pſ. L: 9, 10, 11. & Jeremias VI: 2. & Hoſeas VI: 22. & Moſes ipſe Deut. X: 12. Docuit Jeſus cum & per Apoſtolos ſuos, cerimonias Moſaicas typos eſſe rerum ſpiritualium atque cœleſtium: quod profecto multum facit ad earum decus, & ad gloriam ſapientiæ Divinæ in iis latentis, quam ſibi in abdito patefactam fuiſſe gloriatur David Pſ. LI. Hinc eſt quod toties Prophetæ res ſpirituales ſub cerimonialium locutionum involucro repræſentent: & Moſes ipſe, quando, exempli gratia, de auferendo cordis præputio loquitur. Docuit Jeſus: futurum eſſe ut cum introductione gentium in Eccleſiam, & deſtructione templi Hieroſolymitani, cerimoniarum obligatio ceſſet. Idem & Moſes innuit; quando earum obſervationem certo populo, & quidem לדורותם ad generationes ipſorum, certæ terræ, certæ urbi & ædi adſtrinxit. Sed clariſſime prædixit Daniel. IX. com. ult. cæterique Prophetæ, ea de Meſſiæ diebus vaticinantes, quæ veteribus inſtitutis plane repugnant. Sed non lubet nunc in locum illum communem expatiari, alibi à nobis cum cura tractatum. Id ſolummodo demonſtrandum erat, nihil unquam à Jeſu dictum factumve eſſe quod in Legum Moſaicarum dedecus cederet, neque, ipſum avocare Iſraëlitas à via abs Deo per Moſen præſcripta. Monſtravit enim viam charitatis & fidei in Deum, Deique filium, eandem quam Moſes & Prophetæ commendarunt.

XVII. Concluſio. XVII. Quum itaque prolixe nunc demonſtratum ſit, Jeſum per ſe & per diſcipulos ſuos infinita patraviſſe miracula, quæ neque negari in ſolidum poſſunt, neque arti alicui magicæ aut diabolicæ adſcribi: quum miracula divina virtute edita ab ipſo Deo in argumentum Divinæ miſſionis data ſint: quum a Jeſu ea facta ſint miracula, quæ per Meſſiam fieri oportuit: quum doctrina Jeſu non modo non abducat à Deo Iſraëlis, ſed nationes quamplurimas ad unius illius Dei religionem adduxerit, cui gemi-num nullo unquam tempore ab ullo prophetarum, imo nec ab omnibus ſimul prophetis, factum eſt: quum denique nihil unquam docuerit Jeſus quod non in Moſe & Prophetis ſit fundatum, imo veram ænigmatum Moſaicorum clavem ſuis dederit: invicte conficitur ex miraculis Jeſu, ipſum à Deo miſſum, adeoque Meſſiam eſſe.

DISSER-

DISSERTATIO VIII.

De
Prophetia Jesaiæ XLII: I.
Impleta in Jesu Matth. XII: 16.

BREVIARIUM.

I. *Dissertationis occasio.* II. *Partitio.* III. *Oraculi argumentum.* IV. *Persona heic designata est Messias: fatentibus Hebræorum præstantissimis.* V. *Quippe cui omnia ista elogia; & quidem soli, competunt.* VI. *Ut & muneris ipsi demandati functio.* VII. *Et fungendi modus.* VIII. *Ac successus denique felicissimus.* IX. *Matthæi allegatio aliquantulum diversa.* X. *Non adversa tamen, sed exegetica potius.* XI. *Concinna Oraculi ad Jesum applicatio.*

IN nupera de MIRACULIS JESU Dissertatione V. Sectione XXI. & sequentibus, inquirendum mihi esse existimavi, cur tam vehementer aliquoties eorum divulgatione interdixerit; quum tamen publice pleraque patraverit, & omnia ad confirmandam Divinæ missionis suæ totiusque Evangelicæ prædicationis veritatem destinata ac comparata fuerint. Ea occasione usu venit, ut inter alias aliquammultas interminationes Christi illa quoque excutienda fuerit quæ extat Matth. XII: 16. ubi Christus Dominus, postquam aridam miseri hominis manum integritati restituisset die Sabbathi, ut scelerata invidorum Pharisæorum molimina frustraretur, illinc discessisse narratur; ita tamen, ut quotquot in sequente ipsum turba malo correpti erant morbo curaverit: cæterum cum ea ad omnes interdictione *ne se manifestum facerent.* Cujus interdicti hanc reddit Matthæus rationem, oppido notabilem com. 17. & seq. *Ut impleretur quod dictum erat per Esaiam prophetam, dicentem. Ecce servus ille meus,* ὃν ᾑρέτισα, quod Beza vertit, *quem elegi; dilectus ille meus, in quo acquiescit anima mea; ponam Spiritum meum super eum, & judicium gentibus annunciabit. Non litigabit, neque clamitabit, neque audiet quisquam in plateis vocem ejus. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, usque dum protulerit ad victoriam judicium: & in ejus nomine gentes sperabunt.* Quoniam vero instituti tunc nostri ratio ferebat, ut, in tanta rerum tractandarum ubertate, paucis duntaxat super hac historia defungeremur; quod tum non licuit, hac Exercitatione copiosius exsequi conabimur. I. Dissertationis occasio.

II. Tria autem potissimum nostra hic commentatione digna sunt. I. MENS ORACULI, uti a Jesaia prolatum est. II. DIFFERENTIA VERBORUM quæ in Matthæi allegatione deprehenditur. III. ALLEGATIONIS AD SCOPUM APOSTOLI CONCINNITAS. II. Partitio.

III. Oraculi argumentum.

III. Oraculum Jesaiæ exstat Cap. XLII: 1, 2, 3, 4. Ubi iterum notanda sunt tria. I. *Designatio personæ.* II. *Administratio muneris.* III. *Ejus eventus.*

V. Persona hic designata est fatentibus Hebræorum præstantissimis.

IV. PERSONA heic designata, non est *Cyrus*, quod Sculterus prolixo inter eum & Messiam parallelismo evincere voluit: non *Jesaias* ipse, quod Grotius in suis ad Jesaiam commentariis opinatur: non *populus Judaicus*, quod post LXX interpretum audaciam, *Jacobi* & *Israëlis* nomen de suo infarcientium, Hebræorum aliqui nugantur: nemini enim horum pericopæ istius attributa conveniunt. Sed MESSIAS, Rex & Propheta. Quod & Chaldæus animadvertit, inserto Messiæ nomine, & Kimchi agnoscit, & Abarbanel adversus gentis ac religionis suæ proceres operoso probat commentario: de Illustri illo Saadia, & eruditissimo Aben Ezra suo, aliisque, locum hunc de Cyro, vel justis ex Israële interpretantibus, non veritus in hæc veba fari: ונראה שכל אלה החכמים הוכו בסנורים ולא ראו שהכתובים האלה כולם אי אפשר לפרשם כפי הסברה הישרה כי אם על מלך ישראל מבית דוד *Videntur omnes hi sapientes percussi esse cæcitate, quod non animadverterint, omnia quæ hic scripta sunt, rite & orthodoxe exponi non posse, nisi de Rege Israëlis ex domo David.* Et, ne quid ambigui relinquatur, post paucula interjecta addit: וחו חמשיח *Atque hic est Messias.* Qua cæci cæteroquin Judæi observatione in ruborem eos ex nostris dari oportet, quibus tam insigne vaticinium aliovorsum torquere religio non est. Enimvero Messiæ hæc omnia, Messiæ, inquam; neque alteri cuicunque, competunt. Quod ex totius orationis παραφράσει & singularum ῥήσεων attenta consideratione patebit.

V. Quippe cui omnia ista elogia, & quidem Soli, competunt.

V. Ut autem nihil intactum relinquamus, ab ea ordiamur vocula qua audientiam sibi Deus facit. ECCE. Non modo notabilis hæc res est, dignaque quæ quanta fieri potest mentis applicatione attendatur; sed & novum validumque continet argumentum ad controversiæ inter Jehovam fictosque gentium deos determinationem. Exprobraverat iis Jehova quod nec futura prædicere, nec cultoribus suis bene, nec contemtoribus ægre facere possint; sibi autem omnia hæc in promtu esse demonstraverat. Cap. XLI: 21. &c. ECCE novum verissimæ assertionis argumentum, nimirum Servus ille meus, olim prædictus, nunc iterum delineatus, suo tempore patefaciendus tantamque mei amantibus salutem allaturus. Quem talem norunt, habent, prænunciant, daturi suis sunt dii gentium? SERVUS MEUS, natura Filius, sponsione Servus; non vile mancipium, sed Servus voluntarius, Legatus honorarius, ὁ ἅγιος θεοῦ παῖς, illud Dei consilium, a quo generis humani salus pendet, magnificentissime quamvis cum sui ipsius exinanitione, exsecuturus. Cui dictum est, *levius est quam ut sis mihi servus ad erigendum tribus Jacobi, & custoditos ex Israële reducendum: constitui te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremitatem terræ.* Jes. XLIX: 6.

אתמוך בו.

אתמוך בו. Quod aliqui vertunt CUI INNITAR. R. David Kimchi: דרך משל כמו המלך נשען בעברו הנאמן לו *parabolice ſic dicitur, uti quum Rex innititur ſervo ſuo, qui fidus eſt ipſi.* Eadem habet Abarbanel, id ſolum addens, כלו נאמן רוחו ראוי לסמוך עליו q. d. *fidelis eſt Spiritus ipſius, dignus eſt cui quis innitatur, & fidat.* Id ſi ſequamur, pulcherrimus hinc & Deo Chriſtoque digniſſimus oritur ſenſus: iſte nimirum, committam illi omnem poteſtatem, ut diſpenſet ſine exceptione cuncta, tam in cœlis quam in terra, prorſus ſecurus nulla in re mandati fines migraturum, ideoque rata quæ fecerit habebo omnia. Præfero tamen *tenendi, apprehendendi, ſuſtentandi* ſignificationem, quæ voci Hebraicæ in ſacris frequentiſſima, ſi non perpetua, eſt. Verto igitur, QUEM TENEO. cui potentia mea adſum, quem apprehendo dextra juſtitiæ meæ. quem adverſus omnem vim hoſtilem tueor, quem non deſtituam unquam, nec relinquam ſolum. Joh. VIII: 29. ELECTUS MEUS, æterno meo conſilio ad hanc diſpenſationem deſtinatus, eximius, unus ex millenis, incomparabilis, unicus, ſolus injungendo ſibi muneri idoneus. IN QUO PLACET SIBI ANIMA MEA. In cujus perſona, virtutibus, actionibus, nihil invenio quod non ſit gratiſſimum. Matt. III: 17. in quo & per quem beneplacitum meum in hominibus eſt. Luc. II: 14. cujus gratia diligo quos diligo. Eph. I: 6. DABO SPIRITUM MEUM SUPER EUM. Spiritum ſapientiæ & intelligentiæ, ſpiritum conſilii & potentiæ, ſpiritum ſcientiæ & reverentiæ Jehovæ. Jeſ. XI: 2. Faciam ut deſcendat ille ſpiritus ſuper ipſum in ſpecie columbæ, quæ ſimplicitatis & manſuetudinis ſymbolum eſt, & maneat ſuper ipſum. Matt. III: 16. Inungam ipſum illo ſpiritu ſupra conſortes ſuos, tam abunde, ſine modo ac menſura Joh. III: 34. ut plenitudine ipſius repleantur omnes electi. Joh. I: 16. Atque hæc quidem deſignatio *perſonæ* eſt, tam expreſſa tamque accurata, ut ignota amplius eſſe non poſſit; neque dubitari debeat quin ſit JESUS noſter in Evangelio laudatus. 2 Petr. I: 16, 17, 18.

VI. Quod porro evincitur ex demandati ſibi MUNERIS adminiſtratione: quæ deſcribitur I. Quoad REM. II. Quoad MODUM. RES in eo ſita eſt, quod JUDICIUM משפט, quidquid verum, rectum, juſtum, ſanctum eſt, ipſam etiam recti juſtique normam perfectiſſimam, jus Dei in damnandis ſervandiſque peccatoribus, modum denique conſequendæ illius juſtitiæ qua conſiſtere miſeri peccatores coram tribunali Dei queant, PROFERET יוציא: e ſinu Patris, ex arcanis Divinorum conſiliorum, ex priſcorum rituum atque ænigmatum involucris, in lucem producet, ut non Iſraëlitis ſolum patefiat, quibus Moſes olim & Prophetæ dati ſunt; ſed & GENTIBUS, quondam a republica Iſraëlis, & communione teſtamentorum gratiæ, omnique ſalutis ſpe, remotiſſimis. Iis, ſine linguarum nationumve diſcrimine, ita per miniſtros Spiritumque ſuum loquetur, ut omnis caro cognoſcat,

VI. Ut & muneris ipſi demandati functio.

cognoscat, quid sit verum, sanctum & Deo dignum, & qua tandem via justitiæ Dei, & juris ad vitam æternam, consortes evadere queant qui ea videbantur exclusissimi.

VII. Et fungendi modus.

VII. Uti tam eximii muneris functio re ipsa præclara est; ita non minus est notabilis fungendi MODUS. I. In *patientia.* NON CLAMITABIT. Regnum ejus a mundanorum regnorum strepitu est diversissimum. Nihil pompæ habebit, nihil violentiæ. Non contendet, non tyrannice imperabit. Abarbanel: הכל יעשה בנחת ולא יצטרך לקולות *omnia placide aget, neque vociferationibus indigebit.* Nihil iracunde faciet, sed miti sermone, qui mitis ingenii character est, mansuetudinem & patientiam docebit. II. *In humilitate.* NON EFFERET לא ישא, vel *semet ipsum*, superbe & arroganter agendo; vel *vocem suam*, facta sua ebuccinando: sed erit ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ Mat. XI: 29. nulla in re suam, in omnibus mittentis se Patris gloriam, quæsiturus. III. *Procul omni tumultu.* NON FACIET AUDIRI IN PUBLICO VOCEM SUAM. Non coget turmas, non convocabit cœtum, non concitabit plebem, non colliget faventium sibi hominum manum, non jactabit se sectatorum frequentia, sed solitudinis amans, quantum demandati sibi muneris ratio patitur, hominum conspectum fugiet: loquetur domi, in desertis, ad maris litora, in locis ejusmodi qui sacris orationibus destinati sunt, denique nullibi, nisi ubi cuivis modesto loqui licet. IV. In magna *æquitate* & συμπαθείᾳ. CANNAM QUASSATAM NON CONFRINGET, ET ELLYCHNIUM HEBES, sive FUMIGANS. NON EXTINGUET. Accommodabit se infirmis, quos tantum abest ut torvo vultu aut truci sermone a se repulsurus, & pusillum quod restabat iis animi porro depressurus sit; ut contra afflictos, ægros, vixque animam trahentes consolationum suarum dulcedine erecturus, demulsurus, & ad melioris conditionis spem excitaturus ac vivicaturus sit. V. In *veritate* & *fidelitate.* AD VERITATEM PROFERET JUDICIUM. Quamvis infirmos commiseratione sua sublevet, longe tamen semper aberit a blanditiis quibus vitia foventur. Ex veritate administrabit omnia, nihil sui affectus permiscens. Hoc *modo* munere suo fungetur Messias. Functus est Jesus.

VIII Ac successus denique felicissimus.

VIII. At quo EVENTU? Is docetur com. 4. NON HEBESCET vel NON CALIGABIT לא יכהה, non retundetur ipsius alacritas: nequicquam obstrepentibus inferorum portis, prudenti promtitudine, animo imperterrito, & æquabili semper constantia perget nullæ unquam tenebræ, neque ipse tenebrarum princeps, infernalibus suis technis, fumove ex abysso prodeunte, offuscando tanto doctrinæ lumini, tanto virtutum fulgori, tanto tot prodigiorum splendori erunt. ולא ירוץ Secundum Coccejum ET NON CURRET, non præceps fugiet, territus hostium potentia, sed contra animosior ibit: nunquam in παρρησίᾳ sua admirabilior, quam eo tempore quo maxime fremebant frendebantque adversarii. Negari non potest

poteſt interpretationem iſtam analogiæ Grammaticæ valde eſſe conſentaneam. Nam ירוץ eſt futurum a רוץ, quod currere ſignificat. Attamen analogia textus ſuadere videtur, ut potius deducatur a רצץ, *quaſſare:* ut enim לא יכהה reſpondet τῷ פשתה כהה, ita etiam לא ירוץ reſpondet τῷ קנה רצוץ. Et occurrit punctatio huic noſtræ valde ſimilis Eccl. XII: 6. ותרוץ גלת הזהב *& quaſſabitur lenticula aurea.* Verto igitur, ET NON QUASSABITUR. Quantumvis tener videatur ſurculus, infinitis afflictionum, quarum altera alteram urget, viciſſitudinibus propemodum enectus, non tamen prorſus confringetur, non ſuccumbet ſub gravitate oneris, neque ulla vi inimica eruetur. DONEC POSUERIT IN TERRA JUDICIUM, effecerit ut in terra, illa præſertim quæ Iſraëlitis in poſſeſſionem data eſt, vigeat juſtitia & doctrina Evangelii. ET INSULÆ, homines illam terræ partem incolentes, quæ, qua obverſa eſt Iſraëlitidi, inſulis ſcatet, primum occurrentibus iis qui ex Cananæa in Europam navigant, IN LEGEM IPSIUS, præcepta exactiſſimæ ſanctitatis, doctrinam exquiſitiſſimæ ſapientiæ, monſtrationem viæ qua ad cœlum itur, EXSPECTATIONEM HABEBUNT, eam, poſtquam aliquid de illa inaudiverunt, avide operientur, allatam incunctanter & alacriter arripient, & in ea, per fidem recepta, omnem ſpem, conſolationem ac ſalutem ſuam collocabunt.

IX. Matthæi allegatio aliquantulum diverſa.

IX. Hactenus Jeſaiæ oraculum paraphraſtica commentatione illuſtravimus: cum quo ſi Matthæi allegationem conferamus, non contemnendam deprehendemus VERBORUM DIVERSITATEM. Com. 1: pro אתמוך בו habet ὃν ᾑρέτισα. com. 2. pro יצעק ἐρίσει. pro ישא κραυγάσει. pro לא ישמיע ὐδὲ ἀκὄσει τις. com. 2. pro לאמת יוציא משפט ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκ☉ τὴν κρίσιν. Ex com. 4. multa ſunt omiſſa, & pro ולתורתו איים ייחלו Καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτὄ ἔθνη ἐλπιὄσι.

X. Non adverſa tamen, ſed exegetica potius.

X. Nemini hanc qualemcunque orationis diverſitatem ſcandalo eſſe oportet, ut propter eam Matthæi fidem vel proterve ſollicitet, vel temere in dubium vocet. Non enim in literis & ſyllabis, ſed in ſenſu conſiſtit ſcripturæ vis. Eum ſi non modo non perverterit neque imminuerit Apoſtolus, ſed & optime expreſſerit, imo & illuſtraverit, non eſt quod ipſi ulla male habitæ orationis Propheticæ dica ſcribatur. Ita autem ipſum egiſſe ex ſingularum variationum examine liquebit. Αἱρετίζειν, ut Junius & Grotius obſervarunt, non tam ſignificat eligere, quam, uti Varinus exponit, προσλαμβάνειν, καὶ εἰς ἑαυτὸν αἱρεῖν. Et ſic optime reſpondet tam Hebræo תמך, quam Græco ἀντιλαμβάνεσθαι, quod hic adhibuerunt LXX. Αἱρετισταὶ dicuntur qui ſtant ab alicujus partibus; quique, ſi potiores ſint, Latinis vocantur *ſuſceptores.* Atque ita, Grotio judice, erudite & efficaciter expreſſit Matthæus vocem אתמיך. Eandem laudem meretur, quando pro יצעק *clamabit*, ſcripſit *ἐρίσει litigabit*, ut oſtenderet de eo hic agi clamore qui irati animi ſignum eſt, Πικρία καὶ θυμὸς, ὀργὴ καὶ κραυγὴ junguntur

Eph. IV: 31. Eadem mente Quintilianus *clamoſum altercatorem* dixit. Et Juſtinus, ad Zenam & Serenum, τῶν δὲ κεκραγότων οὐδεὶς σώφρων ἐστί. Quam obſervationem eidem me Grotio debere fateor. Optime etiam pro ישא κραυγάσει poſuit, agitur enim de *vocis* non minus quam de *animi elatione*. Abſolvere Apoſtolum poſſunt Hebræorum magiſtri, qui eadem mente interpretati ſunt. Kimchi: פירוש ולא ישא קולו. *ſenſus eſt, non tollet vocem ſuam.* Jarchi: לא יגביה קול. *non exaltabit vocem.* Abarbanel ſimiliter. Cætera verba ſecundi commatis ſenſu æquivalent. Quid enim intereſt, an dicas, *non faciet audire vocem ſuam*, an, *nemo vocem ejus audiet?* Idem ſtatuendum de Græca phraſi, κρίσιν ἐκβάλλειν εἰς νῖκος. Quid enim hoc aliud eſt quam juſſa ſua manifeſta facere, ut quovis judice victoriam referre poſſit? Id ſane Chriſtus fecit, manifeſtatione veritatis & ſinceritatis ſuæ ad quamvis conſcientiam, vel inimicis judicibus. Mat. XXII: 16. Ex com. 4. palam eſt aliqua fuiſſe omiſſa, ſine quibus ſcopum ſe attingere ſuum poſſe arbitratus eſt Apoſtolus. Neque neceſſe eſt omnia ſemper deſcribere. Nihil vulgatius eſt in Talmudicis & Rabbinicis citationibus. Cætera ſenſu conveniunt. *Inſulæ* apud Prophetam notant ἔθνη τῶν νήσων, איי הגוים *gentes inſularum*, ſive, quod eodem recidit, *inſulas gentium*, ut eſt Gen. X: 5. ſuntque ea mundi pars quæ terræ Canaan ad occidentem eſt, & à gentibus incolitur. ὄνομα Matthæo ſignificat Religionem, ab auctore ſuo denominatam, neque abludit a notatione vocis תורה, quæ eſt doctrina Divini cultus, & demonſtratio viæ, qua eundum eſt ut placeatur Deo. Conf. Act. XXI: 13. & Mich. IV: 5. Atque hac quidem ratione non difficulter Apoſtolum cum Propheta conciliavimus.

XI. Concinna Oraculi ad Jeſum applicatio.

XI. Nunc denique SCOPUM Apoſtoli in hac allegatione attendamus. Is tria de Chriſto narraverat. I. Diſceſſiſſe ipſum tacite, ut evaderet inſidias vel vim Phariſæorum, quibus reſiſtere nolebat favente ſibi populi turba. II. Curaviſſe omne genus ægros, atque ita oſtendiſſe animum benignum pronumque ad miſericordiam: ſimulque infatigabilem in obeundo munere diligentiam ac fidem, nullis fractam contumeliis. III. Tanta quum faceret, interdixiſſe tamen ne vulgarentur: aut ſaltem, ne manifeſtum ipſum facerent ante tempus. Sic demonſtravit, quam alienus a captatione vanæ gloriæ eſſet, ſimulque eripuit Judæis occaſionem in ſe peccandi. Non debebant innoxio Chriſti ſanguine ſe polluere, eaque ſceleris atrocitate graviſſimas ſibi pœnas accerſere, niſi conſummato primum doctrinæ Chriſti curſu. In his omnibus complementum eſt prophetiæ illius, qua Chriſti patientia, benignitas, humilitas & animoſa conſtantia maxime prædicatur; & prædicitur, non eſſe eum exſcindendum, donec ſufficienter propagata, & confirmata doctrina ipſius ſit. Palam eſt, plura illuſtri hoc vaticinio contineri: attamen ea omnia diſerte complectitur ad quæ probanda a Matthæo allegatur.

DISSERTATIO IX.

De
Jesu Portante morbos quos sanabat:
Ad
Matth. VIII: 16, 17.
Collat. cum Jes. LIII: 4.

BREVIARIUM.

I. *De alia re Jesaias videtur loqui Cap.* LIII: 4. *quam Matthæus Cap.* VIII: 16, 17. II. *Dissertationis Partitio.* III. *Jesaias isto capite de Christo vaticinatur.* IV. *Analysis oraculi.* V. *Cujus emphasin imminuere videtur Matthæus.* VI. *Sed revera apposite allegavit.* VII. *Neque quidquam detraxit vi verborum.* VIII. *Et ex stilo scripturæ impletum dixit vaticinium; quando incipiebat impleri.* IX. *Johannes Ludovicus VVoltzogenius laudatus.*

I. De alia re Jesaias videtur loqui Cap. LIII: 4. quam Matthæus Cap. VIII: 16, 17.

MAtthæus Apostolus postquam narrasset Dominum nostrum ad serum usque diei occupatissimum fuisse in curandis dæmoniacis, ejiciendis solo verbo suo spiritibus malis, & sanandis quibuscunque qui ipsi offerebantur ægris; factum illud esse testatur, *ut impleretur, quod dictum est per Jesaiam Prophetam dicentem; ipse invaletudines nostras accepit, & morbos portavit* Matt. VIII: 16. Verba ab Evangelista laudata extant Jes. LIII: 4. Quod caput si quis ulla cum animi applicatione legerit, atque hanc ipsam orationis Propheticæ partem paullo attentius consideraverit, facile deprehendet, de longe alia re Prophetam, alia Evangelistam agere. Unde animo Lectoris non perfunctorie res sacras tractantis difficultas oriri posset, num forte Matthæus a Jesaiæ mente aberraverit, & judicio non satis accurato verba Prophetæ alio quam quo spectant torserit. Qua in re non Matthæi solum sapientia, sed & totius Evangelii ipsius Divina auctoritas vertitur. Homini itaque Theologo omni ope nitendum est, ut Apostolum cum Propheta in gratiam redigat. Quod hac Exercitatione, quantum fieri potest compendiosissime, conabimur.

II. Dissertationis Partitio.

II. Ad difficultationis enodationem tria facienda. I. Exponenda vera ac plena pericopæ Propheticæ mens. II. Explicandum, quatenus Matthæus a Prophetæ mente abire videatur. III. Ostendendum quam amice conveniant, & quam apposite Prophetam Apostolus citaverit.

III. Jesaias isto capite de Christo vaticinatur.

III. Suppono Jes. Cap. LIII. de Messia sermonem esse. Nam A. omnia ei competunt quoad status, officia, beneficia. B. Quædam nulli alteri in sua ἐμφάσει competere possunt. Verbi gratia, *quod non sua sed aliorum crimina luerit, totius populi iniquitates tulerit, castigatione sua aliis pacem & vibice*

vibice suo incolumitatem attulerit, *ex mortuis resurrexerit*, *generationem ejus nemo enarrare possit*, *dolus in ore ipsius inventus non sit*, *cognitione sui multos justificaverit*, *semen viderit æternum*: & si quæ id genus alia. C. Veteres Judæi, fatentibus recentioribus, de Messia exposuerunt. Pro omnibus solus nunc audiatur R. *Moses Alschech*: commentario in hanc sectionem: כי הנה רז״ל פה אחד קיימו וקבלו כי על מלך המשיח ידבר *Nam ecce omnes doctores nostri piæ memoriæ uno ore statuunt & tradunt Prophetam de Messia loqui.*

IV. Analysis oraculi.

IV. Analysis laudati capitis hæc est: vers. 2, 3. describitur humilis Messiæ status. vers. 4. ne is scandalum præbere merito videatur, editur illius causa: ἀρνητικῶς, remotione falsæ, *nos*, carnales Judæi, *existimavimus eum* נגוע, *plaga* θεηλάτῳ, qualis est lepra, *percussum*, & malæ conscientiæ furiis exagitatum, *verberatum Dei*, juste & secundum Legem Dei, וּמְעֻנֶּה, & *subactum*, qui postquam occubuerit, non surrecturus sit. θετικῶς assignatione veræ, אָכֵן חֳלָיֵנוּ הוּא נָשָׂא וּמַכְאֹבֵינוּ סְבָלָם *verumtamen ipse morbos nostros pertulit & dolores nostros bajulavit.* Observa hic I. quid per *morbos* & *dolores* intelligatur. II. Cur illi *nostri* dicantur. III. Quid *circa eos fecerit* Christus. *Morbi* & *dolores* significant pœnas peccatis debitas, quibus tam anima quam corpus, imo totus homo, qui totus in peccato est, affligitur. Jonathan ad peccata refert חובנא ועויתנא *delicta nostra & iniquitates nostras* LXX. ἁμαρτίας καὶ ὀδύνας. Quod & Petrus imitatus 1 Pet. II: 24. caussam cum effectis copulans. Proxime tamen de pœnis intelligendum videtur. A. Quia voces id proprie sonant. B. Ita sumuntur vers. 3. איש מכאובות וידוע חלי C. A peccatis vers. 5. ut a caussis meritoriis distinguuntur. Et *morbi* dicuntur, quatenus hominem impotentem reddunt ad sui liberationem, imo ad quidquam faciendum, quod creatura rationali dignum sit. *Dolores*, quatenus in iis vehemens sensus est Divinæ iræ. Dicuntur *nostri*: qui nobis, non Christo, innocenti & Sancto, debebantur. Estque in his verbis humilis confessio miseriæ per peccatum contractæ. Et sane nullorum pœnas fert & aufert Christus, nisi eorum, qui se eas esse meritos ex animo confitentur ac dolent Matt. IX: 12. XI: 28. Hos morbos ac dolores nostros Christus נשא *in se suscepit*, ut auferret, 1 Pet. II: 24. sicut hircus emissarius Lev. XVI: 21, 22. ונשא השעיר עליו את כל עונתם. Eosdem סבל, velut grave onus *bajulavit*, cum suo labore, molestia, lassitudine. Nam סַבָּל *bajulum* significat, סֵבֶל & סִבְלוֹת *onus* quod portantis humeros premit. Sustulit autem Christus, sive suscepit, ut auferret. Conf. Lev. X: 17. לשאת את עון העדה לְכַפֵּר עליהם *ad ferendum iniquitatem cœtus*, *ad expiationem faciendam pro iis.*

V. Cujus emphasin imminuere videtur Matthæus.

V. Tam augustum Prophetæ sensum imminuere sua allegatione videtur Matthæus. I. Dum quod plurima apud Prophetam complectitur, & ad animam maxime, illiusque æternos cruciatus pertinet, coarctat ad morbos corporis.

corporis. II. Dum tollit vim verborum נשא & סבל: neque enim Christus quos morbos curavit eos in se suscepit. III. Dum asserit illa miraculosa curatione *impletum* esse Jesaiæ vaticinium, videtur lectorum animos a sublimioris rei cogitatione abstrahere.

VI. Cæterum si omnia rite perpendantur, patebit, Matthæum apposite hanc pericopam allegasse. Nam cum morbi, vexatio Diaboli, mors ipsa, pars sint pœnarum, à quibus liberari per Messiam debuimus, non incongruum est, ut Matthæus, quod de omnibus pænis simul sumptis prædictum est, huic pœnarum parti aut speciei applicatum eat. Idque eo magis, quod in tam mirabili cura argumentum validissimum sit, curæ ejus auctorem eundem esse, qui & morbos animi sit sanaturus. Nam utrumque de Messia prædictum: utrumque eadem potestate fit: utrumque sæpe conjunctum fuit Mat. IX: 5, 6. Imo ea auctoritate Christus morbos sustulit, quia pro peccatis, morbi causis, spoponderat, & satisfacturus erat. Accedit quod corporis curatio symbolum & arrha fuerit curationis animæ. Sicut veterum res gestæ rerum Christi figuram habuerunt; ita & Christi ipsius actiones aliæ aliis denotandis inservierunt. Ne itaque quis existimaret, Christum corporis solius esse medicum, monuit Matthæus in corporum sanatione impletum esse Jesaiæ vaticinium, id est, demonstratum veluti in symbolo esse, quam præterea animarum salutem à Christo expectandam habeamus. Liquida enim ratiocinatione colligitur, eum, qui statu miserior erat omnibus inter Israëlitas, ad cujus tamen verbum & morbi & dæmones & mors ipsa fugiebant, non propter sua peccata pati; sed execrationem fieri, ut alii in ipso fierent benedictio. Et sic sensus est: ex tali morborum curatione evidenter patescere, eum qui hæc facit porro in omni emphasi impleturum esse, quod Jesaias prædixit. — VI. Sed revera apposite allegavit.

VII. Nec imminuit Matthæus vim verborum נשא & סבל, quamvis non omnia eo pertinentia dicat. Nam docet, non ita morbos abstulisse Christum, quin earum occasione multas subierit molestias; nullos labores, quantumvis intempestivos, defugiens. Nam quod hic, neque minus apud Marcum & Lucam, tempus exprimitur, *post solis occasum*, habet profecto suam ἔμφασιν. Sed neque altera circumstantia est omittenda, quod Christus inter hæc pene oblisus sit hominum concurrentium turba Marc. II: 2. Luc. V: 18, 19. Quæ præclare a *Grotio* observata sunt. — VII. Neque quidquam detraxit vi verborum.

VIII. Impletur vaticinium aliquod, quando incipit impleri, & quando initium illud arrha est consummatæ impletionis; quod variis exemplis doceri potest. Una enim eademque prophetia in notabili temporum varietate complementum suum invenit. Sic quod prædictum est Es. LIX: 20. *Veniet Sioni Vindex & conversis a defectione in Jacobo*, cœptum est impleri, quando Christus in carne veniens adduxit justitiam æternam; sed & porro implebitur in futura Judæorum ad Christum conversione universali — VIII. Et ex stilo scripturæ impletum dixit vaticinium; quando incipiebat impleri.

Rom. XI: 26. Sic & Jes. LXV: 17. *Ecce ego creaturus sum cœlos novos & terram novam*, impletum est in renovatione Ecclesiæ per præconium Evangelii & effusionem Spiritus Sancti; sed & implebitur die novissimo. 2 Pet. III: 12, 13. Et Jer. XXXI: 31. *Ecce dies venturi sunt, quo pangam cum Domo Israëlis, & cum domo Judæ fœdus novum*, cœpit impleri, quum abrogato V. T. substitutum est Novum Heb. VIII: 13. sed & porro implebitur, quando domus Israël & domus Judæ junctim bonis fœderis illius potientur, nunquam iis iterum defraudandi. Et parabola de collectione ossium dispersorum, & vivificatione aridorum Ezech. XXXVII. cœpit impleri per eductionem populi ex captivitate Babylonica; sed finis complementi est in utroque adventu Christi. Eodem modo & hic cœpit impleri vaticinium Jes. LIII: 4. quando Christus ipse, in misero statu vivens, morbos ac malos dæmones verbo fugavit, sic probans sui status miseriam nonnisi ob aliorum peccata esse: sed perfecte impletum est, quum dirissimas pro nobis passiones subiit. Non in primo illo nos sistere voluit Matthæus: tum enim luculentiora potuisset producere vaticinia, ut Jes. XXXV: 5, 6. sed à consideratione morborum corporis ad meditandos animi morbos voluit evehere.

IX. Johannes Ludovicus Woltzogenius laudatus.

IX. Lubet coronidis loco appingere commentarium *Johannis Ludovici VVoltzogenii*, Viri Nobilissimi & Doctissimi, at Socini placitis plus æquo addicti, hanc tamen pericopam non incommode explicantis. „ Esaias propheta protulit hæc verba de doloribus & morbis, quos Christus ipse in proprio corpore & anima sua sentire ac sustinere nostri caussa debuit. „ Quod autem Matthæus ea ad morbos corporales populi accommodet, id „ fit ideo, quia corporis morbi plerumque sunt signa morbi spiritualis, id „ est, peccatorum. Adeo ut locus hic Prophetæ bis fuerit adimpletus: semel, quum Christus corporis morbos abstulit ab hominibus; non sine „ summa molestia ac defatigatione: dum ad vesperam usque circa ægrorum curationem occupatus, quodammodo ipsas hominum ægritudines „ in se recipiebat.... Altera vice, quando suis perpessionibus ac morte „ spirituales morbos nostrorum peccatorum à nobis sustulit, dum, ut Petrus ait 1 Pet. II: 24. *peccata nostra ipsemet sursum tulit in corpore suo super* „ *lignum*.

DISSERTATIO X.

De Ficu diris a Christo Devota.

BREVIARIUM.

I. *Historia Ficus a Christo maledictæ multis magnisque laborat difficultatibus.* II. *Fames Christi vera, naturalis, sed & pura fuit.* III. *Non sine ratione ad ficum deflexisset Christus, etiamsi scivisset fructibus esse destitutam.* IV. *At probabilius*

probabilius est, nescivisse. V. *Heinsii lectio,* οὐ γὰρ ἦν, καιρὸς σύκων, *examinatur.* VI. *Hammondi interpretatio, non erat annus ficuum ferax.* VII. *Gemina ficorum tempestivitas, altera verna, altera æstiva.* VIII. *Lightfooti singularis observatio.* IX. *Placuit Christo arbori huic maledicere, ad indicium efficaciæ suæ vindicativæ.* X. *Frustra obloquente Episcopio.* XI. *Quum ipsa arbor nihil mali merita fuerit, cogitandum est de mysterio.* XII. *Ex scripturarum analogia colligitur, repræsentari statum populi Israëlitici in sua culpa & pœna.* XIII. *Quod tamen Christus subinnuit potius, quam diserte exponit.* XIV. *Quomodo commonefactio de efficacia & necessitate fidei cum miraculi hujus patratione cohæreat.* XV. *Episcopius laudatus.* XVI. *Quod de montis in mare translatione dicitur, non videtur proprie intelligendum.* XVII. *Mirabilis historia, fabulæ propior.* XVIII. *Locutione proverbiali notatur patratio rei arduæ & fidem propemodum superantis.*

I. Historia Ficus a Christo maledictæ multis magnisque laborat difficultatibus.

SI quis *historiam ficus, diris* à Jesu Christo *devotæ*, sicuti victuris vivificisque chartis eam consignaverunt Matthæus Cap. XXI: 18.--- & Marcus Cap. XI: 12. --- cum mediocri mentis attentione legerit; fieri vix poterit, quin inter legendum multæ grandesque difficultates animo ipsius oboriantur: quibus commode solvendis enixa & repetita aliquoties meditatione opus erit. I. *Mirum* merito videri queat, quo modo Jesus, Bethania exiens, ubi tam amicos liberalesque habebat hospites, summo mane, nullo adhuc diei labore fatigatus, adeo *esurierit*, ut cibi capiundi ac famis sedandæ caussa à via ad arborem aliquam deflexerit. Neque mirum duntaxat; sed & *indecorum* illi, qui exquisitissimæ sobrietatis perfectum erat exemplar, qui appetitibus omnibus naturalibus, sic uti rationi consentaneum est, absolutissimo moderabatur imperio, qui denique Salomonis olim ore ipsius dixerat, *væ tibi terra cujus principes mane comedunt*, Eccl. X: 16. II. Non minus mirum est, quod Dominus famis sedandæ caussa *fructum in arbore ista quæsiverit.* Vel enim fructu eam carere *sciebat*, vel *nesciebat*. Utrumvis dixeris, ex æquo prudentiæ ac sapientiæ ejus derogare videris. Prudentis est, nihil frustra facere. Frustra ac sine ratione facit, qui quærit id quod non exstare, ideoque nec inventum iri, certo prænovit. Nescivisse ergo Christum probabilius est: eoque Marci verba ducunt: ℣ſ. 13. ἦλθεν, εἰ ἄρα εὑρήσει τὶ ἐν αὐτῇ. III. At *qui potuit id nescire*, is super quem recumbit spiritus sapientiæ, intelligentiæ, & consilii, & omnigenæ scientiæ; qui necesse non habet ad conspectum oculorum de re quaque judicare; qui occultas hominum cogitationes in explorato habet; verbo ut absolvam, *qui novit omnia? Nunquid fructuum tempus ignorat fructuum & arborum temporisque creator?* percommode rogat *Eusebius Emissenus.* IV. At seponamus, si lubet, considerationem Divinitatis Christi, eumque qui revera Deus est nunc nobis ut ψιλὸν ἄνθρωπον repræsentemus,

temus, *qui potuit id Christus homo ignorare*, quod cuivis ex pullata plebe, quod pueris & puellis duodecim tredecimve annorum, notissimum erat, non fuisse tunc tempestatem maturarum ficorum? Contigit enim hæc historia die quarto ante Pascha, qui erat undecimus mensis Nisan, adeoque diebus aliquot anterior nostris Calendis Aprilis. Constat autem ficos, in ipsa etiam Judæa, ad maturitatem non pervenire nisi adulta æstate. Vix igitur expectes aliquam ficorum maturitatem, imo, testibus Talmudicis, aliquam foliorum protrusionem, ante Pascha. Id ipse Christus, tantum abest ut ignoraverit, ut expresso nos sermone condocefecerit. Mat. XXIV: 32. Luc. XXI: 30. V. Perquam mirum est, unde cœlesti mansuetissimi Jesu animo tantæ iræ, ut *innoxiæ arbori maledixerit*. Quid enim commiserat ira atque exsecratione Domini, &, quæ inde oriebatur, subita sui arefactione dignum? Si forte frustrata Domini fuerit desiderium; at patrocinium invenit *in importunitate temporis*, ipso Evangelista importunitatem istam allegante. Οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων. VI. Nunquid, si fami suæ consultum voluisset Dominus, satius suæque bonitati convenientius facturus fuisse videtur, *si arbori hactenus sterili repentinam* plurimos præstantissimosque *fructus proferendi facultatem verbo dedisset?* Ita enim æque grande fuisset miraculum, æque splenduisset Christi divina potentia, æque confirmata fuisset Apostolorum fides, potuissetque arbor ita multos in annos pluribus prodesse, quæ, nunc arefacta, & Christo ipsi, & cæteris omnibus, facta est inutilis. Adde, quod tum miraculum illud cunctis aliis à Christo portentose factis magis fuisset consentaneum. Reliqua enim omnia in mirifica boni alicujus collatione consistunt. Hoc unum in maledictione situm est. VII. Quum historiam hanc *in rei arcanioris significationem* contigisse plus quam probabile sit, acquisitu dignum est, *quid* tandem *ea repræsentare* Dominus voluerit: quomodo illa quæ de *fide* illiusque *efficacia* hac occasione prædicavit isti rei conveniant: denique an iis *omnis historiæ hujus significatio mystica* absolvatur.

II. Fames Christi vera, naturalis, sed & pura fuit.

II. Dignæ profecto difficultates istæ sunt, quibus, si pote, expediendis omnis se nostra impendat industria; ut sanctitas, sapientia, æquitas & mansuetudo Domini nostri Jesu Christi sartæ tectæ maneant. Experiamur ergo, quid possimus: initio *à fame Christi* facto. Enimvero assensum meum non impetrant quotquot ex veteribus statuerunt, esuriem istam Christi non *veram*, sed *simulatam* duntaxat fuisse; neque retulisse Evangelistas quid Christus *revera senserit*, sed quid Apostolis *sentire visus* fuerit. Quum enim Evangelistæ Christum esuriisse simpliciter hic narrantes eodem utantur vocabulo, quo veram Davidis sociorumque Matt. XII: 3. Marc. XI: 25. & Apostolorum Matt. XII: 1. ipsiusque adeo Christi esuriem Matt. IV: 2. exprimunt; caussa dici non potest, cur hic à significationis genuinitate recedendum sit. Sed inquirendum restat, fueritne fames

ista

iſta *œconomica*, id eſt voluntaria, & ſponte accerſita, ut cauſſam miraculi edendi haberet; an *naturalis*, ex iis quibus ſolet cauſſis orta. Non admodum iis refragari lubet, qui œconomicam quandam libereque ſuſceptam agnoſcunt famem: attamen nec idoneas video rationes, cur eam ex cauſſis naturaliter agentibus excitatam negemus. Ponamus enim id quod vero ſimillimum eſt, Chriſtum die proxime præterlapſo docendi laboribus fuiſſe occupatiſſimum; ſub veſperam Hieroſolyma pedeſtre iter confeciſſe in Bethaniam; ibi aut parum, aut nihil fortaſſis, cibi ſumſiſſe; totam noctem, vel certe maximam ejus partem, ardentibus precibus, intentiſque animi meditationibus, quibus ad inſtantem ſe mortem præparaverit, inſomnem traduxiſſe: rurſus ſummo mane iter facere cœpiſſe: mirum utique non eſt, ſi matutino tempore aliquem ſpirituum defectum, & nervorum in ſtomacho vellicationem, indeque cibi appetitum ſenſerit. Imo mirum foret, legibuſque naturæ diſſonum, ſi non ſenſiſſet. Neque repugnat illud, vel *liberalitati amicorum* ejus in Bethania; qua non niſi quando lubuit uſus eſt: vel *ipſius ſobrietati*; cujus ex hac noſtra hypotheſi luculentiſſima in diuturno iſthoc jejunio exhibuit ſpecimina: vel *Eccleſiaſtis* laudato *oraculo*: nam poſt diuturnum jejunium, & noctem incœnatam, eandemque in precibus & meditationibus, ſpiritus animales valde abſumentibus, exactam, matutino tempore cibi aliquid virium reficiendarum cauſſa expetere, toto cœlo diſtat à luxurioſa eorum voracitate, qui, genio indulgentes ſuo, ciborum delicias ſummo mane ſectantur, & heſternam cruditatem matutina crapula ſuffarcinant: quales illi ſunt, in quos invehitur Salomon. Fames ergo iſta quæ Chriſtum inceſſit, *vera* fuit, & conditionis humanæ argumentum; ſed & *pura* fuit, omniſque vitii expers: neque nunc dedecuit magis Chriſtum, quam olim in deſerto, quam ſomnus in navi, quam ſitis in cruce. Atque hæc quidem primæ difficultati tollendæ ſufficere arbitror.

III. Non ſine ratione ad ficum deflexiſſet Chriſtus, etiamſi ſciviſſet fructibus eſſe deſtitutam.

III. Ad ſecundam accedamus. Ea hoc dilemmate conſtat, vel *ſcivit* Jeſus, nullum in ficu fuiſſe fructum, vel *neſcivit*. Reſpondeo, neutrum eſſe abſurdum, neutro prudentiæ aut ſapientiæ Chriſti quicquam derogari. Si ſtatuamus, ſciviſſe Chriſtum; non idcirco fruſtra, aut ſine ratione fuit, quod ad arborem deflecteret, fructumque in ea quæreret. Habuit enim tota iſta Chriſti actio, uti deinceps oſtendemus, arcaniorem ſignificatum. Nimirum placuit Chriſto, occaſione famis ſuæ materiam ſumere diſſerendi de fidei in Deum efficacia. Ne vero materia iſta nata, vel oblata videretur, ſed ſponte quæſita eſſe appareret; fieri poteſt ut videri voluerit quærere in arbore ficos; quum tamen & ipſe ſciret, & diſcipulos ſuos ſcire noſſet, tempus ficorum non eſſe: ut, quum deinceps ficui iſti maledicturus eſſet, diſcipulis, ejus rei cauſſam ſciſcitaturis, ſola fidei in Deum efficacia id factum eſſe declararet. Quare quod quæſiviſſe dicatur, an aliquas in arbore ficos inveniret, id dicis ſolius cauſſa, ſive de induſtria, fieri potuit. Eo

 aurigan-

aurigantibus, ut quidam putant, Marci verbis, *non enim erat tempus ficorum:* ut indicaret, aliud à Christo actum animoque propositum fuisse, quam prima specie appareret. Hanc loci istius interpretationem olim sibi commodissimam fuisse visam fatetur *Episcopus;* quamvis deinde aliam sit amplexus. Vide *responsionem ipsius ad* LXIX. *Quæstiones. Quæst.* IX. *p.* 8.

IV. At probabilius est, nescivisse.

IV, Mihi quoque in exponendis Divinis voluminibus ingenuitate & candore nihil est antiquius. Ideoque haut illubenter in eam me propendere sententiam profiteor, *revera ignoravisse Jesum*, an ista ad quam deflectebat ficus fructus haberet, atque eam ob rem serio venisse visum ecquid inveniret. Neque ea re quicquam de præstantia & honore Domini nostri deteritur. Non enim de eo hic agitur uti *Deo*, immo ne quidem ut *Mediatore*, sed unice ut *homine*. Qua *Deus* est, nihil est tam grande tamve minutum, tam sublime aut tam humile, quod cognitionem ejus effugiat. Quatenus est *Mediator*, Deitas ipsius, humanitati arctissimo nexu juncta, earum rerum omnium scientiam humanæ etiam naturæ impertiit, quarum cognitio ad tam eximii muneris functionem requirebatur. Atque huc pertinet abundantia illa sapientiæ, intelligentiæ, ac prudentiæ, quam ex unctione Spiritus Sancti consecutus est; adeoque & illa in dignoscendis mentium humanarum arcanis cogitationibus perspicacia, quam ex Deitatis suæ revelatione habebat. Cæterum ad eam classem referendæ non sunt omnes vitæ hujus animalis res, quarum usus Christo ut *homini* duntaxat fuit. In iis aliquid ignorare, neque Mediatori nocet, & humanæ naturæ, nobis in omnibus, demto peccato, similis, argumentum est. Demus ergo, Christum, uti qua homo vere esurivit, uti vere ad arborem accessit, uti vere inquisivit ecquid in ea inventurus esset; ita id vere ignoravisse, antequam cepisset experimentum.

V. Heinsii Lectio, ὗ γὰρ ἦν, καιρὸς σύκων, examinatur.

V. Non tamen idcirco dandum est, Christum in id genus rebus proletariis hominibus, aut grandioribus pueris, fuisse ignorantiorem. Neque colligi id ex eo potest, quod fructum in ficu quæsiverit, quando *tempus ficorum non erat*. Nam certe anni tempestates, & quis quaque tempestate fructus maturus esset, nominatim quæ esset tempestas ficorum, optime ipsum discrevisse, patet ex Mat. XXIV: 32. & Luc. XXI: 30. Quæ loca supra quoque laudata sunt. Alia igitur quærenda est dicti istius interpretatio. Eam se primum convenientissimam ac verissimam invenisse putat *Daniel Heinsius*, suis in Marcum Exercitationibus Sacris. Nimirum sola transpositione unius spiritus & accentus, sine ulla vocum, vel levissima, mutatione, in alium, immo contrarium sensum, exibit oratio: si legas, ὗ γὰρ ἦν, καιρὸς σύκων. *Ubi enim erat, tempus erat ficuum:* vel, tempestivæ, ac maturæ erant ficus. Quæ lectio, neque textui dissona, & rerum veritati atque historiæ nexui admodum videtur esse consentanea. Accentus enim spiritusque, quos, ut & distinctiones, omittebant veteres plerumque (quod

(quod antiqua docent exemplaria) aut negligebant, sæpius mutatos, non est cur miretur quisquam. Minime autem, qui antiquos codices, vel obiter, inspexit. Porro eo tempore & loco quibus hæc contigerunt, ficus præcoces ad esum idoneæ, atque maturæ erant. In Oriente, primo mense, qui Hebræis Nisan, Martius Romanis, ficos nasci *Plinius* testatur: neque paullo certior majorque auctor, Salomo, in Cantu Nuptiali Cap. II: 13. inter argumenta veris & indicia, ficorum grossos ponit. *Ficus protulit grossos suos.* Et præcessit, *Hyems enim transiit.* Ab istis *Betphage*, ad quam tum versabatur Dominus, videtur dicta. Hebræis enim פגים *grossi;* quod non modo plures ibi, sed maturius, & præcoces, aut citius quam alibi in Oriente, provenirent. Ubi nihil gratius quam σύκȣ πρόδρομ☉. Ita autem præcocem, & ante tempus solitum maturam, Hellenistæ dicunt. Quam repertam quivis avide vorabat: neque quicquam minus quam frustrari spem atque expectationem in hoc fructu suam Orientis filii ferebant. Jes. XXVIII: 4. Ex quibus omnibus sic infert Vir Illustris: *Quis ergo dubitat, quin, ubi Dominus tum fuit, maturas fuisse ficus Evangelista dicat? istam autem, ideo damnatam, quod dissimilis tum cæteris spem dubitantis ac esurientis Domini eluderet aut frustraretur.* Negari profecto non potest, quin ingeniosa admodum sit ista interpretatio, quæ sola accentus unius & spiritus & interpunctionis mutatione, si mutatione, & sensum gignit commodum, & difficultates omnes tollit. Unum obstat, quo minus ei suæ hæsitatione assentiar, quod constanti Veterum, quotquot sunt, omnium lectioni, omni bus, quotquot exstant, ulla in lingua eruditis nota, antiquis versionibus repugnet. Novam autem lectionem pro arbitrio sibi fingere, quantumvis plausibili prætextu, ab hominis Theologi modestia alienum esse arbitror.

VI. Hammondi interpretatio, non erat annus ficuum ferax.

VI. Videamus igitur, num, servata constanti codicum lectione, sapientiæ pariter & æquitati Domini nostri consuli possit. Sunt qui ita rem concipiunt: quum καιρȣ̃, temporis aut tempestatis, latissima sit significatio, qua non modo *pars* aliqua *anni*, sed & *annus integer* notari queat; nihil absurdi fecerit, qui sic interpretetur, *non enim erat annus ficuum ferax*: quod nos Belgæ diceremus, **want het en was geen goed Vyge jaar**/ Galli, *car ce n'étoit pas une saison favorable aux figues.* Quemadmodum ab horatio *pomifer*, & *locuples frugibus annus* dicitur. Admissa hac interpretatione, totam hanc pericopam perspicuam esse putant. Christus esuriens prospicit ficum. Videt eam virentibus foliis luxuriantem. Inde spem fructuum concipit. Hac spe de via deflectit, visurus ecquas ficos inveniat, sive præcoces, sive alias. Accedit proxime. At præter folia nil invenit. Cujus inexpectatæ rei hæc adfertur ratio: *neque enim erat tempestas ficubus abundans.* Quod non observatum fuisse à Domino, majorum semper cogitationum pleno, neque absurdum, neque mirum oppido est. In hanc mentem, post alios, *Hammondus.* Sed non immerito similis locutionis exempla requirit

Clericus.

Clericus. Etenim in sacris nostris καιρὸς θερισμοῦ Mat. XIII: 30. καιρὸς τοῦ καρποῦ τῆς ἀμπελῶνος Luc. XX: 10. eam anni tempestatem notant, qua maturæ ad messem fruges, maturæ ad vindemiam uvæ esse solent.

VII. Gemina ficorum tempestivitas, altera verna, altera æstiva.

VII. Ea sine dubio omnium optima interpretatio est, quæ neque receptam textus lectionem sollicitat, neque à sueta verborum significatione recedit, & tamen cunctis historiæ partibus est consentanea. Ast ubi talem inveniemus? Meditemur aliquantulum. Nuper ex *Heinsio* intelleximus, notas duum generum ficus in Judæa fuisse, alteras præcoquas, quæ primo vere maturescerent, alteras serotinas, non nisi adulta æstate ad manducandum idoneas. Quæ observatio tam sacrarum literarum, quam exoticorum scriptorum auctoritate confirmatur. Præconium ficorum, quæ Hebræis dicuntur בכורות, mentionem facit Hoseas IX: 10. *Ut uvas in deserto inveni Israëlem, ut* בכורה *præcocem in ficu.* Item Jeremias XXIV: 2. *Canistrum unum ficorum optimarum, ut sunt fici præcoces.* Adde Jes. XXVIII: 4. Mich. VII: 1. De *serotinis* ficis agitur Num. XIII: 24. quæ à speculatoribus cum uvis in Cananæa decerptæ, & in Israëlitarum castra allatæ sunt. De iisdem disserit Dominus Matt. XXIV: 22. *Theophrasti* ac *Plinii* in eandem rem testimonia excerpsit, post alios, *Clericus*. Gemina itaque fuit ficorum tempestivitas, altera verna, altera æstiva. Applicemus hæc ad rem præsentem. Vidit D. Jesus ficum foliis suis insigniter luxuriantem; inde collegit, fuisse ex præcoquis, quæsivitque in ea fructum. Non invenit tamen, quia non erat ex præcoquarum genere; ideoque hujus arboris intuitu non erat καιρὸς σύκων, sic enim Evangelistæ verba haud incommode limitari posse videntur. Neque quicquam hic indignum aut indecorum Domino Jesu occurrit, si statuatur, è longinquo, secundum humanam suam naturam, non recte discrevisse, utrum ficus ista ex præcoquarum an serotinarum genere esset.

VIII. Lightfooti singularis observatio.

VIII. Si hæc nondum satisfaciant, nullus intercedo quin addantur *Doctissimi Lightfooti* annotata: quorum summa huc redit. Si Talmudistarum standum sit testimonio, varia ficuum genera in Judæa fuerunt: ex quibus quædam fructum unoquoque anno ferebant, aliæ non nisi bienno aut triennio. Atque hæ quidem primo quoque anno protrudebant fructus, sed ad maturitatem non perducebant nisi secundo aut tertio. Et quum reliquæ ficus vento aut hyeme orbari foliis suis soleant, hæ præteriti & præsentis anni folia, tam hyeme quam æstate, retinuerunt. Fortassis suspicatus est Christus, hanc quam tam frondiferam cernebat ficum ex eo genere fuisse, ab eaque ficos exspectasse, non utique præsentis anni (longe enim tempus ficorum aberat) sed præteriti, quæ totam hyemem, vel forte biennium, arbori adhæserant. Atque ita verba ista Marci οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων non præcise rationem reddunt cur fructus non invenerit Christus, sed ad totam Christi actionem referenda sunt; cur scilicet in monte isto ficubus abundanti

abundanti unam duntaxat conspexerit ἔχουσαν φύλλα (nam peculiare aliquid iis indicari verbis videtur, ac si reliquæ ficus sine foliis fuissent, talibus saltem quæ fructum pollicerentur) & cur eam, conspectam è longinquo, adierit, ab eaque sola fructus quæsiverit: non enim erat tempus ordinariarum ficorum. Atque hæc quidem modestiis suffectura ingeniis arbitror.

IX. Placuit Christo arbori huic maledicere, ad indicium efficaciæ suæ vindicativæ.

IX. Nunc expendamus, cur placuerit mansuetissimo Jesu, *arbori isti maledicere*, eo effectu ut mox *à radicibus arescere* cœperit; & arbori quidem, uti videtur, *innoxiæ*, quam haud mirum est fructum non tulisse, quum tempus fructuum non esset. Respondet *Chrysostomus*, Jesum, ubique alias beneficum, voluisse ut aliquod saltem potestatis suæ punitivæ extaret exemplum: ut exinde, non Apostoli solum, sed & Judæi, discerent, quod is qui crucifigentes ipsum arefacere potest, gratiæ & clementiæ suæ imputari velit, si non arefaciat. Maluit autem efficaciæ suæ vindicativæ exemplum in arborem quam in hominem edere. Ipsa disertissimi oris verba hæc sunt: *ἐπειδὴ πανταχοῦ εὐηργέτει, οὐδένα δὲ ἐκόλασεν, ἔδει δὲ καὶ τῆς τιμωρητικῆς αὐτοῦ δυνάμεως ἀπόδειξιν παρασχεῖν. ἵνα μάθωσι καὶ οἱ μαθηταὶ, καὶ οἱ Ἰουδαῖοι ὅτι δυνάμενος ξηρᾶναι τοὺς σταυροῦντας αὐτὸν, ἑκὼν συγχωρεῖ καὶ οὐ ξηραίνει. οὐκ ἐβούλετο δὲ τοῦτο εἰς ἀνθρώπους ἐνδείξασθαι, εἰς τὸ φυτὸν τῆς ἐνεργείας αὐτοῦ τῆς τιμωρητικῆς τὴν ἀπόδειξιν παρέσχετο.* Addit facundissimus Interpres: *οὐδὲ ἐν ἄλλῳ φυτῷ, ἀλλ᾽ ἐν τῷ πάντων ὑγροτάτῳ τὸ σημεῖον ἐποίησεν, ὥστε κἀντεῦθεν μεῖζον φανῆναι τὸ θαῦμα. In ficu autem potius, quæ omnium succosissima est, quam in alia quacunque planta, signum hoc extare voluit; ut vel hinc majus appareret esse miraculum.* Enimvero portentificæ Christi potentiæ validum argumentum est, quod tam subito hæc arbor, tam succulenta, tamque frondosa, non apposito igne, non ferro cedente, non evulsa vento, non defossa radicibus, solo omnipotente Domini verbo, tota exaruerit.

X. Frustra obloquente Episcopio.

X. Quæ non incommode, uti ego quidem arbitror, annotata, nescio cur adeo displicuerint *Simoni Episcopio*, in alia omnia eunti. *Res*, inquit, *quam Christus discipulorum animo infigere voluit, non erat demonstratio potentiæ suæ, nedum potentiæ in punienda ista arbore. Enimvero si potentiam suam facto aliquo demonstrare Christus propositum sibi habuisset, multo verisimilius videtur, facturum eum fuisse, ut arbor ista, reperta frugibus vacua, frugifera reddita fuisset, imprimis quia ista ratione fami suæ succurrere potuisset. Nec enim minus facile fuisset Christo, eam verbo frugiferam quam aridam fecisse. Ut vero vel impetu aliquo, vel pœnæ arbori infligendæ caussa, eum potentia sua ad eam arefaciendam usum esse dicatur, nimis est absurdum & stolidum.* Hæc Episcopius. Cui facile largior, absurdissimum esse & stolidissimum, si quis retur, Christum ex irati animi impotentia, quod suo vescendi desiderio infelix arbor non respondisset, diris eam devovisse; sed non propterea absur-

dum est & stolidum, si quis credat voluisse Christum, instante jam extrema sui inanitione, & eopse tempore quo se naturam nostram una cum illius infirmitatibus assumsisse palam faciebat, portentificæ suæ potentiæ novum edere circa hanc arborem exemplum: & quidem, cui simile nunquam viderant Apostoli, exemplum θαυματεργίας κολαστικῆς, ut loquebantur Veteres, potentiæ suæ punitivæ: ut appareret, eum qui tam illustria multoties miraculosæ suæ clementiæ documenta dedit, non tamen severitatem suam adversus ingratos, pertinaces ac refractarios prorsus deposuisse: quam si non tam frequenter exerceat, non ex potentiæ illud defectu, sed ex gratiæ abundantia provenire. Immo ne hic quidem gratiæ demonstratio deest: quum severitas ista non circa homines exerceatur, sed tantum, sine cujusquam hominis detrimento, circa ficum, quæ, ad viam posita, nullius fortasse hominis propria erat; idque ad salutarem hominum commonefactionem. Sicuti porcos à dæmonibus in mare præcipites dari permisit; sed ab iis dæmonibus, quos humanis exire corporibus jusserat. Pulcre *Hilarius: In eo quidem bonitatis Dominicæ argumentum reperiemus. Nam ubi adferre procuratæ à se salutis exemplum volebat, virtutis suæ potestatem in humanis corporibus exercuit; spem futurorum & animæ salutem curis præsentium ægritudinum commendans. Nunc vero, ubi in contumaces formam severitatis constituebat, futuri speciem damno arboris indicavit, ut infidelitatis periculum, sine detrimento eorum in quorum redemtionem venerat, indicaretur.* Potuisset utiq; arborem illam frugiferam efficere, ut haberet quo vesceretur. Sed noluit, & sapienter noluit. Ratus, satius hoc tempore esse, ut justitiæ suæ vindicativæ portentosum etiam symbolum ac monumentum aliquod exstaret: ostenderetque se alium, præter corporeum istum, habere cibum, quem cæteri homines ignorabant. Et quis carpat illud, nisi qui sibi homuncioni licere vult omnia, Domino non vult? Præclare *Grotius: Clementissimus Dominus, quum innumeris miraculis sua in nos æterna beneficia figurasset, severitatem judicii, quod infrugiferos homines manet, uno duntaxat signo, idque non in homine, sed in non sensura arbore, adumbravit; ut certi essemus, bonorum operum sterilitatem gratiæ fœcundantis ademtione puniri.*

XI. Quum ipsa arbor nihil mali merita fuerit, cogitandum est de mysterio.

XI. At *quid* tandem *commisit* infelix arbor, ob quam rem tam inopinato mulctaretur exitio? Si verborum proprietatem sectemur, omnino nihil. Creaturæ enim rationis expertes, uti virtutis ac vitii, ita & præmii ac pœnæ, proprie & stricte loquendo, incapaces sunt. Potest tamen in creaturis istis aliquid existere, quod, analogica & symbolica quadam ratione, & vitio & pœnæ respondeat. Defectus fructuum in arbore cæteroquin generosa, succulenta, bene plantata, frondosa, multa pollicente, symbolice respondet vitio animi degenerantis, luxuriosi, ingrati, simulati, superbi, vera tamen virtute destituti. Subitanea arboris ex imprecatione Christi arefactio, qua tollitur quidquid in arbore videbatur esse boni, analogiam quandam

quandam habet cum justissima Christi vindicta, qua in eos animadvertit qui benignitate sua abutuntur: Quemadmodum igitur peccata ista hominum vere merentur pœnam, ita κατ᾽ ἀναλογίαν dici potest, arborem, ita uti descripsimus comparatam, mereri exitium. Cui apologiam non facit Marcus, illo suo, οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων. Quod cuivis patebit attendenti ad ea quæ de genuina istorum verborum mente disputavimus §. VI. VII. VIII. hic non repetenda. Denique, quum hæc non propter arborem, sed ad majoris rei significationem facta sint; non tam in arbore hærendum, quam ad mysterii meditationem enitendum est.

XII. *Mysterium* autem *geminum* historiæ huic subesse arbitror: quorum alterum, utpote evidentius, ex scripturarum analogia suis colligendum reliquit Jesus, alterum ipse disertiore sermone exposuit. Sub *arborum* emblemate *gentem Israëliticam* proponi, tralatitium, non in Veteris solum, sed & Novi fœderis oraculis est. Nominatim autem comparatur *ficui*. Jer. XXIV: 2. Luc. XIII: 6. arbori in Judæa notissimæ, gratissimæ, æstimatissimæ. Ficus ista plantata fuit in *montibus* Judæ, loco fertilissimo. Populus Israëliticus, in felici ista terra habitans, multis à Deo auctus est beneficiis, quibus obligatus fuit ad ferendos virtutis ac pietatis fructus uberrimos & præstantissimos. Eorum videndorum & percipiendorum *desiderio* flagravit Dominus Mich. VII: 1. *Præcocem fructum desiderat anima mea.* Quamvis nondum *æstivarum* ficorum, quales non nisi post exaltationem Christi, & ubertim in suos effusa Spiritus Sancti dona, erant expectandæ; attamen *præcocium tempus* erat: nam præterita jam prisci rigoris hyeme, sub novi veris adventum, grossulos suos proferre ficum oportuit. Cant. II: 11, 13. Venit igitur ad ipsos Christus, visurus quid fructuum ferrent. Sed invenit *foliorum* plurimum: *fructuum* nihil. *Folia* sunt, jactatio legis; templi, cultus, cerimoniarum, pietatis denique & sanctimoniæ; quarum se specie valde efferebant. *Fructus* sunt, resipiscentia, fides, sanctitas, quibus carebant. Parabolica ficus *maledictio* significavit, futurum esse ut populus Israëliticus, justa Dei indignatione, omni virore & succo spiritualis fœcunditatis privetur: & quia fructus bonorum operum proferre isthoc tempore noluit, deinde nec possit. Ac veluti maledictionis sententiam ficus *arefactio* protinus excepit: sic & Judæorum natio, mox post spretum proterve Messiam, exaruit: decussis etiam illi foliis. Arefacti sunt ritus sacrificiorum, totusque cultus Leviticus: exaruit gloria templi. Exaruit vigor reipublicæ. Et instar aridæ arboris, pabulum superest æterno igni. Heb. VI: 7, 8. *Stupebant* Apostoli, tam subitaneam frondosæ ficus arefactionem conspicati. Judaicæ nationis excidium stuporem incussit omnibus quotquot viderunt, vel audiverunt. Deut. XXIX: 24. Cæterum in eo discrimen aliquod esse videtur inter maledictionem ficus, & reprobationem populi Israëlitici, quod ficui dictum sit, *Ne post hac fructus ex te nascatur in*

XII. Ex scripturarum analogia colligitur, repræsentari statum populi Israëlitici in sua culpa & pœna.

 sempiter-

sempiternum, quodque *exaruerit radicitus*: populus autem Israëliticus regerminaturus sit, jucundissimisque veræ resipiscentiæ fructibus exuberaturus. Rom. XI: 25, 26. Atque hæc quidem sacrarum literaturum vel mediocriter gnaro satis videntur esse liquida, ut etiam sine exserta Domini commonefactione cognosci potuerint.

XIII. Quod tamen Christus subinnuit potius, quam diserte exposuit.

XIII. Neque enim iis assentior, qui statuunt, non fuisse Christo expediens visum, odiosam illam atque invidiosam miraculi significationem, Juda potissimum præsente, directe explicare: quia in historia passionis maximi probri loco illi objicitur, quod se templum Dei destruere posse dixerit Mat. XXVI: 61. ac Stephanus hoc nomine coram Synedrio graviter accusatur, quod adversus locum illum sanctum non cesset loqui. Act. VI: 13. Christum ergo, invidiæ hujus declinandæ caussa, maluisse discipulis suis hoc cogitandum relinquere, donec eventus ipse miraculi hujus finem revocaturus iis esset in memoriam. Longiuscule hæc petita esse arbitror, & à Christi Domini consuetudine abhorrentia. Quippe qui paullo ante, Hierosolymæ exidium disertissimis verbis in Regio suo *introitu* prædixerat: & paullo post, principibus sacerdotum & Pharisæis alia parabola scelera ipsorum in os exprobravit, cum tam evidenti eversionis ipsorum prænunciatione, ut in se ea dici facile intellexerint, Mat. XXI: 33, 45. denique urbis & templi instantem destructionem, cum antegressuris eam signis, prolixo sermone, discipulis suis postridie exposuit. Ne dicam nunc, quod ab aliis judiciose est observatum, in hac ipsa Christi concione mysticam illam arefactæ ficus significationem subindicari. Dum enim hinc occasionem sibi sumit fidem discipulis commendandi, subinnuit, populum Judaicum propter incredulitatem in ista crimina istamque pœnam incidisse.

XIV. Quomodo commonefactio de efficacia & necessitate fidei cum miraculi hujus patratione cohæreat.

XIV. Cæterum ista Christi *de fidei necessitate ac virtute commonefactio*, quomodo *cum patratione hujus miraculi cohæreat*, & ex ea fluat, obscuriusculum est; ideoque curatius indagandum. Non desunt qui existiment, Christum per accidens, uti loquuntur, doctrinam illam repetiisse propter admirationem discipulorum ex incredulitate ortam. Quibus ego profecto nequaquam adstipulor. Res enim ipsa clamat, Christum hoc fine miraculum illud edidisse, ut occasionem haberet informandi discipulos suos de virtute & efficacia fidei. At quo *rerum nexu*? Eum dupliciter assignari posse existimo. Et primo quidem sic: Mirabantur discipuli, sola verborum Christi virtute ficum repente exaruisse. Admirationi isti occurrens Christus, promittit se virtutum iis daturum esse, eadem, vel majora etiam, miracula patrandi, quotiescunque Dei gloria, vel publica privatave Ecclesiæ utilitas illud exigit. Quia vero ad miracula ejusmodi facienda fides requiritur, qua in Deum, veracem & omnipotentem, quivis credens recumbit; hinc generatim commendat fiduciam in Deum, mox specialius illam fiduciam quæ isti œconomiæ erat consentanea, qua sperare Apostolis licebat,

bat, quidquid Dei nomine atque instinctu, etiam præter solitum rerum ordinem, moliantur, id iis esse successurum.

XV. Sed & alium nexum subtiliter, si quid judico, invenit *Episcopius:* cujus verba appingere non pigebit. Sic ergo ille: *Quare rem istam, de qua erudiendi discipulos suos occasionem sumere voluit Christus, ego arbitror hanc fuisse: neutiquam se diffidere Patri suo, etiamsi fame premebatur, & fami sedandæ remedium non reperiebat. Tantum abesse ut propterea Patri suo diffideret, & ei se minus charum ac dilectum esse crederet, ut, quia Patri suo ita videbatur, famem illam libenter se sustinere ac tolerare velle ostensurus esset. Arborem nempe illam non frugiferam reddendo (quod vel vi sua Divina efficere, vel precibus à Patre suo impetrare, sine dubio potuisset) sed exsuccam potius & aridam illico faciendo. Eo enim ipso ostendebat, se Patri suo fidere; ac firmiter credere, non ex solo pane, id est, qualibet re, ac proinde etiam ex ficu, ad nutrimentum idonea, sed ex omni verbo, id est, ex re qualibet, quâ Deus uti vult ad nutriendum, hominem vivere: & eum qui sic Deo fidit difficillima quæque superare posse: quin & ista virtute à Deo donatum iri, ut non minus nec difficilius, si modo in fide ista constanter perseveret, & precibus apud Deum pro ope ac auxilio contendat, gravissima quoque obstacula atque impedimenta, licet altissimorum montium instar sint, sublaturus atque amoturus sit, quam ficum istam verbo solo aut jussu suo exarefecerit Christus.* Hactenus Episcopius. Equidem caussam non video quominus admonitionis Dominicæ cum antegressa historia utramque hanc connexionem recipiamus: quum neutra alteri præjudicet, & utraque æque propemodum commoda esse videatur. XV. Episcopius laudatus.

XVI. Unum adhuc expediendum restat, quo sensu dixerit Dominus, *etiamsi monti huic dixeritis, tolle te, & projicitor in mari, fiet.* Matt. XXI: 21. Marc. XI: 23. Cui similis locutio exstat Mat. XVII: 20. 1 Cor. XIII. 2. Qui secundum literam hæc intelligenda esse pugnavere, multum super ea re Christianis facessiverunt negotii. De quorum aliquibus conquestus aliquando *Hieronymus* est, suis in hunc locum commentariis. *Latrant,* inquit, *contra nos gentilium canes in suis voluminibus, quæ in impietatis propriæ memoriam reliquerunt, asserentes Apostolos non habuisse fidem, quia montes transferre non potuerint. Quibus nos respondebimus, multa facta esse signa à Domino, juxta Johannis Evangelistæ testimonium, quæ si scripta essent, mundus capere non posset. Non quod mundus volumina capere non potuerit, quæ potest, quamvis multiplicia sint, unum armariolum, vel unum capere scrinium, sed quod magnitudinem signorum præ miraculis & incredulitate ferre non possit. Igitur & hæc credimus fecisse Apostolos; sed ideo scripta non esse, ne infidelibus contradicendi major daretur occasio.* In eandem mentem Chrysostomus ad Matth. XVII: 20. Εἰ δὲ λέγεις, πῦ ὄρος μετέθηκαν, post alia aliqua sic respondet: εἰκὸς δὲ καὶ γεγενῆσθαι τῦτο καὶ μὴ γεγράφθαι. ὐδὲ γὰρ πάντα ἃ ἐθαυματύργησαν ἐγράφη. Paullo ante dixerat: Λέγονται δὲ μετ' ἐκείνους ἅγιοί τινες, ἐκείνων ἐλάττυς πολλῷ XVI. Quod de montis in mare translatione dicitur, non videtur proprie intelligendum.

πολλῶ, καὶ ὄρη χρείας καλεσάσης μεταθεῖναι. Sic quidem præstantissimi illi interpretes: at difficulter rei nusquam memoratæ fidem inventuros esse credo. Et si vel maxime montem aliquem ab Apostolis eorumve successoribus, sede sua motum, & in mare translatum esse, constaret; necdum tamen satisfactum esset verbis Domini: qui non de quolibet monte, sed de illo nominatim, locutus est, quem præsentem tunc intuebantur omnes, montem nimirum Oliveti, qui ex Bethania Hierosolymam proficiscentibus superandus erat. Eum vero montem suo etiamnum loco extare compertissimum est.

XVII. Mirabilis historia, fabulæ proprior.

XVII. Non paullo pressius argumentum hoc ursisse *Sarracenum Calipham* narrant *Marcus Paulus Venetus*, & *Gulielmus Postellus*, & ex utroque in Harmonia sua *Johannes Gerardi*. Memorant illi, Calipham istum Christianis, qui circa Taurisium in Perside erant, doctrinæ Christianæ falsitatem objecisse, hoc argumento, quod Christus dixerit, fore, ut si quis fidem haberet, montes moveret suo loco. Itaque coëgisse illos, ut vel fide & oratione dogma hoc verum esse ostenderent, vel Mahumetis reciperent doctrinam, vel omnes misere perirent. Terribilis profecto disputandi ratio. At quo se tandem modo expediunt pressi tam inique Christiani? Audite rem miram, modo veram: cunctis ad preces ardentissimas conversis, surrexisse ajunt quendam fide ac spe plenum, dixisseque, *Abi mons hinc in Nomine Domini nostri Jesu Christi;* confestimque montem emotum sede sua, permultis Sarracenis amplectandæ religionis Christianæ occasionem dedisse. Quæ profecto oppido forent notabilia, modo narratio ista idonea auctoritate fulciretur. At, nequid dissimulem, tantum mihi credulitatis domi non est.

XVIII. Locutione proverbiali notatur patratio rei arduæ & fidem propemodum superantis.

XVIII. Nullus equidem dubito, quin tanta aliquando fide præditi fuerint Apostoli, ut, si Spiritus Christi, cujus ductu regebantur, impulsu montes loco cedere, & in mare se præcipitare, jussissent, id etiam reapse fuerit futurum. Cæterum usu non venisse credo, ut eam rem expedire judicaverint. Majora interim fecerunt. Nam unius mortui excitatio, plus est quam multorum montium translatio. Quum illud omnes naturæ vires exsuperet, hoc vero ingenti terræ motu naturaliter quandoque contingat. Cæterum non eam hic rem agi existimo; neque presse nimis urgendum esse literæ sonum. Utitur Christus locutione proverbiali, ex communi gentis atque ætatis suæ consuetudine petita. Solebant enim Judæi φράσει ista rei cujusque arduæ, inexpectatæ, & fidem prope modum superantis patrationem indicare. Crebroque de illustribus Doctoribus suis, maximas quasque difficultates, ingenii sui vi, & orationis facundia, è medio tollentibus, dicere consuerant, הוא עוקר הרים *ipse est eradicator montium.* Imo & amplificant locutionem istam hyperbolicam. *Vidit*, inquiunt in Talmude, *Resh Lachisk in Schola, ac si eradicaret, & hunc illo commoleret.* Plura

Plura exempla congessit Doctissimus *Lightfootus* ad hunc locum. Non procul hinc recedunt ῥήσεις istæ scripturariæ, quibus magnorum remotio impedimentorum, montium complanatione, & in planitiem redactione, exprimitur. Jes. XL: 4. Zach. IV: 7. Quando igitur promittit Apostolis suis Dominus, futurum esse ut fidei suæ virtute *montes transferant*, hic videtur esse sensus, nihil tam arduum fore, tam sanctis ipsorum conatibus adversum, quantumvis illud validum, & montis instar immobile esse censeatur, quod fidei suæ constantia ac precum ardore non superent. Cui explicationi favet generalior illa promissio, speciali huic addita, *omnia impetraturos quæ credentes petierint*. Atque hac interpretationis simplicitate ego equidem contentus esse possum: subtilioribus aliorum, sive Veterum, sive Recentiorum, expositionibus, suis auctoribus suoque loco relictis.

DISSERTATIO XI.

Qua acquiritur

An Christus eodem quidem cum Judæis die, sed non eadem diei parte, ultimum suum Pascha manducaverit.

BREVIARIUM.

I. *An diverso, an eodem cum Judæis die, Christus ultimum suum Pascha comederit, discrepant Interpretes.* II. *Sunt qui eodem quidem die id factum esse contendunt, sed non eodem diei tempore. his nixi hypothesibus:* III. *Quoniam præcisum diei tempus primæva lege definitum non est.* IV. *Et Ægyptiacum Pascha celebratum est incipiente die* XIV. *circa vesperam.* V. *Serior Lex Deut.* XVI: 6. *adstringit ad tempus occidentis solis.* VI. *Parasceve Paschatis & Pascha non duo distincti dies, sed ejusdem diei distincta sunt tempora.* VII. *Quoniam redemtio ex Ægypto est typus redemtionis per Christum, conveniens esse videtur ut Christus eodem diei tempore ultimum suum Pascha celebraverit quo Israëlitæ primum in Ægypto.* VIII. *Ad quod probandum adducitur Matt.* XXVI: 18. IX. *At omnes hæ hypotheses incertæ sunt, aut falsæ.* X. *Inter duas vesperas notat partem aliquam diei pomeridianam.* XI. *Pascha Ægyptiacum mactatum est ad finem diei* XIV. XII. *Egressus Israëlitarum ex Ægypto factus sub auroram diei* XV. XIII. *Cui non repugnat Deut.* XVI: 6. XIV. *Neque præceptum de non egrediendo ex ædibus usque ad matutinum.* XV. *Inter mactationem Paschatis & egressum Israëlitarum ex Ægypto plus temporis poscitur quam necesse est.* XVI. *Nam multo breviori confieri omnia potuerunt.* XVII. *Deut.* XVI: 6. *Non extat nova Lex quæ abroget priorem.* XVIII. *Parasceve festi, non est ipse dies festus.* XIX. *Analogia typicæ liberationis ex Ægypto, & veræ per Christum, non est quærenda in horarum minutiis.* XX. *Tempus Christi Mat.* XXVI: 18. *notat horam passionis & mortis.*

De

I. An diverso, an eodem cum Judæis die, Christus ultimum suum Pascha comederit, discrepant Interpretes.

De tempore, quo Dominus noster Jesus Christus novissimum suum cum discipulis Pascha celebravit, fueritne id eodem cum Judæis die, an diverso, antiqua & anceps est quæsitio. Ubi tam Historiæ Sacræ obscuritas, vel, si mavis, diversæ Evangelistarum locutiones, quam mentium nostrarum caligo, effecerunt, ut in *tres* potissimum partes interpretes secesserint. *Prima* eorum est, qui contendunt, Christum, uti Dominum Legis, DIEM LEGE DEFINITUM, ob idoneas rationes ANTICIPASSE: & quamvis Lex Mosaica diem XIV mensis Nisan Paschati sacraverit, Christum tamen suum XIII die celebrasse. Hac mente fuisse dicuntur ex Græcis antiquissimis *Clemens Alexandrinus*, *Hippolytus* Ponti Episcopus Irenæi discipulus, *Apollinarius* Hieropolitanus, & si qui alii. Quibus accedunt recentiores Græci plerique omnes; præsertim ex quo controversia de *pane azymo*, an *fermentato*, in cœna adhibendo, & à Christo adhibito, ipsos inter & Latinos, undecimo seculo, valide agitari cœpta est. Ut enim panem suum fermentatum propugnarent, Christum ante azymorum diem Pascha suum comedisse pugnant. Cæterum sententia ista, quum nulla nitatur probabili ratione, variis laboret absurdis, & Evangelio palam sit contraria, paucos hodie, aut nullos fortassis, in Occidente asseclas habet. *Secunda* sententia eorum est, qui credunt, CHRISTUM UNO quidem DIE ANTICIPASSE JUDÆORUM PASCHA; sic tamen ut ille DIEM XIV, A LEGE PRÆSCRIPTUM, observaverit, hi vero ob certas quasdam caussas, præcipue ad vitandum, incommodum sibi, duorum dierum feriatorum concursum, Pascha suum in SEQUENTEM REJECERINT. Sive id ab ipsis in *fraudem legis* factum sit: sive excusare se potuerint ope *intercalationis*, aut *diversæ calendarum computationis*, vel à *luna* cum sole *conjunctione*, vel ab illius φάσει sive *apparitione*. *Denique* non desunt, qui Christum EODEM CUM JUDÆIS DIE PASCHA suum celebrasse autumant. Utraque hæc sententia auctores habet, & numero plurimos, & eruditione præstantissimos. Utraque se probabilibus oppido tuetur argumentis: dum pro illa Johannes stare videtur, pro hac cæteri Evangelistæ. Sed & utraque validis premitur difficultatibus. Quod haud scio an aliunde melius didiceris, quam ex amicis super hac re collationibus JOHANNIS CLOPPENBURGII, & LUDOVICI CAPELLI, erecti ingenii & generosæ indolis Theologorum.

II. Sunt qui eodem quidem die id factum esse contendunt, sed non eodem diei tempore.

II. Quum igitur nondum sibi in hoc negotio satisfactum esse crederent viri quidam eruditi, ulterius sibi meditandum esse arbitrati sunt: & in eam inciderunt cogitationem, an non fortassis componi possint omnia, si statuatur, Christum EODEM quidem cum Judæis DIE, at non EODEM DIEI TEMPORE, Pascha comedisse; Christum, DIE INCIPIENTE, Judæos, DIE VERGENTE AD FINEM. Hujus se mentis esse declarat Vir Clarissimus, JOHANNES HOORNBECKIUS, *in Dissert. de Cœna Vet. Sect.* 11. §. 2. ubi

ubi se *Id alias*, *Deo dante*, *prolixius probaturum esse* pollicetur: cæterum an, & ubi id præstiterit, equidem ignoro. Operam istam sibi datam esse credidit FERRANDUS, Juris Consultus, & caussarum in Gallia patronus: in libro vernaculo, quem insignivit titulo *Animadversionum in Religionem Christianam*, Parisiis edito MDCLXXIX. Tom. I. Sect. VI. Quumque caussam hanc non indiligenter, neque infeliciter, agat; lubet cogitata ipsius, in summam contracta, primum exponere, dein æquo & placido animo examinare.

his nixi hypothesibus.

III. Sententiam itaque suam quadam ratiocinationum serie hoc ferme modo exponit ac probat *Ferrandus*. I. Jussi sunt Israëlitæ in Ægypto Pascha suum jugulare die XIV. mensis, INTER DUAS VESPERAS. Exod. XII: 6. Id significare putat totius illius νυχθημέρυ ambitum, à vespera qua incipit dies XIV, usque ad vesperam qua desinit. Confer Lev. XXIII: *A vespera, ad vesperam celebratote cessationem vestram.* En duas vesperas: intra quas si mactaretur agnus, mactabatur rite.

III. Quoniam præcisum diei tempus primæva lege definitum non est.

IV. II. Porro Ægyptiacum Pascha mactatum est initio diei XIV. incipiente illius vespera, id est, secundum nostram supputationem in fine diei XIII. ante mediam noctem. Quod ita probatur. I. Profecti sunt post celebratum suum Pascha ex Ægypto. Profecti autem sunt *nocte*. Deut. XVI: I. & *sole occidente*. vers. 6. Inciditque illa profectio in diem XV. *postridie ipso Paschatis* Num. XXXIII: 3. Ergo fieri non potuit ut ea vespera qua inchoatus est dies XV. Pascha suum manducaverint; quum sole occidente jam egressi sint. Sed oportet id eos fecisse ea vespera qua inchoatus est dies XIV. II. Interdictum Israëlitis erat nocte Paschali domo egredi. Exod. XII: 22. Multo minus itaque fas ipsis fuit eodem tempore magnum illud iter ingredi. III. Post manducatum Pascha tot tantæque res Israëlitis ante suum exitum faciendæ erant, ut vel integri diei mora vix iis sufficere videatur. Consideretur historia. Exod. XII: 29. Sub mediam noctem occidit Deus primogenitos Ægyptiorum. Surrexit Pharao nocte, & arcessivit Mosen & Aaronem. Pharao fuit in Regia sua: quæ non solet esse Regibus ad extimos regni sui fines. Sed ita potius, ut urbibus, vicis, villis, quas subjecti ac cives incolunt, ad septem aut octo milliaria in ambitu, cincta sit. Mosen atque Aaronem probabile est cum popularibus suis Pascha celebrasse in *Gosen*, sive *Rameses*, unde exiverunt Israëlitæ. vers. 37. qui erat locus, non ab Ægyptiis, sed Israëlitis habitatus, ideoque à Regia aliquantulum saltem, fortasse duodecim aut quindecim milliaribus, remotus. Horarum itaque aliquot spatio opus fuit, antequam nuncius à Pharaone ad Mosen & Aaronem venire potuerit: totidem horarum, antequam Moses cum Aarone veniret ad Regem: & rursus totidem antequam cum regiis jussis redirent ad Israëlitas. Nam certe quadraginta aut quinquaginta milliarium iter non admodum exiguo tempore conficitur. Ut nihil nunc de intermedia mora

IV. Et Ægyptiacum Pascha celebratum est incipiente die XIV. circa vesperam.

dicam, quam cum Rege in Regia exegerunt. Adde quod Israëlitæ ante discessum petierint ab Ægyptiis instrumenta argentea, aurea, & vestes. Aliquanto etiam tempore ad illa petenda, accipienda, opus fuit. Et quantumvis festinato peracta credas omnia, concipi ea res aliter non potest, quin quod restabat noctis iis impensum sit. Quomodo ergo exire potuerunt *eadem nocte* qua comederant Pascha, & quidem *sole occidente*?

V. Serior Lex Deut. XVI: 6. adstringit ad tempus occidentis solis.

V. III. Observat novam de Paschate Legem exstare Deut. XVI: 6. *Mactato Pascha vespere, quum occidit sol, stato tempore exitus tui ex Ægypto.* Si autem exitus ex Ægypto factus est in fine XIV. diei, & continuatus die XV: Pascha vero Ægyptiacum mactatum est initio diei XIV. ut jam demonstratum, consequitur, posteriorem hanc legem, qua adstringitur Paschatis mactatio ad horam exitus, derogare legi priori. Adeo ut quod olim licitum fuerat facere à vespera quæ inchoat diem XIV. per hanc legem adstringatur ad horas pomeridianas proxime antecedentes vesperam diei XV. Atque hæc est ratio, cur recentiores Interpretes phrasin *inter duas* de *tempore pomeridiano* subtilius exposuerint, suorum seculorum praxin attendentes.

VI. Parasceve Paschatis & Pascha non duo distincti dies, sed ejusdem diei distincta sunt tempora.

VI. IV. Monet quod *Parasceve Paschatis* & *Pascha* non distinguebantur uti *duo distincti dies*, sed ut *ejusdem diei distincta tempora.* Qui dies, *parasceve* dicebatur, a parte *majore*, quæ impendebatur præparationi ad festum; *Pascha*, à parte *digniore*, qua offerebatur Pascha. Nam, observante *Tostato*, *Pascha* non durabat per *diem integrum*, sed per *tres quatuorve horas*: antecedentia diei pertinebant ad *parasceven*. Parasceve Sabbati incipiebat ab hora IX. diei Veneris. *Augustus* apud *Joseph. Antiq. Lib.* XVI. *Cap.* X. *placet mihi de communi jurati senatus sententia Judæos uti propriis ritibus ac legibus --: neque cogi ad præstanda vadimonia Sabbatis, aut* PRIDIE SABBATORUM POST HORAM NONAM IN PARASCEVE. At *parasceve Paschatis*, jam *hora sexta* erat. Joh. XIV: 14. Imo incipiebat à diei initio.

VII. Quoniam redemtio ex Ægypto est typus redemtiónis per Christum, conveniens esse videtur ut Christus eodem diei tempore ultimum suum Pascha celebrave-

VII. V. Jubet notare, redemtionem ex Ægypto insignem typum fuisse redemptionis spiritualis per Christum: quem in finem profert eximium testimonium *R. Bechai*: quod non absque ratione ex veterum καλαχάοι arcessit, quum ipse Bechai vocet קבלה ביד הנביאים, & hanc fere habet mentem: *Redemtionem per Messiam multis in rebus similem futuram esse redemtioni ex Ægyptio: imo & longe excellentiorem; quandoquidem conciliatura hominibus est uberiorem & sublimiorem cognitionem Dei.* Notumque est Christi illud Mat. V: 17. & Pauli 1. Cor. X: 11. Unde infert, id quod factum est in Ægyptio sub Mose, renovandum fuisse per Christum. Sicuti ergo, quum Moses liberaturus esset Israëlitas ex Ægypto, Pascha celebratum est initio diei XIV. similiter Pascha à Christo, quum jam in procinctu staret ad suos vindicandos è servitute peccati & Diaboli, eodem tempore celebrari debuit.

VIII. Probat hoc assertum suum I. Ex Matth. XXVI: 18. TEMPUS MEUM *prope est: apud te facio Pascha.* Tempus *meum*, distinctum à communi

muni *Judæorum tempore.* Quo illa mihi facienda sunt, quæ mysterium Paschatis ad plenum exponant. Ita ut meum Pascha respondeat Paschati Exodico, & me ipsum ut verum Pascha immolem tempore deinceps in Deuteronomio definito, & Judæis passim usitato. II. Quia ex hac hypothesi facile conciliantur τὰ ἐναντιοφανῆ Evangeliorum. Nam Matthæus, Marcus, Lucas, clare docent, Christum eodem cum Judæis die Pascha suum celebrasse. Nec minus clare docet Johannes Judæos suum manducasse post Christum. Joh. XVIII: 28. XIV: 14.

rit quo Israëlitæ primum in Ægypto.

VIII. Ad quod probandum adducitur Matth. XXVI: 18.

IX. Quis inficietur, ingeniose hœc à Jurisconsulto esse inventa & disposito? Si tamen justa judicii lance ponderentur, patebit non æque solida esse quam speciosa: quippe nixa hypothesibus incertis, aut falsis. Quod singularum examen demonstrabit.

IX. At omes hæ hypotheses incertæ sunt, aut falsæ.

X. Ac primo quidem neutiquam admittendum esse censeo, quod phrasis ista *inter duas vesperas* totius νυχθημέρου spatium notet intercedens inter vesperá prætergressi & vesperá sequentis diei. Tunc enim obscura ista & ambigua locutio (מלה קשה *dictionem duram* vocat AbenEzra) prorsus esset supervacua: sufficisset diei numerum indicasse. Nam quidquid fit, secundum hanc expositionem, semper inter duas vesperas fit; sive inter quotidianum viginti & quatuor horarum decursum. Notat igitur locutio ista *partem* aliquam *pomeridianam* diei, quæ opponitur *matutino.* Quod, ne Judæorum nunc auctoritate pugnem, invicte probatur ex Num. XXVIII: 4. *Agnorum illorum unum parato* MANE, *agnumque alterum parato* INTER DUAS VESPERAS. Tam perspicua verborum istorum mens est, nulla ut ulteriori commentatione, quoad hanc saltem controversiam, indigeant. Id unum superest, an ea diei pars indigitetur quæ à declinante sole incipit, an quæ proxima occidenti est. Illud *Rabbanistæ*, hoc *Karæi* olim pugnaverunt. De quorum dissentientibus, etiam circa hunc temporis articulum, opinionibus multa nos præclare docuit TRIGLANDIUS noster in *Diatribe de Secta Karaorum*, reconditæ & exquisitæ eruditionis libro. Cap. IV. In Rabbanistarum principibus erat domus Hillelis: שאמרו שבין ערבים הוא משעת נטות השמש לפאת מערב משש שעות ומחצה מהבוקר *Statuens, quod inter duas vesperas fit à tempore quo sol inclinat ad latus occidentis, id est à sexta hora & dimidia, si diem numeres ab ortu.* Huic se cum plurimis nostratium jungit *Coccejus* in Lexico. *Nemo tam absurdus fuerit, ut cavilletur, si inter vesperam præcedentem & sequentem mactandus agnus, ergo agnum potuisse recte mactari nocte & mane præcedente ante meridiem. Neque INTER DUAS VESPERAS idem notat quod à VESPERA AD VESPERAM, sed tantum nomen id datur parti diei qua post meridiem superest ad vesperam, & non habet nomen aliud, ut nox, mane, meridies.* Karæorum autem sapientes definiverunt Pascha mactandum esse post occasum solis, אחר שקיעת השמש quod hanc diei partem *inter duas vesperas* diei autumarent. Eorumque

X. Inter duas vesperas notat partem aliquam diei pomeridianam.

que interpretationi favere videtur litera Legis Deut. XVI:6. תזבח את־הפסח בערב כבוא־השמש *Mactabis Pascha VESPERE, CIRCA OCCASUM SOLIS.* Quibus verbis non novum præceptum contineri, sed repetitionem veteris, mox docebo. Adde Jos. v: 10. *celebrarunt Pascha QUARTO DECIMO DIE ILLIUS MENSIS* בערב *VESPERE.* Qui plenissime de hac re erudiri cupit, adeat *Martinium* in Etymologico *Buxtorfium* in Lexico Biblico, & *Bochartum* in Hierozoico Part. I. Lib. II. Cap. I.

XI. Pascha Ægyptiacum mactatum est ad finem diei XIV.

XI. Deinde, primum Pascha Ægyptiacum mactatum esse ea nocte *qua incipit diem* XIV. mensis, historiæ Mosaicæ palam adversatur. Inde enim apparet, in *fine diei* id fuisse factum: quandoquidem Paschatis celebrationi mox successit *dies decimus quintus*, qui *primus* fuit *azymorum*; adeo ut Pascha manducatum sit, ex parte quidem *decimo quarto die exeunte*, sed potissimum *decimo quinto ineunte*. Huc tendunt verba Mosis Exod. XII: 18. *Primo mense, quarto decimo ejus mensis, VESPERA comeditote azymos: usque ad diem vigesimum primum ejusdem mensis VESPERE.* Azymorum autem primus usus erat in convivio Paschali. Hæc est ratio, cur Paschale convivium aliquando referatur ad diem *decimum quintum*, qui distinguitur à *Festo Azymorum* aliquando ad *decimum quintum*, qui erat *Azymorum primus.* Quia in utriusque confinio edebatur agnus; parte una cœnæ precedente & altera sequente solis occasum: quippe quæ producebatur ad mediam usque noctem. Sed & aliud argumentum idem nobis Mosis sermo sufficit. Nimirum à *vespera* quæ incipiebat diem *decimum quintum*, qua comedebatur Paschalis agnus, usque ad finem diei *vigesimi primi*, numerabantur *septem azymorum* dies. Pascha igitur comedi oportuit, non initio, sed in fine diei decimi quarti. Nam si ab initio inceperis, non septem, sed octo dies azymorum, erunt numerandi.

XII. Egressus Israëlitarum ex Ægypto factus sub auroram diei XV.

XII. Neque validæ sunt in contrarium rationes; quamvis magna eas arte instruxerit *Ferrandus*. Expendamus singulas. Quod ait, fieri non potuisse ut ea nocte qua inchoatur dies decimus quintus, & quidem occidente sole, egrederentur Israëlitæ ex Ægypto, nisi concipiantur Pascha suum celebrasse ea nocte quæ incepit diem decimum quartum; in eo duo potissimum sibi sumit, haud facile concedenda. Postulare enim videtur, quod per *exitum* non intelligatur nisi *profectio actualis* & consummata: tum etiam, quod profectionem illam orsi sint *sole diei decimi quarti occidente*. Quorum neutrum est necessarium, alterum etiam aperte falsum. Sub *exitus* nomine comprehendi debet libertas exeundi, ejusdem præsignificatio, conversatio, & quæ id genus plura huc spectant, atque ipse denique exitus inchoatus. Id res ipsa clamat. Convenerant Israëlitæ in unum tractum. Libere manducabant suum Pascha. Accingebant se ad iter, certi exeundi. Pharao itineris copiam facit, imo jubet egredi. Ægyptii urgent. Festinant Hebræi. Nocte moliuntur iter, quod sub auroram capessunt. Hoc est quod Moses

Moses dixit Num. XXXIII: 3. *Decimo quinto* DIE *mensis ipsius primi, postridie Paschatis egressi sunt Israëlitæ, manu sublata,* ANTE OCULOS *omnium Ægyptiorum : Ægyptiis* SEPELIENTIBUS PRIMOGENITOS.

XIII. Cui non repugnat Deut. XVI: 6.

XIII. Hallucinatur itaque *Ferrandus*, dum Israëlitas *sole occidente* egressos esse putat; idque dixisse Mosen Deut. XVI; 6. Verba enim Mosis sic habent: *Mactato Pascha vespere circa occasum solis* מועד צאתך ממצרים, *qua tempestate egressus es ex Ægypto.* Enimvero amplioris extensionis est vox מועד, quam ut ad *horæ* spatium restringi debeat. Alibi ad totam *septem dierum* festivitatem refertur. 2. Chron. XXX: 12. ויאכלו את המועד שבעת הימים. *& comederunt stato illo tempore septem diebus.* Conf. Exod. XXXIV. 11. Non peccabimus igitur si hic de *die* intelligere malimus quam determinatius *de diei hora.* Præeunte ipso Mose Exod. XII: 17. *In eadem ipsa die educam exercitum vestrum.* Rursus Cap. XIII: 3. *Mementote diei hujus quo egressi estis ex Ægypto.* Meretur hic appingi *Aben Ezræ* commentatio ad Exod. XII: 31. *Inceperunt egredi matutino tempore. Et hoc est tempus adscensionis columnæ auroræ, quando sol incipit ostendere lucem in nubibus. Est autem inter principium hujus momenti & ortum solis hora æquabilis, & tertia pars horæ : idque dicitur nobis mane, quamvis adhuc sint profundæ tenebræ. Fuerunt igitur ex Israël, qui exibant in principio columnæ auroræ, quum adhuc nox esset, secundum modum Legis usque ad ortum solis. Hi erant propinqui Ægypto : sed alii longius positi egrediebantur die ipso, quia congregatio magna erat. Porro est à principio Ramessis usque ad finem ejus plus octo parasangis. Idcirco scriptum est.* Deut. XVI: 1. Eduxit te Jehova Deus tuus ex Ægypto NOCTU : *Et alia Scriptura* Exod. XIII: 4. HOC DIE vos exitis. *Amplius, ubi scriptum est*, & Filii Israël egressi sunt manu excelsa Num. XXXIII: 3. *ibi mox adjungitur.* com. 4. Ægyptiis sepelientibus primogenitos. *At de die sepeliunt.* Hactenus *Aben Ezra.*

XIV. Neque præceptum de non egrediendo ex ædibus usque ad matutinum.

XIV. Porro non obstat expositioni huic interdictum de *non egrediendo ex ædibus usque ad matutinum.* Quæ enim adjungitur ratio, satis docet, quo modo hoc intelligendum sit. Nimirum nefas erat egredi domo, *ne inciderent forte in angelum primogenitorum percussorem.* Eam ob rem, patrata jam strage omnium primogenitorum in Ægypto, & cessante Israëlitarum periculo, quod interdicto caussam dederat, cessabat etiam interdicti religio. Præsertim quum accederet facultas Ægypto exeundi, Deo procurante, à Pharaone data. Denique ipsa profectio vix est inchoata nisi primo diluculo, exacto fere interdicti tempore,

XV. Inter mactationem Paschatis & egressum Israëlitarum ex Ægypto

XV. Majores certe difficultates nascuntur ex consideratione tot tantarumque rerum, quæ inter Pascha Israëlitarum & profectionem ex Ægypto mediæ intercesserunt. Et prout difficultates istas *Ferrandus* nobis suggerit, ne ipse quidem iis ex sua hypothesi solvendis par esse comperietur. Faciat periculum. Non ante mediam noctem quiritari apud Pharaonem de pri-

plus temporis poscitur quam necesse est.

mogenitorum suorum mortibus Ægyptii potuerunt. Nuncius à Pharaone ad Mosen in Rameses, duodecim quindecimve milliarium iter emensurus, quatuor ad minimum horis indiguit. Aliquanto fortasse pluribus Moses & Aaron in itu: totidem in reditu. Exsurgunt horæ duodecim, Duas præterea *Ferrandus* attribuit moræ in Aula, quando de exitu inter Regem & Mosen transactum est. Habemus ergo Horas quatuordecim. Fuerit juxta illum calculum hora diei octava, quum libertas exeundi promulgata Israëlitis in Gosene est. Tempore opus fuit antequam istius rei fama à proximis ad remotiores, in tanta populi frequentia, dimanaverit. Sumamus, requiri horam, aut bihorium: vix enim est ut minori id tempore fieri quitum sit. Ita attigerimus horam diei decimam. Postea Hebræos ab Ægyptiis petiisse credit vasa aurea & argentea. Ei rei tribuit duas tresve horas. En jam occasum integra hora solem, antequam pedem movere Hebræi ad exeundum potuerint. Sic suis ipse se retibus *Ferrandus* implicat. Quem sibi, si volet, relinquentes, de nostra evasione cogitemus.

XVI. Nam multo breviori confieri omnia potuerunt.

XVI. Et primo quidem reputemus, non abhorruisse à moribus antiquorum regum, ut præter eam quam in metropoli habebant regiam, ordinariam fortassis commorationis suæ sedem, alias quoque ædificarent in extremis regni limitibus, ut pro munimentis etiam essent. Nota est *Massada*, ingenti sumtu ab Herode magnifice instaurata, & de nomine suo *Herodium* vocata, sita in monte juxta Arabiam, descripta Josepho. *de Bello Jud. Lib. I. Cap. XVI. & Lib. VII. Cap. XXVIII.* Nota *Macharus*, in ultimo *Peræa* limite versus Moabitim. Notæ *Jothami turres* & *Palatia in saltibus* ædificata. 2. Chron. XXVII: 4. Nota *turris Libani* spectans versus *Damascum* Cant. VI: 14. Nota *domus saltus Libani*, in extremis terræ sanctæ finibus; à Salomone structæ. 1. Reg. VII: 2. Nihil itaque alienum à veritate statuerimus, si existimemus Pharaonem quoque arcem munitam in confinio Gosenis habuisse; qui locus & natura amœnissimus erat, & ubi tantæ extraneorum multitudini rerum suarum sedem majores ipsius assignaverant. Quumque nunc res novas peregrini isti molirentur, incredibile non est ipsum, regni sui securitati consulentem, isthuc ad tempus divertisse, exercituum suorum corona cinctum; ut gliscenti rebellioni (sic enim interpretabatur) vel ad remedium, vel ad pœnam, cum copiis suis, præsto esset. Atque ita quæ finxit sibi Ferrandus, de perpetua Regiæ ab extremis finibus distantia, non nisi somniorum suaviludia sunt, quæ sponte evanescunt. At nec illud dissentaneum vero est, Mosen & Aaronem, futuri conscios, ibi in Gosene egisse, ubi Regiæ arci proximi erant. Et sic duodecim ferme horas lucrifecimus, prolixo isti itui ac reditui impendendas. Sed & alias duas facile lucrabimur, si attendamus Pharaonem, quum festinato opus esse cerneret, verbo Mosen & Aaronem expediisse; quos inclamabat, dicenis; *surgite, exite è medio populi mei &c.* Nec sane moras sibi

sibi tunc nectendas esse ministri Jehovæ crediderunt. Adde, eas quoque horas eximi posse, & forsan debere, quas petendis, excipiendis, condendis Ægyptiorum vasibus, attribuit *Ferrandus*. Etenim plus quam probabile est, dudum id ab Hebræis esse factum, mox atque à Mose jussi erant. Vide Exod. xi: 2. Quod & *Augustino* observatum est. *Quæst. XLV. in Exod. Jam*, inquit, *hoc factum fuerat ante mortes primogenitorum Ægyptiorum. Sed nunc per recapitulationem repetitur. Non narratum est, quando factum est. Modo enim fieri quomodo posset in tanto luctu ex mortibus suorum, ut accommodarent ista filiis Israël?* Profecto tanta sarcinarum moles, quibus Ægyptum spoliasse dicuntur, brevi colligi non potuit. Sic rursus tres horas in lucro ponimus; in universum septendecim, quas sine idonea caussa popofcerat sibi Ferrandus. Adde, Israëlitas, profectionis hac sibi nocte suscipiendæ gnaros, omniaque in promtu habere jussos, in procinctu jam stetisse, bene calceatos, cum baculo in manu, & ad primum signum exitum festinasse, eos comprimis qui in prima futuri erant acie, urgentibus etiam & ejicientibus Ægyptiis. Neque necesse fuit expectare, ut fama concessi exitus ad postremos dimanaverit, antequam iter inciperent primi. Hac ratione fieri commode potuit, ut eadem nocte in viam sese darent.

XVII. Frustra itaque speravit *Ferrandus*, se legem Deut. xvi: 6. de Paschate *non nisi vespere mactando*, quam opinioni suæ è diametro videbat esse contrariam, sola hac exceptione elusurum, quod hic nova feratur Lex, quæ abroget priorem. Ne quis enim in eam forte cogitationem incideret expresse cavit Deus in prima Paschatis institutione, qua Paschatis tempus inviolabili & in ævum perennaturo instituto definivit. Exod. xii: 14. *Quamobrem ille dies vobis erit in monimentum, ut celebretis ipsum festum Jehovæ*: PER ÆTATES VESTRAS STATUTO PERPETUO CELEBRATE IPSUM. Quod repetitur vers. 17. & 41. NOX PLURIMUM OBSERVANDA EST JEHOVÆ QUA EDUXIT EOS E TERRA ÆGYPTI. *Hac est illa nox Jehova plurimum observanda omnibus Israëlitis* PER ÆTATES. Unde patet noluisse Deum, ut, quam diu Mosaica duratura erat OEconomia, ulla in die Paschatis fieret novatio.

XVII. Deut. xvi: 6. Non extat nova Lex quæ abroget priorem.

XVIII. In eo quoque fallitur Ferrandus, quod *Parasceven* Paschatis ipsius *Paschatis diei priorem partem* esse existimet. Semper enim Parasceve festi alicujus ad eum refertur diem qui festum antecedit: sive integer dies, sive pars aliqua diei isthoc nomine veniat. Voci Græcæ Parasceves respondet Hebræa ערב *vespera*, quæ, quando ad Sabbatum refertur, integrum sæpe Veneris diem notat. In *Bereschit Rabbi* cap. xi: dies Hebdomatis sic numerantur. *Feria prima, secunda, tertia, quarta, quinta*, ערבותא *parasceve, Sabbatum.* Eadem mente dixit Marcus cap. xv: 42. παρασκευὴ, ὅ ἐστι προσάββατον. & Lucas cap. xxiii: 54. ἡμέρα ἦν παρασκευὴ, καὶ σάββατον ἐπέφωσκε. Sin strictius sumatur, ut partem diei significet, semper pro parte ultima

XVIII. Parasceve festi, non est ipse dies festus.

ultima præcedentis diei venit. Quod & locus *Ferrando* ex Josepho laudatus evidentissime docet.

XIX. Analogia typicæ liberationis ex Ægypto, & veræ per Christum, non est quærenda in horarum minutiis.

XIX. Convenientia, quam ex *R. Bechai* annotavit *Ferrandus*, inter Typicam Israëlitarum liberationem ex Ægygto, & Mysticam per Messiam, memorabilis quidem, sed non in horarum minutiis collocanda est. De qua re nec ullum apud Bechai verbum exstat. Adde, quod Pascha Israëlitarum in Ægypto non fuerit typus Paschatis celebrandi à Christo, aut SS. Cœnæ ab ipso instituendæ, sed Christi ipsius, mactandi pro electis: docente Paulo I. Cor. v: 7.

XX. Tempus Christi Matth. xxvi: 18. notat horam passionis & mortis.

XX. Tempus *Christi* Matth. xxvi: 18. non notat diem agendi Paschatis, diversum ab eo quem Deus perennaturo instituto definiverat; sed *horam passionis & mortis*, confer. Joh vii: 30. viii: 20. Quid multis? Interpretem habemus hoc ipso capite Christum ℣s. 45. *Ecce appropinquavit hora: & filius hominis traditur in manus peccatorum.* Quomodo Johannis & aliorum Evangelistarum ἐναντιοφανῆ optime concilientur, alterius disquisitionis est, quam, a viris doctissimis summa accuratione tractatam, ingredi jam non lubet. Mihi duntaxat id operæ hac dissertatione sumsi, ut ostenderem, non esse idoneam satis conciliationis viam, quam cæteris prætulit *Ferrandus*.

DISSERTATIO XII.

In Jac. IV. 5, 6.

De Spiritu concupiscente, aut non concupiscente ad invidiam.

BREVIARIUM.

I. *Dissertationis argumentum.* II. *Difficultates explananda.* III. *Sententia eorum qui totam pericopam de Spiritu malo ad malum concupiscente interpretantur.* IV. *Quorum quidam fatentur se nescire quem Veteris Testamenti locum Jacobus in mente habuerit.* V. *Alii cogitant de Gen.* vi: 5. *&* viii: 21. VI. *Grotius refert ad Gen.* vi: 3, 5. VII. *Cujus mens fusius claratur.* VIII. *Adstipulatur Hammondus.* IX. *Heinsius quærit Proverb.* iii: 34. *&* iv: 9. X. *Sed omnes in eo falli videntur, quod opinentur de spiritu malo hic esse sermonem.* XI. *Grotii & Hammondi interpretatio oppido torta est.* XII. *Neque illa Heinsii satisfacit.* XIII. *Alii malunt de spiritu bono & φθόνῳ laudabili Jacobum loqui: sive intelligatur æmulatio, qua nos prosequitur Deus.* XIV. *Sive sancta nostra in orando importunitas.* XV. *Sive bona æmulatio nostra adversus omne id, quod inimicum est Deo.* XVI. *Coccejii notabilis interpretatio,* XVII. *Aliis quidem prælata; non tamen pleno assensu probata.* XVIII. *Vera mens hæc esse videtur: Ecquid Spiritus Sanctus in nobis habitans, facit, aut permittit, ut ad invidiam concupiscamus?* XIX. *Quod scriptura fieri negat Num.* xi: 29. XX. *Neque frustra id docet.*

Memorabilia

MEmorabilia imprimis Jacobi Apostoli verba sunt, Epistolæ suæ Cap. IV: 5, 6. Ἢ δοκεῖτε ὅτι κενῶς ἡ γραφὴ λέγει; πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα ὃ κατῴκησεν ἐν ἡμῖν. Μείζονα δὲ δίδωσι χάριν. In quam pericopam *plaustra interpretationibus onusta* à Theologis inducta esse, non minus vere quam eleganter dicit *Erasmus*. Quarum immensam varietatem, post *Franciscum Lucam Brugensem*, solita sibi diligentia congessit diffusissimæ eruditionis Vir, *Thomas Gathakerus*, *Adversariorum Miscellaneorum posthumorum Cap.* XIX. Mihi equidem, non nisi summa rerum fastigia secuturo, per minutias ire non lubet: sed tria duntaxat difficultatum capita expedienda sumo. Primo, *quis genuinus dicti à Jacobo laudati sensus sit*: deinde, an *dictum illud ex Scriptura allegetur*: denique, si allegetur ex Scriptura, *an etiamnum exstet, & ubi*. I. Differtionis argumentum.

II In dicto quod laudavit Jacobus tot fere occurrunt dubia quod verba: quæritur enim I. de quo *Spiritu* sermo sit, *malo*, an *bono*; an *humano*, an *Divino*. II. Quid φθόνος notet; *an æmulationem culpabilem*, *an laudabilem*. III. Quid intelligatur per ἐπιποθίαν *concupiscentiam* spiritus. IV. Quid hic significet propositio πρὸς, an *ad*, vel *contra*. V. An tota ista sententia *affirmative*, an *interogative*, sensu negante, legenda sit. VI. Quomodo altera pericopæ pars, sed *majorem dat gratiam*, cum hac cohæreat. II. Difficultates explanandæ.

III. Non exiguus interpretum, & quidem illustrium, qua veterum qua recentiorum, numerus est, qui *malum* à Jacobo *spiritum* designari existimant: sive *diabolus* intelligatur, spiritus ille nequam & impurus, qui *ingressus habitat in homine* Matth. XII: 45. & *excæcat mentes eorum qui pereunt* 2. Cor. IV: 4. & *agit in hominibus contumacibus* Ephes. II: 2. sive *nativa hominis pravitas*, crebris actionibus malis roborata, quæ Hebræis ex Genes. VI: 5. & VIII: 21. יצר הרע *figmentum malum cordis humani* dicitur, & *spiritus scortationem* Hos. V: 4. cujus reliquiæ in ipsis etiam superstitant renatis, secundum illud Pauli, ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία Rom. VII: 17. sive denique ipsa *hominis mens*; (*Spiritus* ille *quem formavit Deus in homine*, Zach. XII: 1.) sed quatenus peccato inquinata, & necdum prorsus sanctificata est. Quæ quidem expositiones quamvis verbis & loquendi ratione aliquantum distrare videantur, si tamen rem ipsam spectemus eodem propemodum redeunt. Et qui ita spiritum interpretantur, ii per φθόνον intelligunt vel *malum quodvis*, vel specialius pravum *invidiæ* affectum, quo ægris oculis adspicimus Divinæ in alios liberalitatis munera, vel *Dei irritationem*, quod ex Hellenistarum usu poscit *Heinsius*. Ἐπιποθία idem ipsis est quod ἐπιθυμία, *validus* & pravus *rei pessimæ appetitus*. Πρὸς notat *ad* designatque pravi istius appetitus objectum. Totaque enunciatio *affirmans* est. Ex quibus simul junctis hic conficitur III. Sententia eorum qui totam pericopam de Spiritu malo ad malum concupiscente interpretantur.

Conficitur sensus: Spiritũs à Deo hominibus datus, [illegible] habeamus, sed Diaboli dolis occupati, itaque [illegible] par est obsequamus, & malis consiliis parere [illegible] pejor factus, ea desideret quæ non debeat, sed [illegible] quam Spiritus malus magnis gratiis adhuc eum impel[illegible] sic exponunt sequentem periocham [illegible] supplere [illegible] qui tacite nominatum facit Scripturæ verba. Dat Scr[illegible] cat: quod enim hæc dicit, Deus dicit.

XIX Analo typic berat ex Æ pto: vera Ch nor [illegible]

IV. Quorundam quidam sen[illegible] Veteris Testamen[illegible] Jacobus in [illegible] buerit.

IV. Postquam hæc ita exposita sunt, ad ea rursus [illegible] plures, si ita vis, loci Scripturæ, ubi eadem hæc d[illegible] audiendi videntur, qui verba illa, An putatis Scripturam [illegible] antecedentia potius, quæ cap. 4. adversus adulteros [illegible] maveras, quam ad nostram hanc sententiam referenda p[illegible] Jacobo Capello, magno cæteroqui Theologo, fassum vel[illegible] illi assensum imperant, qui putant, verba illa, Ad invid[iam] [illegible] Spiritus &c. Jacobi verba esse, non Scripturæ aliquid [illegible] ipso laudatum: Scripturæ autem testimonium exstare in S[illegible] Volunt itaque verba quæ primam interrogationem præm[illegible] hoc fere modo parenthesi includenda esse: An putatis quod in[illegible] ptura dicat (ad invidiam concupiscit Spiritus qui habitat in nobis [illegible] jorem dat gratiam) hic parenthesin claudunt, & comma qu[illegible] Tum sermonem Jacobi sic continuant, Propterea, inquam, d[illegible] ptura scilicet quæ sequitur, Deus superbis resistit &c. Enimvero [illegible] dura & torta hæc esse arbitror. Quid ergo? An exstitit olim [illegible] in mente sua Jacobus habuit Scripturæ locus, nunc deperditus [illegible] etiamnum? & ubi? Socinus in Lect. Sacr. p. m. 306. non verer[illegible] se hactenus credere, Apostolum in sua ista citatione non respexisse [illegible] ullum, qui hodie in libris Veteris Testamenti legatur, & necesse esse [illegible] ipsum locum aliquem intellexisse qui hodie non exstet. Putatque h[illegible] ex caussis fuisse, cur non apud omnes Epistola illa Jacobi ab ini[illegible] fuerit, quod nimirum invenirent aliquid ab ipso citatum, quod [illegible] pturis Canonicis non haberetur. Erasmus fatetur, non [illegible] reperiatur hoc scriptum. Nec abludit Episcopius in Respons. ad Quæst. [illegible] si quæratur porro: quis itaque est locus ille Scriptura ad quem respexit [illegible] bus? Dicam, me id nescire.

V. Alii [illegible]

V. Nolim equidem culpare doctissimorum hominum modestiam: [illegible] [illegible] tamen omnino laudo diligentiam, qui quidvis sibi prius comm[illegible] [illegible], quam ut in has desperatæ propemodum mentis [illegible] [illegible]. Atque ea se generosiore interpretationis præditos esse ostenderunt illi [illegible] [illegible]; quamvis non eandem. Quicunque aliqua saltem cum cura Divina verba volumus,

[redacted] iis in liquido est, quod aliquoties à Novi Testamenti scripto-
[redacted] ntiæ quædam Veteris Testamenti allegentur, quæ ῥητῶς nus-
[redacted] c exstant, sed solum κατὰ τὴν διάνοιαν, aliquando etiam ex
[redacted] ictis, hic illic sparsis, colliguntur. Id genus allegationibus
[redacted] merandam esse, non sine ratione existimatur. Qui itaque
[redacted] Jacobi mentem credunt, animum hominis, diaboli & sua ne-
[redacted] ruptum, ad mala quævis, imprimis ad invidiam, & odium
[redacted] roximi, magno concupiscentiæ impetu ferri; iis enimvero dif-
[redacted] a est, Scripturæ loca invenire; quæ sane plurima sunt, eandem
[redacted] ntia. Imprimis huc notissima Dei apud Mosen dicta pertinent
[redacted] I: 5. & VIII: 21.

[redacted] Quæ quoniam óbvia sunt, ideoque à plurimis observata, nova VI. Grotius refert ad Gen. VI: 3. 5.
[redacted] atatione exornanda sibi sumsit Illustris *Grotius*; cujus verba appin-
[redacted] on pigebit. *Non sunt ipsa verba*, inquit, *sed sensus, sumtus ex*
[redacted] *locis. Gen.* VI. *nempe com. 3. & 5. Nam quod ibi est* מחשבת
[redacted] *ται, hic est* ἐπιποθεῖ. *Illud* τὸ πνεῦμα ὃ κατῴκησεν ἐν ἡμῖν *est ex com. 3.*
[redacted] *valet quod commate 5.* לבו. *Quod eodem com. 5. est* רע *in Græco*
[redacted] πονηρὰ, *hic est* φθόνον: *quia in malorum genere invidia non minimum est;*
[redacted] *xime ei affines erant illi ad quos hæc epistola scribitur. Spiritus ille à*
[redacted] *hominibus datus, & ejus jussu in hominibus habitans, id est animus,*
[redacted] *per mala exempla pejor erat factus, & ea desiderans, quæ non dilectio,*
[redacted] *vidia suggerit. Nam* φθόνος *hic* μετωνυμικῶς *sumitur, ut modo* ἡδοναί.

[redacted] II. Quæ quum obscuriuscula sint, dum brevitati studuit ὁ Μέγας, VII. Cujus mens fusius declaratur.
[redacted] ri sermone illustranda esse videntur. Nimirum verba Mosis Gen.
[redacted] 3. לא ידון רוחי באדם לעולם ex Græcorum mente sic παραμ
[redacted] *u. Spiritus à me datus homini non manebit in homine diu inclusus, velut*
[redacted] *vagina ensis.* Nam נדן est *vagina* 1. Par. XXI: 27. & *Corpus* Chal-
[redacted] ce sic dicitur. Dan. VII: 15. nempe quod spiritum intra se contineat.
[redacted] optata igitur interpretatione Græcorum οὐ μὴ καταμείνῃ *nequaquam com-*
[redacted] *rabitur spiritus meus diu in homine*, credit Jacobum hunc locum in mente
[redacted] buisse, quando *de spiritu inhabitante* loquitur. Porro, eum *spiritum*
[redacted] i *Dei* dicitur versu 3. contendit *cor hominis* vocari versu 5. cui Moses
[redacted] scribit *cogitationes*, Jacobus *concupiscentiam*; Moses *figmentum malum*,
[redacted] acobus *invidiam*; quæ eodem redeunt. Hæc mens est viri illustris

[redacted] VIII, Ex quo, ut solet, *Hammondus* sapuit, dum ita commentatur. VIII. Adstipulatur Hammondus.
Nullus est locus in V. T. ex quo hæc citatio peti queat melius, quam ex
[redacted] *Gen.* VI: 3. *ubi in versione Lex Interpretum est* πνεῦμα *spiritus, &* παραμένειν,
[redacted] *quod perinde est ac* κατοικεῖν, *habitare. Quum autem spiritus ille dicatur hic*
[redacted] ἐπιποθεῖν εἰς φθόνον *concupiscere ad invidiam, primo constat* πνεῦμά μου *spiritum*
[redacted] *meum esse illic spiritum hominis, seu ejus mentem ei Deo datam, quæ de caussa*
[redacted] *dicitur spiritus Dei. Sed significat mentem hominis, qualis in homine est,*

nimirum corrupta habitibus pravarum cupiditatum : quæ non possunt dici de sancto Dei spiritu. . . . Secundo hæc παράλληλα *sunt iis quæ habentur com. 3. & 5. simul. Ubi de antediluvianis hoc judicium fertur, hominem esse carnem, & cogitationes animi ipsius semper esse malas, hoc est carnalibus ipsius cupiditatibus satisfieri non posse, deditumque esse omni generi nequitiæ. Cupiditates hic distincte designantur verbo* ἐπιποθεῖν. *Earum vero nequitia & insatiabilitas, verbo* φθόνος*, quod quandoque apud scriptores Græcos contrarium est liberalitati; significatque omne genus cupiditatis qua urimur, quum videmus cupiam aliquid esse, quod nos non habemus, & quandoque malitiam, vim, & similia. Sic Hammondus.*

IX. Heinsius quærit Prov. III: 34. & IV: 9.

IX. Aliam sibi viam ineundam esse censuit *Daniel Heinsius*; qui postquam conquestus esset, *vix esse locum in quo minus nervos intenderunt veteres, ideoque magis æstuarunt & recentiores*, pollicetur se *visurum esse, quid & ipse hic possit.* In eo quidem cæteris assentitur, quod de *spiritu humano, & malo*, loquatur Apostolus, & quod non adducat ῥητὸν, sive locum, qui non extat; sed διάνοιαν, seu sensum loci aut sententiam, quæ extat. Cæterum uti per φθόνον aliud intelligit, id nempe quod Hebræis קנאה dicitur, sive *ira Dei quæ peccatis excitatur*, ut sensus sit, *spiritum hominis, aut qui habitat in homine, adversus Deum, & cum indignatione ejus, cupiditates suas exercere*, ita alium sibi locum quærendum esse videt, qui huic sententiæ παράλληλος sit. Hunc autem invenisse sese putat, una cum altero sequenti, partim Prov. IV: 9. *Dabit capiti tuo augmentum*, quod esset, μείζονα δὲ τῇ σῇ κεφαλῇ δώσει χάριν; partim cap. III: 34. *Profecto illusoribus ipse illudit, & humilibus dat gratiam.* Unde ista totius hujus pericopæ oritur παράφρασις. *Mœchi ac Mœchæ, an nescitis, mundi amicitiam, inimicitias cum Deo esse? An putatis frustra à Scriptura dici, ad irritandum Deum concupiscere illum spiritum qui in nobis est? An vero frustra majorem dari ab eo aut promitti gratiam existimatis? Minime vero. Inimicos enim vere odit, quemadmodum quum dicitur, Dominus superbis se opponit, humilibus dat gratiam.*

X. Sed omnes in eo falli videntur, quod opinentur de Spiritu malo hic esse sermonem.

X. Atque sic quidem Doctissimorum hominum mentem qui Jacobi ῥητὸν de malo spiritu & prava illiusdem concupiscentia exponunt, optima me fide retulisse confido : nulla re omissa, nulla saltem dissimulata, quæ expositioni isti probabilitatem conciliare idonea est. At tamen ab animo necdum meo impetrare possum, ut in ea prorsus acquiescam. Primo enim, durum dictu mihi esse videtur, ut per *spiritum in nobis habitantem*, vel *Diabolus* designetur; qui quando spiritus dicitur in sacris, solet *mali, impuri, mendacii*, aut simile aliquod elogium addi, & nusquam describitur ut *in hominibus sanctificatis*, quamvis ex parte sanctificatis, *adhuc habitans*: vel *nativa hominis pravitas*, quæ *carnis* nomine plerumque venit, in oppositione ad *spiritum*, aut si pravi habitus alicubi *spiritus* vocentur, dignoscitur illud ex epithetis *soporis, contumaciæ, scortationis*, similibusve; vel ipse *hominis animus*, à

Deo

Deo ipsi inditus; quem sæpenumero *spiritum* vocari constat, quatenus est *substantia immaterialis* & intelligendi facultate prædita, nuspiam autem, quantum scio, quia & *quatenus est vitiosus*. Deinde, non satisfaciunt etiam loca allegata, ad quæ Jacobum attendisse contenditur; quippe quæ oppido sunt generalia, neque exhaurientia vim sententiæ à Jacobo laudatæ, & in *invidiam* nominatim directæ. Quo nomine omnem appetitum pravum, nescio qua metonymia, intelligere, nulla necessitate jubemur. Maxime quum Apostolus invidiam nominatim iis exprobraverit com. 2. & capitis præcedentis com. 4, 16.

XI. Grotii & Hammondi interpretatio oppido torta est.

XI. Procul denique ab omni probabilitate repulsum mihi esse videtur, quod Jacobus de spiritu in nobis habitante scribens alluserit ad Gen. VI: 3. qui locus, salva magni nominis reverentia, cum hoc nostro nihil habet commune. Enimvero ex omnibus quibus vexatur interpretationibus, nulla se minore veri specie commendat eâ quæ post Hebræorum, fateor, aliquos, *Grotio* & *Hammondo* allubuit: de qua judiciose *Vatablus*: *Violenter nimium detorta est hac expositio*. Primo enim vehementer addubito, an ullibi in sacris nostris per *Spiritum Dei* intelligatur *animus hominis*, qui רוח בני אדם *spiritus filiorum hominis* Eccl. III: 21. & τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἐν αὐτῷ, vocatur I. Cor. II: 11. *Spiritus* autem *Dei*, quantum scio, nuspiam vocatur. Quod in hanc mentem allegant aliqui Ezech. XXXVII: 14. & Ps. CIV: 30. id profecto conficere magnum istud postulatum nequit. Ibi enim spiritus Dei non animum aut vitam creaturarum, sed vitæ istius auctorem notat: eundem de quo Elihu Job. XXXIII: 4. Deinde vox Hebræa דון, unde est futurum ידון, cum omnibus derivatis suis, *disceptandi*, *judicandi*, *litigandi*, significationem constanter habet: *commorandi*, non habet. Quod adeo verum est, ut viri eruditissimi, patrocinio suo Græcam versionem tuituri, conjecerint ipsos in exemplari suo legisse ידום, vel ידור vel ילון, aut simile quippiam. Itaque longe melius τοῖς LXX. vertit Symmachus, οὐ κρινεῖ τὸ πνεῦμά μου τοὺς ἀνθρώπους αἰωνίως. *Hieronymus* etiam fatetur: *in Hebræo scriptum esse, non judicabit spiritus meus homines istos in sempiternum.* Porro vox נדן, quæ *vaginam* notat, prorsus hic est aliena. Etenim, quod Viri harum literarum callentissimi observaverunt, nec apud Talmudistas, nec apud Chaldæos, nedum in sacris Veteris instrumenti libris, verbum ullum inde derivatum exstat, quod *detineri in vagina* significat. Certe Mosis vocabulum ידון hinc arcessi nulla ratione potest: quippe quod invita fieret omni analogia Grammatica. Ea enim exposceret יָדוֹן; non permitteret יָדוֹן. Unde colligo, quomodocunque tandem exponendum hoc Mosis dictum sit, istam quam nunc examinamus expositionem valde contortam esse: atque idcirco omni probabilitate carere, quod eo respexerit Jacobus.

XII. Neque illa Heinsii satisfacit.

XII. At neque *Heinsii* interpretatio satisfacit, jubentis ut per φθόνον non pravum aliquem hominis affectum, sed justissimam sanctissimamque Dei

 adversus

adversus hominum peccata indignationem intelligamus. Quod mirum est, qui probet. *Primo*, inquit, *sciendum erat*, *φθόνον*, *more Hecraeorum*, קנאה *hic esse*. Quid um porro? קנאה enim tam in malam quam in bonam partem sumi- r; tam hominibus quam Deo attribuitur. Vide sodes Ps. XXXVII: 1. Jes. XI: 13. Job. V: 2. Eccl. IX: 6. Hactenus ergo indecisa res est. Pergit Illustris Criticus: *Ira Dei qua peccatis excitatur*, *Hebrais est* קנאת יהוה, *φθόνος κυρίου*. Quis non expectet congeriem aliquot testimoniorum quibus probetur Hebræorum more קנאת יהוה dici *φθόνον κυρίου*; At vide sodes, quomodo Vir Illustris argumentatione sua defungatur. Ne unum quidem ejus generis testimonium laudat. Sed pro *φθόνῳ κυρίου* mox substituit *παροργισμὸν κυρίου*: *de quo*, sic pergit, *tota loquitur Scriptura*. At unum tandem audiamus exemplum. Ecce illud: *ut quum παρώργισαν τῷν Μωϋσῆν Ps.* CVI: 16. *ubi pro* קנאו, *quod est*, *πρὸς φθόνον ἦγαγον*. *in Hebræo*. Cæterum neque de Deo ibi sermo est, sed de Mose: Neque Hellenistæ habent *πρὸς φθόνον ἦγαγον*, quod pro arbitrio sibi suo fingit Criticus, sed *παρώργισαν*. Eam sane operam Lectoribus debebat suis, quorum plerosque linguæ Hellenisticæ non nesciebat esse paullo imperitiores, ut uno saltem alterove exemplo doceret, ubi in Hebræo est קנאת יהוה, ibi Hellenistas dixisse *φθόνον κυρίου*. Quod quum non libuerit Viro Illustri, relicta nobis est inquirendi molestia. Inquisivi itaque quanta potui diligentia, nullum ut locum inexcussum me reliquisse putem, ubi קנאה Deo adscribitur. Cæterum, ignoscant mihi manes Heinsiani, nusquam, prorsus nusquam, inveni illud ipsius, *τὸν φθόνον κυρίου*. Semper Hellenistæ habent *ζῆλον*. Caussæ itaque nil est, cur per *φθόνον* *Divinam* potius *indignationem* intelligamus, quæ nuspiam in Sacris nostris eo nomine venit, quam pravum humanæ *invidiæ* affectum, qui genuinus vocabuli istius significatus est. Atque hoc fundamento sublato, sponte sua corruit assignatio veteris oraculi quo collimaverit Jacobus, quasi illud exstet. Prov. III: 34.

XIII. Alii malunt de spiritu bono & *φθόνῳ* laudabili Jacobum loqui: sive intelligatur æmulatio qua nos prosequitur Deus.

XIII. Nunc eorum examinemus sententias, qui per *Spiritum in nobis habitantem Spiritum Dei bonum* intelligunt: sive ipsam *personam Spiritus Sancti*, uti Rom. VIII: 9. 1. Cor. III: 16, sive novas illas sanctasque *qualitates*, quas Spiritus fidelibus impartitus est, uti Gal. V: 17. Eorum aliqui vocem *φθόνου* interpretantur *in partem bonam*, eamque vel *Deo* tribuunt, vel *hominibus*. Qui tribuunt Deo, exponunt de *æmulatione qua nos prosequatur Deus*. Quasi dixerit: Spiritus Sanctus Dei, qui in nobis habitat, æmulatur nos æmulatione bona, nec mundo tanquam æmulo suo patitur adhærescere. In hanc sententiam à *Gathakero* laudantur *Faber*, *Catharinus*, *Cajetanus*, *Fevardentius*, *Salmeron*, *Lorinus*, aliique. Nec abludit in Paraphrasi sua *Erasmus*. *An putatis sine caussa scriptum esse in Sacris Voluminibus, quod Spiritus qui habitat in vobis concupiscit ad invidiam? In Lege Mosaica nonnihil dabatur humanis affectibus &c. Sed Spiritus Evangelicus, qui nunc*

habitat

abitat in vobis, zelotypus est. ut ita loquar, invidus, plus exigit, vult reamari vehementer, usque ad uxoris, usque ad liberorum, usque ad vitæ contemtum. Non fert domicilium mundanis cupiditatibus inquinatum: pura requirit, requirit cœlestia, resilit, aufugit, offenditur, si mundi hujus sordes in ipsius templum invexeris. Cæterum interpretationi isti repugnat id quod modo observavimus, nimirum æmulationem illam Dei ζῆλον quidem in Sacris dici, quem ad se quoque transfert Apostolus 2. Cor. XI: 2. φθόνον non dici.

XIV. Sive sancta nostra in orando importunitas.

XIV. Eadem difficultate laborat eorum explicatio, qui per invidiam intelligunt *sanctam* sancta petendi *importunitatem*; quæ quasi ad invidiam usque pertinax sit. Ita *Zuinglius*: *Spiritus fidelis ad invidiam usque petit. Nec intermittit, donec acceperit.* Atque hoc modo de *Spiritu* dictum foret, quod de eo dixit Apostolus Rom. VIII: 26. de *importunitate*. quod ipse dixit Dominus, Luc. XI: 6 & XVIII: 5, 7. Fatendum equidem est, *invidiæ* vocem Latinis ea quandoque notione usurpari. Sic *Tacitus Annal.* XI. *Vibidiam repellere nequivit, quin multa cum invidia flagitaret.* Cui ex *Tertulliano* similia junxit aliquoties nunc laudatus *Gathakerus*; ex quibus patet, solemnem isti Afro formulam fuisse, qua *invidia fieri supplicatio* dicitur, quoties enixius aliquid poscitur. Cæterum quamvis Latinis Scriptoribus *invidia* importunam petendi *constantiam*, utut rarius fortasse, significet φθόνος tamen Sacris auctoribus eo sensu nuspiam, nisi fallor, venit.

XV. Sive bona æmulatio nostræ adversus omne id quod inimicum est Deo.

XV. Non longe hinc recedunt qui *invidiam* interpretantur de *æmulatione bona*, sive de contentione adversus omne illud quod inimicum est Deo. Ita ut Jacobum affirmantem faciant, Spiritum illum Divinum, qui in fidelibus habitat, omnino ferri ad invidiam, seu *contentionem* potius, nempe *quatenus assidue contra carnem ejusque studia concupiscit.* Locum autem ad quem respexerit Jacobus, volunt esse eum qui exstat Gen. VI: 3. *Non disceptabit Spiritus meus in homine in perpetuum, eo quod etiam caro est.* Hanc interpretationem *Episcopius* testatur *semper sibi visam fuisse vero simillimam, quia sanctissimum, & scopo Apostoli convenientissimum sensum habet.* Sed & simul fatetur, *duram semper sibi visam fuisse vocem* φθόνου, *si ea exponatur de invidia sancta.* Quoniam itaque interpretationes istæ à mente Apostoli alienæ esse videntur, nihil est quod de prisco aliquo oraculo eas sententias continente solliciti simus.

XVI. Coccejì notabilis interpretatio.

XVI. Propius ad verum accedere arbitror, qui per φθόνον id intelligunt quod vox ipso tinnitu suo audientibus quasi ingerit: eum nempe affectum, prorsus Diabolicum, *quo aliorum bonis conciliatur ægritudo.* Sed & hi ipsi in diversa abeunt, pro diversa significatione voculæ πρὸς, quæ & *contra*, & *ad* notat. Hæc quidem præpositionis istius notio frequentissima est: sed & illa aliquoties in sacris occurrit. Ut Luc. XX: 19. Act. XXIII: 30. Eph. VI: 11. Hebr. XII: 4. Eamque elegit Celeberrimus ævi nostri Interpres, *Johannes Coccejus*;

Coccejus; ita commentans: *Prævidebat S. Jacobus, eos, qui volunt esse amici mundo, indignaturos, si inimici Dei dicerentur. Persuasos apud se, quod verbo Dei credant, quod Christum habeant pro Salvatore unico, quod Evangelii præconium audiant, & quod faciant cum iis qui effugerunt in errore versantes; & si qua sunt similia, quæ homines habent ostentui. Ideo adjungit, Spiritum Dei habere πόθον, & efficere πόθον vehementem, qui flagret contra invidiam, qui ardentissimus animæ affectus est. Hoc est, Spiritum Dei concupiscere adversus carnem Gal.* v: 17. *atque adeo ponere filios Dei in lucta & certamine cum carne; neque facere tepidos, sed implere zelo, Apoc.* III: 15, 16, 19. *Spiritum charitatis Spiritum zeli, & scintillas zeli esse ut scintillas ignis, flammam Dei Cantic.* VIII: 6. *Zelus autem eodem vocabulo dicitur quo invidia, nempe* קנאה. *Debet igitur zelus Spiritus æque ardere ac zelus invidiæ. Confer. Rom.* VI: 19. *Testatur, hoc Scripturam dicere. Et vero Sanctus Paulus hoc revera dicit* 2. *Tim.* I: 7. *Imo eo ipso quod* אהבה *conjungitur cum* קנאה *in Cantico, intelligitur, spiritum charitatis, quem accepimus, operari etiam zelum, & eum non minus ardentem, quam invidia flagrat in hominibus carnalibus.* Hactenus *Coccejus*: cujus mens huc redit: *Spiritus in nobis habitans*, est *Spiritus Dei*, Spiritus charitatis. Is habet & facit πόθον, id est *vehemens desiderium*, קנאה, flagrantem zelum. Zelus iste est πρός *contra*, φθόνον, flagrantissimum pravi animi affectum. Estque enunciatio S. Jacobi *affirmativa*, non *interrogativa*. Testimonium Scripturæ quod Jacobus laudat partim quærendum est in testamento Novo 2. Timoth. I: 7. partim in Veteri Cant. VIII: 6.

XVII. Alii quidem prælato non tamen pleno assensu probata.

XVII. Multa profecto interpretationi huic adsunt quæ admodum eam faciunt commendabilem: neque dubitem cæteris quas hactenus audivimus omnibus immensum quantum anteferre. Nam & sensus sanctissimus, commodissimus, plenissimus est: & servata singulorum verborum proprietate, totiusque sermonis simplicitate, sponte sua fluere videtur. Duo tamen potissimum obstant, quo minus pleno animi assensu eam amplectar. Primum quod non satis commode cum ea connectatur pericopa sequens; quæ adversativa est, *Majorem* AUTEM *dat gratiam*. Duæ enim istæ sententiæ, *Spiritus Dei efficit vehementum zelum contra invidiam*, &, *Majorem dat gratiam*, nullam adversationis speciem habent; meliusque connecterentur particula conjunctiva, eave quæ gradationis notionem includit. Deinde, parum hactenus probabile mihi est, allusisse Jacobum Apostolum, vel ad Pauli, vel ad Salomonis in Cantico, oraculum; non ob eam solum caussam, quod haud soleant Novi Instrumenti auctores ad aliam aliquam ejusdem instrumenti sententiam sub communi Scripturæ nomine provocare; sed præcipue, quia laudata testimonia & verbis multum distant à Jacobi dicto, & sensum illius non nisi admodum generali notione complectuntur.

XVIII. Vera mens

XVIII. Ne nimia sententiarum congerie Exercitatio hæc nostra laboret, ad eam tandem deveniamus, in qua præ cæteris acquiescere liceat. Nimirum

rum sic accipi verba S. Jacobi possunt, ut etiam postrema ista *interrogandi* sensu dicta sint. *Ecquid ad invidiam concupiscit Spiritus?* Cui responderi debet, Minime. Hac mente: Spiritus Sanctus, qui in fidelibus habitat, quo reguntur, ducuntur, aguntur, nequaquam ἐπιποθεῖ, id est, vel ὁρμᾶται *ingenti desiderio fertur*, vel ἐπιποθεῖν ποιεῖ, *facit ut ingenti desiderio ferantur*, (sicuti Rom, VIII: 26. ἐντυγχάνει, id est ἐντυγχάνειν ποιεῖ) πρὸς φθόνον *ad invidiam*; quo pravo prorsusque Diabolico affectu optimo huic spiritui nihil magis est contrarium. Sed ex adverso, idem ille sanctissimus Spiritus *majorem* potius *dat gratiam*: efficit, ut quisque fidelis non modo non invideat fratri ea quæ possidet bona, iisque ipsum carere, optet, sed majora etiam ac plura apprecetur, &, si possit, reapse conciliet. Neque hoc tantum; sed & homini fideli, ita comparato, insignia gratiæ suæ augmenta confert: ut ista in proximum liberali propensione, non solum nihil ipsi decedat, sed vel ob eam ipsam rem Divinæ gratiæ muneribus largiter locupletetur In hac demum interpretatione ex facili fluunt omnia: servatur & singulorum verborum sueta significatio, & integræ orationis concinnitas: nihil hic torti, nihil duri, nihil hiulci: justo ordine connectuntur omnia: denique sensus hinc exsurgit, qui & in sese verissimus dignissimusque & scopo Apostoli apprime consentaneus est.

hæc esse videtur: Ecquid Spiritus Sanctus in nobis habitans, facit, aut permittit, ut ad invidiam concupiscamus?

XIX. Cæterum, ubi Scriptura id dicit, quod dicentem hic audivimus Jacobum? Facile conscisco *Junio*, *Piscatori*, *Ludovico Cappello*, *Gathakero*, aliisque Viris Doctissimis, nusquam illud clarius & plenius inveniri, quam in historia illa quæ exstat Num. XI. Nimirum populus Israëliticus insana carnium in deserto edendarum concupiscentia flagrans, improbe eas à Mose efflagitavit. Quod indignatus Moses ea de re apud Deum conqueritur. Deus Mosi, nimio onere regundi populi Israëlitici presso, septuaginta regiminis socios dedit. Stitit eos Moses, ex mandato Dei, ad tentorium conventus: ubi locupletati sunt Spiritu Sancto, quo ad tanti muneris functionem redderentur idonei. Irruentis in ipsos spiritus indicium atque argumentum fuit, quod prophetarent. Interim usu venit, ut Eldad & Medad, qui quamvis ex conscriptis essent, non tamen prodierant ad tentorium, sed remanserant in castris, eodem Spiritu donati, uti alii circa tabernaculum, ita ipsi in castris prophetarent. Id quum renunciatum esset Mosi, Josua, zelo non satis castigato motus, rogavit Mosen, ut cohiberet ipsos. Prudentissime autem & sanctissime respondit Moses com. 29. *An invides tu mea caussa? atque utinam totus populus Jehovæ essent Prophetæ, indente Jehova Spiritum suum illis!* Agitur hic de *Spiritu Dei*, quo præ cæteris omnibus opulenter auctus fuit Moses, com. 25. quique idcirco in Mose quam validissime, & sicuti genio suo dignum est, operabatur. Quid autem operabatur? An impetum aliquem carnalis concupiscentiæ, qualis in crasso populo dominabatur, aut invidiæ, adversus ejusdem Spiritus consortes?

XIX. Quod scriptura fieri negat Num. XI: 29.

Nihil minus. Ne tum quidem, quando à Josua temere ad eam incitabatur. Imo vero acriter Josuam eo nomine increpat: *Tune mea caussa invides*? Hoccine te dignum est? hoccine me? hoccine spiritu, quo duci nos oportet, & cujus non parcum distributorem videmus esse Deum? Adeo etiam ab omni invidiæ specie aberat Moses, ut, faciente qui in ipso habitabat Spiritu, majorem, non iis solum qui prophetabant, sed & universo populo, apprecaretur gratiam. Ullusne in tota veteri Scriptura invenitur locus, propius ad Sancti Jacobi argumentationem accedens? Cujus concisam orationem luculenta paraphrasi *Ludovicus Cappellus* in hunc ferme modum illustravit: *Q. D. An non videtis, Mosen, Spiritu Dei motum atque ductum, similem non fuisse reliquo populo, qui prava motus fuit rerum carnalium concupiscentia, adeoque ne invidia quidem ulla tactum fuisse adversus eos qui Spiritu Dei acti prophetabant, licet contra eos excitaretur à Josua? Quam ergo vos, ô mundani, adulteri & adulteræ, dedecet consimiliter populo illi rebelli concupiscere carnalia & mundana hac bona, adeoque ista aliis invidere, & pro virili ereptum ire, pugnis & litibus & concertationibus mutuis! quum Moses, homo Dei, & Spiritu ejus ductus, ne quidem inviderit Eldato & Medado partem Spiritus illius, quo à Deo donatus fuerat, quaque ab ipso in eos translata fuerat.* Addo ego: *Imo vero majora melioraque, non ipsis modo, sed & universo populo, ex animo optaverit.*

XX. Neque frustra id docet.

XX. Idem ergo quod Jacobus dicit, dixit olim Vetus Scriptura, non quidem ῥητῶς, sed κατὰ διάνοιαν evidentissimam. Neque κενῶς, *in vanum*, frustra, id dixit. Omnia enim quæ scripta sunt, non ad illius solum ævi homines, sed ad omnem posteritatis memoriam pertinent; ut inde quisque sibi exempla sumat, discatque quid fœdum factu, tristeque eventu, quod vitet; quid honestum ac pulcrum, & laude præmiisque decoratum, quod sequatur. Nominatim Israëlitæ in deserto *typi nostri fuerunt, ut ne concupiscamus res malas, sicuti illi concupiverunt. Et quæ ipsis evenerunt, omnia typice evenerunt; scripta vero sunt ad nostri admonitionem, in quos fines seculorum devenerunt.* 1. Cor. x: 6, 11. Prudentissime igitur factum est à S. Jacobo, quod sui temporis Hebræis, initio Testamenti Novi, in memoriam revocaverit, tam tetra priscorum Israëlitarum exempla, quam præclarum illud Mosis, quæ acciderunt initio Testamenti Veteris: quæque nequaquam existimare debebant in cassum esse scripta, sed quam maxime facere ad ipsorum commonefactionem.

COMMEN-

COMMENTARIUS IN EPISTOLAM JUDÆ.



DIVINAM JUDÆ APOSTOLI EPISTOLAM, sermone brevem, sed & gravem; sensibus fœcundam, tractatione reconditam; ab aliquibus tam Veterum quam Recentiorum Apocryphis, sed injuria, accensitam, insigni vero se majestate sua asserentem cœlo; denique Catholicæ Ecclesiæ in omnem ætatem utilissimam, quod Deus O M. bene vertat, brevi commentario illustrare aggredior. Uti vero ad cujuscunque propemodum epistolæ intellectionem; ita & hic quinque potissimum notanda veniunt: I. SCRIPTOR. II. II AD QUOS SCRIBITUR. III. Scriptionis TEMPUS. IV. OCCASIO. V. ARGUMENTUM.

II. SCRIPTOR Epistolæ JUDAS est: quem quum nunc supponam ejus nominis Apostolum esse, quod mox demonstraturus sum, lubet in antecessum historiam Judæ Apostoli succincta disputatione exsequi. Omnibus notum est, duos ejusdem nominis in ordine Apostolorum fuisse, quorum alter, *Iscariotes*, proditor Domini factus, abominabilem sui memoriam bonis omnibus reliquit: alter, *Jacobi frater*, sanctis annumerari meritus est. Et de hoc nobis nunc est sermo. *Judas non Iscariotes ille*. Johanni XIV: 22. Tria ei nomina in sacris attribuuntur, *Juda*, *Thaddai*, *Lebbai*. Primum à Patriarcha illo desumtum, cui suos debebat natales. Alterum, תַּדַּי THADDAI, an à *mammis* deductum sit (nam תד Chaldæis papillam notat) & quam ob caussam ita dictus fuerit, incertum est. Non desunt quibus hariolari lubet, quod ab uberibus sit denominatus, quasi dicas Mammeum, Uberalem, Dulcem, Misericordem, Benignum. Alii malunt תדי derivare à תודה *Thoda*, ut ejusdem notionis sit cum *Jehuda*. Qua de re audire juvat *Franciscum Junium*, Theologum gravissimum, suis in hunc locum commentariis. Thaddai *vel* Thaddæus *Syris idem est qui apud Hebræos* Jehuda: *quemadmodum ex longis Hebræorum vocalibus Syri breves solent efficere, & omnes fere lingua nomina extera, quæ sibi peregrina sunt, corrumpere. Quam ob rem etiam apud Matthæum hæc verba,* ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος, *perinde accipi possunt, atque si dixisset,* ὁ ἐπὶ τούτῳ κληθεὶς ἐπιχωρίῳ γλώσσῃ, *qui insuper patria suorum lingua vocatus est Thaddæus. Sive vulgus fuerit hujus appellationis auctor, sive ipsi Apostoli, aliqua ratione ducti: nempe cum ut eo facilius à proditore Juda hunc omnes facile distinguerent, tum ut constantiam hujus in confessione Christi facerent testatam populari voce quæ hoc significat.* Quod qui-

Judas

alias Thaddæus

dem à *Drusio* rejicitur, propter duplicatam, præter morem, radicalem mediam; *Grotius* tamen observat, novum non esse, ut pro vocali longa ponatur geminatio consonantis. Et cum Junio existimat, eum qui vetusto nomine *Judas*, eundem ab aliis *Taddæum* fuisse dictum, flexione diversa, at significatione eadem. Addit, Judæos quosdam à pronunciatione nominis Jehudæ abstinuisse, ad vitandum concursum literarum *τῦ τετραγραμμάτυ*. Quod fortasse subtilius est. Æque obscurum est *Lebbæi* cognomen.

& Lebbæus.

Quod plerique derivant à לב? Hieronymus *corculum* interpretatur. Quo nomine Romæ P. Nasica appellatus fuit. Plinius masculina terminatione Corculos dictos scribit qui sapientia præstabant. Alii malunt accersere à לבי *Labi*, quod Hebræis *Leonem* notat: quo nomine eos vocabant, qui cæteroqui Judæ dicebantur, ex Jacobi vaticinio Gen. XLXIX: 9. Addit *Bolducus de Eccl. post. leg. Cap.* VII. fuisse Synagogam aut Scholam aliquam quæ se *Labiam* vocabat: atque ad eum cœtum Judam nostrum pertinuisse, qui idcirco *Labius*, aut corrupta voce *Lebbæus* dictus fuerit. Cæterum conjecturas has evertit ista observatione Drusius, quod nomen hoc non ex puriore Hebraismo, sed ex Syriasmo sit. Leo autem Syriace vocatur אריא, non לביא. *Lightfootus* itaque *Lebbæum* dictum arbitratur ab oppido Lebba, Galilææ maritimo: de quo *Plin. Lib.* V. *Cap.* XIX. Verum *Cavius* observat in omnibus quas viderit Plinii editionibus oppidum illud non *Lebbam* sed *Jebbam* appellari. Mihi, dum hæc animo volverem, mirum visum fuit, quamvis nec mirum, tam difficulter homines eruditos ad ignorantiæ suæ confessionem adigi: adeo ut quævis fingere malint, quæ nulli se conscientiæ approbare idonea sunt, quam fateri, quod tamen res est, se de antiquis illis, & nullius etiam momenti nominibus, & de caussis ob quas alicui imposita sunt, tantundem scire, quantum modo nati infantes. Ego me, & auditores meos, modestos esse & audire malo, quam sciolos.

Frater Jacobi,

III. Satius est ut in *prosapiam* nostri *Judæ* inquiramus, quæ profecto nobilissima est. Fuit enim FRATER JACOBI: non illius qui *Zebedæi filius & frater Johannis* erat: Matth. X: 2. sed qui *minor* dictus fuit, fortassis ob ætatem, Marc. XV: 40. & *frater Domini*. Gal. I: 19. Quod quo sensu intelligendum sit, variant interpretes. *Cavius* in *vita Jacobi minoris*, veterum aliquos, contendit Jacobum & Judam fuisse filios Josephi ex priori matrimonio, his argumentis. I. Quia Matth. XIII: 55, 56. non solum *Christi fratres* dicuntur *Jacobus & Joses*, *Simon & Judas*; sed & una cum ipso *Fabri filii*, quod magis erant quam Christus: hic enim solummodo ex Judæorum opinione, illi revera. II. Quia *Maria Mater Domini*, etiam *Mater Jacobi & Josæ* dicitur Matth. XXVII: 56. Marc. XIV: 40. Ubi tres pias fœminas cruci Christi adstitisse narratur; nimirum Mariam Magdalenam, Mariam matrem Iacobi & Josæ, & Matrem filiorum Zebedæi. Ubi per secundam illam nulla facilius quam Beata virgo intelligitur; quum probabile

ideoque & Domini.

babile non sit eam ab Evangelistis omissam, quæ certo præsens fuit, & memorari præ cæteris debuerit; unde & Johannes earundem fœminarum catalogum texens, diserte eam Matrem Domini nuncupet. Joh. XIX: 25. Quod & à *Gregorio Nysseno* animadversum; *de Resur. Chr. Orat.* II. & probatum est *Vossio in Harm. Evang. p.* 313. ac fusius in *Dissert. de genere & fratribus Christi.* Volunt autem Jacobi & Josæ matrem esse dictam, quia noverca erat; atque ab iis potius quam à JEsu denominatam, partem ex sua modestia, ne superbire videretur miraculosa nativitate Filii Dei; partim ex prudentia, ne se & Divinum filium suum, citra necessitatem, odio atque invidiæ malevolorum Judæorum exponeret. III. Quia *Josephus* Historicus, quem in Genealogiis exactissimum fuisse pugnant, *Jacobum* hunc *fratrem JEsu* vocat. *Antiq. Lib.* V. *Cap.* VIII.

IV. At quamvis *Eusebius*, *Epiphanius*, *Gregorius Nyssenus*, plurimique veterum, in eandem concesserint sententiam; non videtur mihi ea probabilibus niti argumentis. Rectius *Hieronymo* accedemus, arbitranti eos qui Domini fratres dicuntur, fuisse ejus consobrinos, loquendi genere, etiam Græcis & Romanis noto. Nam. I. Expressim Matthæus notat *Jacobum*, cujus frater Judas est, fuisse *filium Alphæi.* Matth. X: 3. Josephum autem, sponsum beatæ virginis, suo isthoc nomine in Evangelio notissimum, Alphæum dictum fuisse, sine ulla auctoritate asseritur. Neque de Jacobo & Juda, sed de solo JEsu dicitur Matth. XIII: 55. quod *Fabri filius* fuerit; de cæteris solum, quod *fratres JEsu* sint. Qua generali voce non determinatur specialis sensus. Idem ad Josephi de Jacobo historiam observandum est, II. *Maria mater Jacobi & Josæ*, non est *mater Domini*, sed *soror* matris ipsius, quæ aliàs *Maria Cleophæ* dicitur. Sic enim Johannes Cap. XIX: 25. *stabant autem juxta crucem JEsu, mater ejus, & soror matris ejus, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.* Enimvero debiles admodum, & à veri similitudine repulsæ sunt rationes, ob quas alii pugnant, matrem Domini ab iis qui filii sui non erant, quam à Divino isto filio suo denominari maluisse. Maria autem Cleophæ cur sic dicta fuerit, admodum in obscuro est. Grotius conjectat filiam fuisse Cleophæ, uxorem Alphæi.. *Beza* cum aliis uxorem *Cleophæ* mavult. *Cleopham* autem volunt fuisse *fratrem Josephi*, qui qui quum uxorem habuerit Mariam sororem beatæ Virginis, hinc inter Christum, & Cleophæ filios duplicem cognationem intercessisse. vid. *Euseb. Lib.* III. *Cap.* XI. Verum quum *Jacobus Mariæ filius*, vocetur *filius Alphæi*, Matth. X: 3. Matth. III: 18. Luc. VI: 15. quomodo potuit esse *Cleophæ* filius; Respondent aliqui, Mariam primum in matrimonio habuisse Alphæum, unde susceperit Jacobum & Josen, postea vero demortuo Alphæo nupsisse Cleophæ, ex quo susceperit Judam & Simonem. vid. *Joh. Gerh. Harm. Evangel. in Pas. Cap.* XVI. *pag.* 186. Alii malunt *Cleopham* & *Alphæum* idem nomen esse diversimode pronuntiatum. Nimirum Hebræice

Filius Cleophæ.

Qui est Alphæus.

 scribitur

ſcribitur חלפא, vel חלפי. Litera autem ח interdum, imo paſſim, abjicitur, quando nomina in aliam linguam transferuntur, unde ex חלפא facile fit Alphæus, quomodo Matthæus ſcribit. Aliquando etiam, licet rarius, pronunciatur per Κάππα, ut ex פסח fit φασὲκ toto ſecundo libro Paralipomenon: juxta quam rationem ex חלפא fieri poteſt Κλωπᾶς. Sic *Cappel. in Spicil. ad Marc.* VI: 3. *Lightfootus ad Joh.* XIX: 25. Et *Spanhemius Diſput. de Apoſt.* §. 14. Quæri autem poſſet, cur Judas hic & alibi *Jacobi* potius *frater* quam *Alphai filius* dicatur, quum uſitatius ſit, & honeſtius videatur, à patre, quam à fratre denominari. Reſpondet *Junius*, duas hujus appellationis aſſignari poſſe cauſſas: unam, quod magis ſit διακριτικὸν Jacobi fratrem dici quam Alphæi filium, quum alii quoque Alphæi, & forte nobiliores, inveniri potuerint; Jacobi autem nomen eſſet in ſumma exiſtimatione: alteram, quod hæc ſolemnis fuerit, non modo ſanguinis, ſed & conſenſionis in ſana doctrina teſtificatio, prout alter alterius auctoritatem apud Eccleſias confirmabat. Cæterum & hoc inquiſitu dignum eſt, cur non & ipſe *frater Domini* dicatur, quum idem ad denominationis iſtius dignitatem jus haberet, quod frater ipſius Jacobus. Eam difficultatem ſic tollit ex *Epiphanio* idem *Junius*: duobus nominibus Jacobum fratrem Domini eſſe appellatum, διὰ τὸ ὅμαιμον καὶ διὰ τὸ ὁμότροφον, propter *conjunctionem ſanguinis* & *vitæ*. Conjunctionem ſanguinis habuit cum Chriſto Judas Jacobi frater, ſed non adeo familiarem vitæ conſuetudinem: in qua prælati ipſi Petrus & Johannes ſunt. In Jacobo autem utrumque fuit, ſanguinis & vitæ conjunctio: utroque ergo nomine conſecutus eſt fratris Domini appellationem. Quam adeo ipſi non invidit Judas noſter, ut ex modeſtia ipſe *Jacobi* quam *Domini fratrem* dicere maluerit.

Cur à fratre quam patre denominari maluerit: & minus frater Domini dicatur quam Jacobus.

V. De rebus à Juda geſtis, & ubi potiſſimum locorum Apoſtolatu ſuo functus ſit, quasve Eccleſias Chriſto collegerit, altum eſt in Sacris ſilentium. Sed & Eccleſiaſtica hiſtoria vix quidquam certi ſuppeditat. *Euſebius Hiſt.* I. *Cap.* XIII. *Thaddæum*, unum ex ſeptuaginta diſcipulis, quem aliquoties Apoſtoli nomine inſignit, mox à reſurrectione Domini, ad *Abgarum Edeſſæ Regulum*, ſecundum quoſdam Syrum, ſecundum alios Arabem, qui gentibus trans Euphratem poſitis præerat, à Thoma Apoſtolo miſſum tradit, ut Edeſſenis Evangelium prædicaret, Abgarum ipſum incurabili morbo laborantem prodigioſe ſanaret, & ad fidem Chriſti converteret. Quod & mira ſedulitate, atque optima fide, & incredibili propemodum ſucceſſu ab ipſo præſtitum fuerit. Hæc autem habere ſe teſtatur Euſebius ex ſcripto Syriaco in Achivis Edeſſenorum ad ſuam usque ætatem conſervato. Hunc Thaddæum *Hieronymus* in Matth. X. Judam noſtrum fuiſſe aſſerit. At non ex mente *Euſebii*: qui quum eum ex LXX. Diſcipulis unum, & à Thoma miſſum narret, eo ipſo ex XII. Apoſtolorum choro ſatis evidenter eximit. *Apoſtolum* autem non niſi generaliori ſignificatione vocat: eo more

Non eſt, ille à quo Abgarum curatum & converſum fuiſſe narrant.

que

no singulæ gentes & urbes, eos à quibus Evangelii primum veritatem acceperant, *Apostolos* nominabant. At tota ista Eusebii narratio sublestæ fidei est; cui fucum factum esse ab aliquo aut seductore, aut seducto, ego non dubito. Hæc enim tam solemnis gentium ad fidem Christi invitatio mox post Christi adscensionem in cœlum facta esse perhibetur. Nos autem ex indubitatæ fidei literis scimus, primitias gentium in Cornelio dedicatas esse. Alii probabilius tradunt, Judam cum cæteris Apostolis Evangelium primum in Judæa & Galilæa prædicasse, mox apud Samaritanos, hinc in Idumæa & Arabum tractu, unde in Syriam & Mesopotamiam profectus sit. *Nicephorus* addit, tandem Edessam appulisse, ubi opus ab altero Thaddæo inchoatum feliciter consummaverit, stabilitaque Christi religione, placida tandem morte functus sit. At *Dorotheus* eum Berythi cæsum, ibidemque honorifice sepultum tradit. Latinorum plerique in Persiam penetrasse, multisque ibi annis Evangelium Prædicasse scribunt, donec à Magis, quorum impios ritus libero sermone exagitabat, crudeli morte necaretur.

Peregrinationes ejus.

VI. Memorabile est, quod de Judæ nostri ἀπογόνοις *posteris* ex *Hegesippo* narrat *Eusebius*. Lib. III. Cap. XIX, XX. Hos à nonnullis delatos, quod ex Regia Davidis familia essent, ad se acciri jussit Domitianus. Quod postquam ingenue fuerant confessi, porro ex iis sciscitatus est quantas possessiones, quantumve pecuniæ haberent. Ipsi vero novem tantummodo denariorum millia sibi ambobus suppetere dixerunt, quorum dimidia pars competeret singulis: eas vero se facultates non in argento habere, sed in æstimatione agrorum ex quorum fructibus & tributa persolverent, & sibi ipsis non sine proprio labore victum compararent, simulque manus ostenderunt; duritiem cutis, impressumque alte callum ex laboris assiduitate in testimonium operis sui proferentes. De Christi etiam regno responderunt, non esse id hujus mundi, sed Angelicum & cœleste, cujus majestas in fine tandem seculorum revelanda foret, quando Christus vivos & mortuos judicatum veniet, unicuique retributurus secundum opera sua. Quibus auditis, Domitianus nihil adversus ipsos asperius decrevit; sed vilitatem hominum aspernatus liberos abire jussit; missoque edicto persecutionem adversus Ecclesiam motam compescuit. Illos vero Ecclesiis posthac præfuisse narrant, utpote Christi Martyres simul ac propinquos: & pace demum Ecclesiæ reddita, ad Trajani usque tempora vitam perduxisse. Cæterum eam Hegesippi narrationem non admodum exploratæ fidei esse, censet *Josephus Scaliger*: quum numerosa admodum fuerit etiam isthoc tempore Davidis posteritas, ex qua alii *Æchmalotarchæ*, alii *Principes* fuerint. *Æchmalotarchæ*, qui à masculino sexu: *Principes*, qui à fœminino posterorum David prognati erant. Veri etiam posteri David, non à Juda fratre Domini, qui nullus fuit, & quem somniavit Hegesippus; sed à Salathiel genus deduxerint. Unde concludit, Hegesippum istum in istis posteris David nihilo veraciorem fuisse, quam in

Judæ nepotes apud Domitianum.

passione

passione Jacobi, fratris Domini. Vide *Scaligeri Animadversiones ad Chronicon Eusebii. Pag.* 201. Hegesippum tamen & Eusebium tuetur in Annotationibus suis *Henricus Valesius*, putatque Scaligerum nimio reprehendendi studio abreptum merito in reprehensionem incurrisse: quum neque Hegesippus posteritatem David ad duos tantum homines tunc esse redactam dicat; & Judæ fratris Domini non *Epiphanius* solum meminerit, *Hæres.* LXXXIII. sed & Matthæus Cap. XIII: 55. & Marcus Cap. VI: 3.

Judas Apostolus Epistolæ hujus scriptor.

VII. Hunc Judam potius quam quemvis alium Epistolæ hujus credimus esse auctorem. Ipsi enim præ cæteris, imo soli, conveniunt epitheta, JESU CHRISTI SERVUS, FRATER JACOBI. *Servum* se *JEsu Christi* appellat, non solum quod ad Evangelii prædicationem totumque sacri ministerii opus à Christo vocatus esset; sed & quod in illius functione omnem fidem, diligentiam atque industriam constanter hactenus præstitisset, atque etiamnum hujus Epistolæ scriptione præstaret. Neque hujus tituli præscriptione Apostolatui suo, quamvis hic exserte non laudet, quidquam derogat. Nam & frater ipsius Jacobus, eodem titulo contentus, illum Apostoli in Epistola sua reticet. Quin etiam Paulus se aliquoties servum JEsu Christi vocitavit, omisso interdum Apostoli cognomento: Consule Epistolas ad Philippenses, Thessalonicenses & Philemonem. Acute à *Coccejo* observatum esse arbitror, necesse non fuisse ut Judas se Apostolum hic vocaret, quia non id agitur hac Epistola, ut testetur quid Christus fecerit, aut dixerit, & imprimis resurrectionem ipsius ex mortuis, quæ præcipua Apostolorum functio erat; sed id agit, quod omnibus Servis Domini commune est; nimirum monet fratres ut pro fide fortiter dimicent. *Fratrem Jacobi* dum se nuncupat, palam facit se eum esse Judam, cujus ut Apostoli frequenter meminit Evangelium. Maluit autem se fratrem *Jacobi* quam *Domini* ipsus dicere, ne videretur eo honore superbire, eo potissimum tempore, quo nemo nunc amplius Christum cognoscere secundum carnem debet. 2. Cor. V: 16. Jacobo autem se fratrem adjunxit tanquam pari. Et revera plus est, servum esse JEsu Christi, quam fratrem secundùm carnem. Accedit, quod & Patrum Antiquissimi atque doctissimi Epistolam hanc Judæ Apostolo adscripserint. *Tertullianus de habitu mulierum*, postquam de Enochi prophetia aliquammulta disputasset, tandem in hæc verba concludit: p. m. 504. *Eo accedit, quod Enoch apud Judam Apostolum testimonium possidet. Origines* in Matth. XII. pag. 223. Καὶ Ἰούδας ἔγραψεν ἐπιστολὴν, ὀλιγόστιχον μὲν; πεπληρομένην δὲ τῆς οὐρανίου χάριτος ἐρρωμένων λόγων, ὅστις ἐν τῷ προοιμίῳ εἴρηκεν. Ἰούδας Ἰησοῦ Χριστοῦ δοῦλος, ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου. *Et Judas Epistolam scripsit paucorum quidem versuum, plenam vero efficacibus verbis gratia cœlestis: qui dixit initio: Judas JEsu Christi servus, frater autem Jacobi. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum* hæc habet: *Judas, frater Jacobi parvam quidem, quæ de Septem Catholicis est, Epistolam reliquit: & quia de libro Enochi, qui Apocryphus*

Cur se fratrem Jacobi potius quam Domini vocet.

auctoritatem vetuſtate jam & uſu meruit; & inter Sacras Scripturas computatur. Adde, quod infirma oppido ſint aliter ſentientium argumenta. Ridicula propemodum eſt *Grotii* conjectura, ſcriptorem Epiſtolæ hujus eſſe Judam quartum decimum Epiſcopum Hieroſolymitanum, qui fuit Adriani temporibus, paullo ante Barcochebam. Nulla ratione addita, quæ opinioni iſti vel minimam probabilitatem conciliet. Nam quæ profert, eo ſolum tendunt, ut credatur Epiſtolam non eſſe Apoſtolicam. Verum prolixius eam cauſſam egerunt *Magdeburgenſes;* quorum argumenta ſolide refutavit *Gomarus*, & poſt eum *Coccejus.* Id quod maximam ſpeciem habet deſumtum eſt ex ℣ſ. 17. ubi ſe ab Apoſtolis diſtinguit, iisque poſteriorem facit, eorum etiam verba allegat, & nominatim Petri. Cæterum nihil hinc aliud inferri poteſt, niſi Judam Epiſtolam hanc ſuam ſcripſiſſe poſt aliorum Apoſtolorum prædicationem & præmonitionem; eumque teſtem eſſe eorum quæ Apoſtoli docuerunt, & monuerunt. Neque magis indignum cenſeri debet Apoſtolo Juda, citare verba quædam ex Epiſtola Petri, quam Petro indignum fuit provocare ad Epiſtolas Pauli. 2. Petri III: 15,16.

VIII. Ii QUIBUS SCRIPTA EST EPISTOLA, illis deſignantur Epithetis, quæ ſine Gentium diſtinctione Chriſtianis omnibus competunt; quamvis credibili ſit, potiſſimum eos ſpectari qui ex *Iſraëlitis* in Chriſtum crediderant. Iis enim ſæpiuſcule argumentis utitur, quæ ex Judæorum libris, vel etiam traditionibus, deſumta ſunt ℣ſ. 5, 7, 9, 11, 15. Videnturque prorſus iidem eſſe cum illis quos Petrus poſteriore ſua Epiſtola compellat. Vocat autem eos, VOCATOS, IN DEO PATRE SANCTIFICATOS, ET IN JESU CHRISTO ASSERVATOS. Non lubet nobis, obſcuriora duntaxat explanaturis, iis immorari quæ ubique proſtant. Hoc ſolum obſervabo, ineſſe his Epithetis argumenta, quibus ſuam Apoſtolus intentionem urgeat. Quum enim *vocati* eſſent ad cœleſte regnum & gloriam, & *ſanctificati* non ſolum *a*, ſe & *in* Deo Patre, ut unum cum ipſo ſint, Joh. XVII: 21. & *aſſervati* Divina potentia *in Chriſto JEſu*, nihil erat æquius, quam ut vocationi iſti obtemperarent, neque neglectu ſanctitatis ſe à communione Dei ſejungerent neque aſſervatori Chriſti injuriam facerent ſua ab ipſius puritate receſſione.

Epiſtola hæc Chriſtianis quidem univerſim, at potiſſimum Hebræis ſcripta eſt.

IX. TEMPUS ſcriptæ hujus Epiſtolæ uti ad poſtremam Apoſtolorum ætatem referendum eſt; quod colligitur ex ℣ſ. 17. ita ad extremam quoque Judæ ſenectutem pertinet. Obſervatu dignum eſt, quod præſtantiſſimi ſervorum Dei, inſtantem ſibi mortem cominus proſpectantes, nova ſpiritus alacritate imbuti, omnes ſuas vires veluti excuſſerint, & ſingulari cura graviſſima reliquerint ſcripta, poſt ſuam ex hoc mundo migrationem, Eccleſiæ æternum profutura. No[illegible] in hanc rem Moſis, Davidis, Petri, Johannis exempla ſunt; quibus [illegible] cenſeri Judas noſter, ob Divinam

Scriptionis tempus, & occaſio.

vinam hanc Epistolam, meretur. Beatus servus ille quem invenit Dominus ita facientem! OCCASIONEM præbuit spurcissimorum hæreticorum impietas, quales erant Simoniani, Menandriani, Nicolaitæ, Gnostici &c. qui, sive sub his, sive sub aliis nominibus, certe obtentu nominis Christiani, & prætextu Christianæ libertatis, impuris dogmatibus suis & scelerata vita plurimum invidiæ Christianæ religioni creabant. Hinc enim credibile est ortas esse atroces illas calumnias, quibus innocentissima ceteroquin Christianorum natio à Gentilibus olim incessebatur. Id autem operæ sibi datum esse crediderunt Apostoli, non solum ut suos adversus eam opinionum morumque profanitatem munirent; sed & sanctissimum gregem Christi ex doctrinæ suæ genio ab impuritatibus istis vehementer abhorrere palam facerent; utque ita impactas ei calumnias prudenter & efficaciter amolirentur. Huc pertinet 1. Petri II: 1. & 13, 14. &c. Apoc. II: 14, 15. Et in hac Epistola ℣ſ. 4, 11, 12. ubi aperte satis indicatur, quid necessitatem scribendi Apostolis creaverit.

Argumentum Epistolæ. X. ARGUMENTUM Epistolæ tribus partibus absolvitur. I. *Voto Apostolico* ℣. 2. II. *Caussa pertractatione*. a ℣ſ. 3. usque ad 23. III. *Doxologia*. ℣ſ. 24, 25.

Verſ. II. Votum Apostolicum. XI. *Votum* ita habet ℣ſ. 2. *Misericordia vobis, & pax & charitas multiplicetur*. Ubi supponitur aliqua jam optabilium bonorum possessio; & optatur eorundem multiplicatio. Bona quibus jam potiebantur, sunt MISERICORDIA, ex qua vocati erant. PAX, ad quam vocati. Pax nimirum cum Deo, conscientia, proximo. Et CHARITAS, tam Dei erga ipsos, jam sibi reconciliatos, & ad amicitiæ familiaritatem admissos: quam ipsorum erga Deum, & proximos. Quæ bona, quoniam in se valde desiderabilia, & in ipsis adhuc imperfecta erant, optatur eorum MULTIPLICATIO; tam respectu bonorum possessorum, quam respectu possidentium. Sic ut misericordia multiplicetur, in beneficiis ex ea profluentibus: pax, in sensu jucundissimæ tranquillitatis: charitas Dei erga ipsos, in sui beatissima manifestatione, & uberiori communicatione: charitas ipsorum erga Deum & proximum, in officiorum pietatis constantiore frequentia. Utque hæc omnia à paucioribus diffundantur in plures.

Verſ. III. Propositio. XII. In *pertractatione caussa* observa I. *Propositionem* ℣ſ. 3. II. *Confirmationem* ℣ſ. 4.-16. III. *Adhortationem* ℣ſ. 17.-23. In *Propositione* occurrit I. *Blanda compellatio* ad conciliandam benevolentiam & audientiam. DILECTI. Comitas ista Evangelii præcones decet 1. Thes. II: 7. cujus rara ac fere nulla apud Mosen, Veterisque œconomiæ prophetas, exempla exstant. II. *Protestatio* perpetuæ & omnigenæ *diligentia* in procuranda

Diligentia Judæ. Ecclesiæ ædificatione. QUUM OMNE STUDIUM ADHIBEAM. Officium quo fungebatur tantæ erat dignitatis: res quas tractabat, tanti momenti:

mandata, tam anxiæ sollicitudinis, ut non modo segnitiem omnem procul esse juberent, sed nec vulgari industria satisfieri sibi paterentur. OMNI igitur DILIGENTIA cuivis occasioni invigilandum sibi existimabat, & quanta fieri poterat animi contentione laborandum, ne commodis illorum ulla ratione defuisse videretur. Et quamvis jam senio confectus majorem sibi posset indulgere quietem, nihil tamen se de sollicitudine sua remittere protestatur: ut non præsentibus modo prosit, sed & absentibus ac futuris. Non viva voce solum, quæ non nisi in uno simul loco, & id breve tempus, audiri potest: sed & SCRIPTO; quod & latius diditur, & in omne ævum durat. Conf. 2. Petri 1: 15. Porro scriptorum Apostolicorum materies non sunt res curiosæ, vanæ, ad ambitionem & pompam comparatæ; imo ne illæ quidem quæ vitæ hujus Naturalis, Animalis, Rationalis ac Politicæ commoda spectant; sed SALUS ipsa, quæ hominem universum beatum facit in omnem æternitatem: Confertque immunitatem ab omni malo, & possessionem ac fruitionem Dei ipsius, qui summum bonum est, solusque idoneus ad omnem animæ appetitum satiandum. Salutis autem nomine comprehenditur, tam salutis auctor, JEsus Christus, quam via ad salutis possessionem adeundam ab ipso monstrata, in fide ac sanctitate. Salutem hanc vocat Κοινὴν COMMUNEM, sibi cæterisque vocatis, Judæis & Gentibus, sine discrimine nationis, ætatis, sexus, dignitatis, eademque omnibus via ac modo adeundam. Conf. 2. Petri 1: 1. Gal. III: 28. III. *Applicatio istius sui studii ad præsentem ipsorum statum.* ἀνάγκην ἔσχον γράψαι ὑμῖν. NECESSE HABUI VOBIS SCRIBERE. Necessitas illa fundatur partim in officio Apostolico. 1. Cor. IX: 16. partim in periculo cui per malitiam temporum expositi erant. *Coccejus* §. 38. asseveranter dicit, Judam præter hanc Epistolam non scripsisse, neque necesse habuisse scribere, neque à Spiritu Sancto impulsum fuisse ut scriberet. Id mihi non videtur esse certum; imo nec probabile. Apostoli enim quum universalis Ecclesiæ Doctores & Directores essent, & corpore ubique præsentes esse non possent, & frequenter sine dubio ab Ecclesiis consulerentur, necesse habuerunt frequenter scribere. Huc nos ipsa Judæ verba ducunt: quorum hæc esto paraphrasis: quum magnum mihi studium sit scribendi vobis de communi salute, nunc speciatim imposita mihi scribendi necessitas est propter hostes, qui innocentiæ vestræ insidiantur. Non autem magis opus fuit omnes Apostolorum Epistolas superstites manere; quam omnes sermones Christi. Sufficiunt quas habemus, ad perfectum canonem. IV. *Summa totius Epistolæ*; παρακαλῶν &c. AD VOS HORTANDOS UT DECERTETIS PRO FIDE QUÆ SEMEL TRADITA EST SANCTIS. FIDES est doctrina Evangelii, fide apprehendenda, & à sanctis apprehensa,

Salus

Communis.

Scribendi necessitas.

Fides semel Sanctis tradita.

hensa, de qua 1. Timoth. 1: 15. πιστὸς ὁ λόγος &c. Conf. Gal. 1: 23. Ea TRADITA est, à Deo *Apostolis*, & per Apostolos SANCTIS. 1. Cor. XI: 2, 23. XV: 3. id est Electis, per veritates fide receptas sanctificatis, Deo istiusque ministerio dicatis, & imaginem puritatis ipsius referentibus. SEMEL autem tradita est: πολυμερῶς quidem *multis vicibus*, nunc illa pars, nunc altera, & πολυτρόπως *multis modis*, obscurius, clarius, nunc cum, nunc sine jugo, nunc uni genti, nunc pluribus. Hebr. 1: 1. Attamen quoad rei substantiam *semel*, id est invariate: non nisi una salus, unus servator, una in eum fides; cui nihil addere licet, nihil demere; & qua *semel* repudiata, nulla altera restat. 1. Cor. III: 11. Gal. 1: 7, 8. Pro hac fide παρακαλεῖ, blande, pathetice, efficaciter HORTATUR. Conf. 1. Thes. II: 11. ἐπαγωνίζεσθαι DECERTARE, eam fortiter tueri adversus hostes quoscunque, non vi armata; & secus sentientium persecutione; 2. Cor. X: 4. sed fidei constantia, professione perpetua, argumentis ex scriptura petitis, patientia, & vitæ integritate.

Vers. IV. X: I. Versus 4. continet confirmationem eorum quæ dixerat de necessitate scriptionis & admonitionis suæ: quippe pestilentissimi se *hæretici* latenter veris Christianis miscebant, doctrinam & vitam eorum tetra labe, quantum in ipsis erat, inficientes. Hos primo *generatim* describit vs. 4. tum *specialius*, tam quoad *judicium* quod ipsos manet, quam quoad *crimina* quibus se obstringunt. Παρεισέδυσαν γάρ τινες. NAM SUBREPSERUNT QUIDAM HOMINES. Valde hæc conveniunt cum iis quæ Petrus scripsit 2. Petri II. notanturque iidem homines, Gnostici, Nicolaitæ, Carpocratiani, similesque excetræ, quamvis iisdem fortassis nominibus, quibus deinceps inclaruerunt. Apostolorum ætate non noti. Sceleratam ipsorum doctrinam, moresque impurissimos prolixe exsecutus est *Epiphanius*, & ex eo *Maresius*, *Dissert. singulari Tom.* II. *Disput. p.* 646. Mihi animus meminisse horret, dictuque refugit. Hi latenter & callide se veris Christianis miscebant, subdole profitentes nomen JEsu, & quædam sibi sumentes ex Evangelio. Οἱ πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρίμα. JAM OLIM PRÆSCRIPTI AD HANC DAMNATIONEM. Κρῖμα est κατάκριμα, ut passim. Matth. XXIII: 14. Marc. XII: Rom. II: 3. Condemnatio vero ista partim ad *crimen*, partim ad *pœnam* pertinet. Hoc enim est justissimum Dei judicium, ut qui amorem veritatis rejiciunt, tradantur in mentem reprobant, sibique relicti ac diabolo mancipati, in pessima dogmata & flagitiosos actus prolabantur, meritamque sibi apud Christianos arcessant infamiam; æternis deinceps suppliciis à Deo puniendi, accersentes sibi celerem perniciem. Ad id olim *præscripti* sunt. I. Divina prædestinatione: qua non solum generatim talibus hominibus decretum est exitium, sed & hi nominatim constituti sunt ut talia patraturi, & propterea juste damnandi: sicut ex adverso Clementis & reliquorum

Impuri hæresici, [margin note beside "mina quibus se obstringunt"]

Jam olim præscripti ad hanc damnationem. [margin note]

Etiam in sacris literis : ubi extant innumerabiles prophetiæ in Psalmis, in verbis Christi, & Apostolorum ejus, imprimis 2. Petri II: 3. de corruptione Ecclesiæ, & de ortu hæreticorum, & de falsis dogmatibus, eorumque pœna. Protestatur itaque Judas, se nihil novi dicere de hostibus fidei : sed vetera ac prædicta iis solum applicare quibus competunt. Iidem dicuntur ἀσεβεῖς IMPII. ut & 2. Petri II: 6. à vero Dei cultu, ipsiusque communione & justitia alienissimi; omni autem profanitati addicti; comtemtores numinis, sectatores scelerum. Quod ostendunt, τὴν τοῦ Θεοῦ ἡμῶν χάριν μετατιθέντες εἰς ἀσέλγειαν. *Dum* DEI NOSTRI GRATIAM TRANSFERUNT AD LASCIVIAM. *Noster* ille Deus est, qui vere ipsius fœderati sumus. Non est ipsorum Deus. Quidquid jactent, ἄθεοι sunt in mundo. Χάρις *Gratia* hic est doctrina Evangelii, exponens gratuitum Dei Patris & Christi erga miseros peccatores amorem, & indebita beneficia ex amore isto profluentia. Gratia ista suapte indole ad omnem nos virtutem ducit. Tit. II: 11, 12. Immensa illa Dei Christique charitas in mentibus bene dispositis reciprocationem ardentissimæ charitatis efficit : neque compensari potest, nisi totali hominis deditione ad obsequium Dei, 2. Cor. V: 14. Pietati isti opponitur ἀσέλγεια. De qua voce Junium rursus audire juvat, ita commentantem : Ἀσέλγεια *proprie est indesinens lascivia, effœminata, cinædica, ea denique intemperantia, qua homo voluptatum omne genus venatur & colit, atque in eis diffluit: dicta ex ἀ intendentis significationis, & nomine σέλγα. Fuit autem Selga oppidum Cappadociæ, vel potius Pisidiæ, Ulpiano teste, in finibus Cappadociæ & Galatiæ, cujus cives luxus & perditionis nomine fuerunt infames, maxime quod sua ipsorum corpora contabefacerent, enervarentque mutuis libidinibus. Quamobrem, ut vires amissas reciperent, nervosque debilitatos confirmarent, invenerunt oleum nervis utile, quod de nomine illorum veteres appellaverunt Selgiticum, cujus meminit Plinius Nat. Hist. Lib.* XV. *Cap.* VII. *& Lib.* XXIII. *Cap.* IV. Quam quidem ego Etymologiam suo relinquens loco, observare malo, ἀσέλγειαν dici posse omnem tam *ingenii*, quam *morum*, proterviam, petulantiam, lasciviam, quæ ab *Æschine*, uti *Budæus* annotavit, opponitur τῇ μετριότητι καὶ σωφροσύνῃ. Ἀσέλγεια *ingenii* est, quando quis suæ mentis ratiocinia opponit Divinæ revelationi, quasi non esset in Deo verum guod non habet in natura exemplum, & quasi pusilli animi sit disciplinæ Prophetarum & Apostolorum sine ulla restrictione fidem suam submittere. Hoc erat eorum vitium, qui non contenti φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, amabant ὑψηλοφρονεῖν Rom. XII: 3. XI: 20. Ἀσέλγεια *morum* est impuræ concupiscentiæ externis actibus demonstratio. Utraque infames fuere hi seductores, 2. Petri II: 10, 13. Epiphanius de iis narrat, quæ impuriora sunt quam ut calamus & charta nostra inquinetur.

Impii.

Qui Dei nostri gratiam transferunt ad lasciviam.

Ἀσέλγεια.

T

propter incredulitatem suam fœda strage periisse in deserto, exclusos terra Canaan? Historia exstat. Num. XIII. & XXIV. Conf. Psal. XCV. & Hebr. III: 17, 18, 19.

Vers. VI. Angelorum culpa & pœna.

XVI. Major difficultas in altero exemplo est. ℣. 6. Ubi Angelorum apostatarum *culpa* describitur & *pœna*. *Et angelos qui non conservarunt suam originem, sed reliquerunt suum domicilium, judicio magni illius vinculis æternis sub caligine reservasse.* Mihi quidem dubium non est, quin ANGELI hic, ut passim in sacris, notent Spiritus ab omni materiæ communione sejunctos, & creaturas rationales ab humano genere distinctas: illorum *culpa* est quod NON SERVAVERINT τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν. Verti id potest *principium*, ut significetur primigenia illa naturæ suæ puritas, à qua desciverunt; vel *principatus*, dignitas; qua se exuerunt sua adversus creatorem superbia. Quod sequitur, RELIQUERUNT DOMICILIUM SUUM, ad an pœnam magis quam culpam referendum sit, non adeo liquet. Intelligi potest utrumque: quasi dixerit Judas; non contenti sua felicitate, & quasi pertæsi cœlestis beatitudinis, res novas moliti sunt, & sic gloriosam rerum suarum sedem inconsiderate ac proterviter reliquerunt. Sed & justissima Dei indignatione, gloriosa regia ista exturbati sunt; quippe qua sua se rebellione fecerant indignos. Sic Judas edisserit locum felicitatis, unde exciderunt. Petrus 2. II. 4. addit locum miseriæ, *tartarum*, in quem præcipitati sunt. Tartarus autem est ima inferorum abyssus. Conf. Apoc. IX: II. Ibi RESERVANTUR SUB CALIGINE, valida Dei manu & incumbenti iis vindicta detinentur in statu miserrimo, ubi nulla lucis sive honestæ, qua ad bene agendum utantur, sive jucundæ, quæ consolationem aliquam, illiusve spem suppeditet, iis affulget. Asservantur autem VINCULIS, Petrus *catenas caliginis vocat*. Quibus intelligi potest partim virtus illa irati Dei, qua constricti tenentur ut supplicium evadere nequeant: partim miserabilis illa quæ iis incumbit male agendi necessitas; sic ut eluctari non possint, ex amore mendacii atque injustitiæ, ex odio Dei & hominum, ac maledicta voluptate in criminibus. Conf. 2. Tim. II: 26. Addi potest ineluctabilis horror conscientiæ, trepidantis ad flagellum Dei, & novissimum judicium. Jacobi II: 19. Vincula ista ÆTERNA SUNT, ubique enim iis & semper urgentur; durabuntque AD JUDICIUM MAGNI ILLIUS DIEI: non tollenda tunc, sed aggravanda. Hactenus enim veluti in fœdo carcere sunt. Maxima eos pœna manet post latam publice sententiam. Matth. VIII: 29. quando intensior erit iræ Divinæ sensus; & privabuntur insana illa voluptate noxam inferendi electis Dei Apoc. XX: 10. Magna enimvero exempli hujus debet esse vis: sive deficientium præstantiam, sive criminis æstimationem, sive pœnæ atrocitatem spectes.

XVII. Hæc

Batavus; quæque huc fere redit: *Angeli* non notant ibi spiritus qui sub imperio Diaboli, ejusque in rebellione successores, sunt. A. Quia illis nomen *Angelorum* proprie & accurate loquendo non competit. *Nuncii* enim non sunt; neque ante peccatum, neque in, neque post: quippe qui describuntur ut catenis vincti usque ad diem judicii. B. Exemplum malorum spirituum non convenit scopo Apostoli. Is erat fideles adhortari ad constantiam, & dehortari à similitudine eorum qui Dei nostri gratiam transferunt ad lasciviam &c. vs. 4. idque metu judicii Divini, cujus exempla tria adfert: Primum est *Israëlitarum infidelium* ac rebellium, juste punitorum ℣s. 5. Tertium *Sodomæ* ac *Gomorrhæ* vers. 7. Intermedio loco collocat hoc de *Angelis*. De quo quum nihil habeant sacræ literæ, congruum non est, ut exemplis ex Scriptura petitis ignotum aliquod interserat. Quid ergo? *Angeli* hic sunt *primates tribuum*, & capita filiorum Israëlis Num. XIII: 1, 3. qui ad terram Canaan explorandam missi sunt. His enim competunt omnia prædicata, quæ vel *crimen* ipsorum spectant, vel *pœnam*. Crimen in eo consistit, quod non ἐτήρησαν τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, id est, dignitatem eam ac dominationem qua alios præcellebant: quod deliquerint τὸ ἴδιον οἰκητήριον, terram Canaan ipsis à Deo addictam, quam abnuebant occupare. Pœna est, quod *judicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine reservantur*. *Caligo* notat statum mortis Job. X: 21, 22. *Vinculum*, immobilitatem insuperabilem, qualis est mortuorum. Ea *æterna* dicuntur, id est, duratura quam diu hic mundi status, ut colles æterni Gen. XLIX: 16. *Ad judicium magni illius diei*, notatur tempus duraturæ mortis, non certitudo æternæ damnationis. Fieri enim potest ut animæ ipsorum correctæ pœnis hujus vitæ, requiescant in pace apud Deum, & judicium hoc contigerit *ad interitum carnis*, *ut spiritus servetur in die Jesu*. 1 Cor. V: 5. Eodem torquent Petri dictum Epist. secun. Cap. II: 4. *Si Deus Angelis qui peccaverant non pepercit, sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit, damnationi servatos.* | de exploratoribus terræ Canaan.

XVIII. Cæterum hæc, ut mollissime loquar, abducunt nos à simplicitate & ἐνεργείᾳ sacrarum literarum. Mihi sane placere non potest, ut loca tam palam de Angelis loquentia, & constanter de iis exposita, nulla necessitate, alio trahantur. Cui bono? Si Judas ac Petrus notissimam de exploratoribus historiam narrare voluerunt, cur verbis usi sunt quæ à Mosaicis tam longe discedunt; & tam obscuris, insolentibus, intricatis, ut in hoc usque seculum à nemine mortalium intellecta esse probentur? Enimvero argumenta quæ contra receptam expositionem proferuntur, nullius videntur esse valoris. Nam Angeli dici possunt qui eo fine sunt creati ut Deo à ministeriis & à nunciis, etiam [illegible] ministerio aut legatione | Refutata.

Meletem. Leid.

tione ipsorum nunquam fortasse usus sit. II. Exemplum spirituum deficientium ac Apostatarum convenientissimum scopo Apostoli esse, nostra expositione modo probavimus. Et quid validius ad homines à defectione & Apostasia deterrendos excogitari potest, terribili hoc judicio? Quod si effugere non potuerunt Angeli, natura cæteroquin præstantiores, viribus validiores, numero plures; quo demum pacto pauculi aliquot scelerati homunciones effugient, eodem impliciti crimine, & ad omnia exempla obdurati? Ordinem temporis non servat Apostolus, neque ut servet necesse est; rem non ignotam narrat, sed apud Hebræos communiter receptam: & maximi ponderis. Explicatio nova est mera torsio. I. Insolens est, exploratores à Mose missos Angelos absolute dici, sine ulla designatione mittentis, aut eorum ad quos, aut operis ad quod missi sunt. Fateor Jacobi II: 25. exploratores Israëlitarum ἀγγέλους dici: sed additum Rahabæ nomen sermonem facit intellectu facillimum. II. Ἀρχὴ usitatissima significatione *principium* notat. Quid nî hic? At detur significare præstantiam ac dignitatem; an suam illam magis conservarunt Angeli defectores, quam Legati Mosis. III. Απολιπεῖν ἴδιον οἰκητήριον, magis proprie dicitur de Angelis cœlum relinquentibus, tam voluntario peccato, quam deturbatione & expulsione Dei justa, quam de exploratoribus, quorum οἰκητήριον nunquam fuit terra Canaan; & qui eam non tam ἀπέλιπον, quam occupare neglexerunt. IV. Pœnæ descriptio cum Mosaica narratione de morte exploratorum nihil commune habet: talisque illius explicatio est enervatio verborum manifesta; quam vix sine indignatione audias. Quis unquam animum induxit, ut *vinculis æternis sub caligine reservari ad judicium magni illius diei, & catenis caliginis, in tartarum detrusos, damnationi servari*, nihil aliud notat, nisi mortem corporalem eorum, quorum animæ fortassis in quiete apud Deum sunt? At non lubet hic esse justo prolixioribus. Ad contextum nostrum redeamus.

Sodomitarum. XIX. Tertium exemplum sceleratæ lasciviæ est. vers. 7. Ubi observa. I. Lascivos. II. Lasciviam. III. Pœnam. Lascivi sunt SODOMA, ET GOMORRA, ET VICINÆ HIS CIVITATES: nimirum *Adama* & *Zeboim*. Deut. XXIX: 23. Hos. XI: 8. Quæ fortassis Gen. XIX. ideo omissæ sunt, quod Sodomæ & Gomorræ vectigales, atque ita earum quasi appendices essent, quam forte ob rem *filiæ Sodomæ* dicuntur. Ezech. XVI. Sitæ erant urbes istæ in tractu amœnissimo & fertilissimo. Gen. XIII: 15. Quæ cœli solique ubertas quum mentes incolarum ad supremi numinis benignitatem agnoscendam impellere, & liberalissimi creatoris amore accendere debuisset; contra accidit, ut bene pasti in impurissimas libidines præcipites ferrentur. Sed & aliis se sceleribus obstrinxerunt. Ezech. XVI: 46. &c. Unde impietas ipsorum in proverbium abiit, Jes. I: 10. Judas hic eorum potissimum *lasciviam* taxat. Ἐκπορνεύσασαι.

ἐκ ηρεμία. Fornicatio omnem vetitam libidinem notat, qua quis corpus suum Deo subtractum mancipat impuritati. Cæterum emphasis est in præpositione ἐκ, quæ vel ad Deum referri potest, à quo scortando defecerint. Ps. LXXIII: 27. vel ad modum ac mensuram; q. d. in fornicationem effusæ; scortantes præter & extra modum naturæ. Τὸν ὅμοιον τούτοις τρόπον. AD CONSIMILEM ILLIS MODUM. Id nonnulli ad Angelos referunt, de quibus vers. 6. qui cum fœminis impurati creduntur ex loco Gen. VI: 2. male intellecto. At hoc somnium est. Satius sic interpreteris, vicinæ civitates, quæ ad eundem quo Sodoma & Gomorra modum fornicatæ sunt. Id est perquam nefarie & sceleste. Ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας. CARNEM ALTERAM SECTATÆ. *Caro altera*, generatim quidem omnis illa est quæ homini cuicunque matrimonio juncta non est: at speciatim caro mascula, non eum in finem à Deo condita. Verecunda paraphrasi infandum scelus innuit potius quam describit. Sodomorum habitatores, sicut & Carpocratiani, in omnem venerem erant projecti. Lascivia.

Pœna respondens criminibus, *ignis est*: quem è cœlo in eos una cum sulphure depluit Jehova. Gen. XIX: 24, 25. Forsan vehementia fulmina intelliguntur, quasi dicas sulphur ignitum, vel ignem sulphureum. *Persius* Sat. II. fulmen *sacrum sulphur* vocat. Et *Plinius Lib.* XXXV. *Cap.* XV. *Fulmina, & fulgura quoque sulphuris odorem habent, ac lux eorum sulphurea est.* Conf. Ps. XI: 5. Ezech. XXXVIII: 22. Credibile est fulmina ista sulphurea magno impetu vibrata, illapsa esse in puteos bituminis ac naphthæ, qui frequentes erant in isto tractu: incensa autem magna bituminis copia, excitatum esse ingentem terræ motum; hinc partes terræ à se invicem divulsas, ingentes moles, ipsasque adeo urbes subsedisse, erumpentibus alibi laticibus. Hinc horrenda illa urbium subversio, & lacus Asphaltites, sive *mare salsum.* Gen. XIV: 3. Recentiores *mare mortuum* dixerunt; non propter aquæ immobilitatem, quod *Justinus* vult: Lib. XXXVI. Cap. III. sed potius quia est ἄγονον, & caret piscibus, quod *Josephus* testatur. Addit *Pausanias*, αὐτόπτης, *Lib.* V. Pisces eo forte delatos retro fugere ut è manifesto periculo in solitas aquas. Quod & Hieronymus confirmat in Ezech. XLVII. Porro ignis iste dicitur *æternus*: quia per tot secula ex bituminosa materia arsit; & fortassis etiamnum ardet. *Brocardus in Descript. Terr. S. Part.* I. *Cap. VII.* §. 35. *Mare mortuum*, inquit, *est semper fumans & tenebrosum, sicut os inferni; sicut oculis meis vidi, ob tetrum vaporem inde fumantem.* At externus ille, atque hoc sensu æternus, ignis, quo urbes conflagrarunt, est ὑπόδειγμα, EXEMPLAR, aliis ad vali[illegible]monelam ob oculos positum, 2 Petr. II: 2, 6. & simul *figura* ignis æterni, qu[illegible], dum hæc scribebat Exitium.

bat Judas, excruciabantur scortatorum animæ. Urbes ipsæ habent ὑπόδειγμα, vel ἀντίτυπον αἰωνίȣ πυρὸς, sed improbi homines sustinent δίκην αἰωνίȣ πυρός. *Grotius: Sensus est, eas urbes incensas instar exhibere ignis æterni, qui exspectat impios.*

An Sodoma & Gomorra olim sint restituendæ:

XX. Expendi hic meretur insignis difficultas, a paucis rite animadversa; nimirum, qua mente Judas æterni ignis pœnam Sodomæ ac Gomorræ attribuat; quum Deus earum urbium restitutionem in meliorem statum haut obscure promittere videatur Ezech. XVI: 53. Ubi verba Hebræa, si nihil textui addere ausimus, sic sonant: *Et reducam reducem turbam earum, reducem turbam* SODOMÆ *ac filiarum ejus, ac reducem turbam* Samariæ *ac filiarum ejus: etiam reducem turbam captivorum tuorum inter illos.* Iterumque versus 55. secundum Hebraicam veritatem ita habet. *Et soror tua* SODOMA *& filiæ ejus revertentur ad pristinum statum suum; ac* Samaria *& filiæ ejus revertentur ad pristinum statum suum: & Tu quoque & filiæ tuæ revertemini ad pristinum statum vestrum.* Dici non potest quantopere hæc vaticinia torserint interpretes; qui quum concipere non possent quomodo restituenda sit cum filiis suis *Sodoma*, ac de *Samariæ* restitutione nihil admodum determinati haberent; nescio quid non commenti sunt, ut in sensum aliquem tolerabilem tam inexspectata Prophetæ verba exirent. Vide sodes ea, quæ *Cornelius à Lapide* congessit. Multi ex Interpretibus, quorum nos fidem, diligentiam, ac judicium plurimi facimus, arbitrantur enuntiationes has conditionatas esse, sic ut postremæ pericoparum partes cum primis per particulam hypothethicam connectendæ sint; hoc sensu: *si reducam* Sodomam, & Samariam, *etiam te reducam.* Porro subsumendum putant: atqui *non reducam Sodomam & Samariam.* Ergo nec te. Et sic plane contraria mens esset illi, quam verba Hebræa primo obtutu exhibere lectori videntur: neque haberemus hic promissionem ullam boni, sed denegationem irretractabilem. Verum non puto interdictum nobis esse, ne eas rationes expendamus, ob quas alii Viri doctissimi professi sunt se in istam sententiam descendere non posse. I. Quia nihil tale portendit phrasis, & sermo Propheticus, sed plane contrarium. II. Quia certum est Deum aliquando reducturum esse eum populum, quem per Prophetam alloquitur. Id hoc ipso capite dicitur ℣s. 60. *Et recordabor fœderis mei tecum initi temporibus pueritiæ tuæ, & præstabo tibi fœdus perpetuum.* III. Quia ipse se Deus ita exponit, ut cum *Hierosolymis* Sorores suas *Sodomam*, & *Samariam* se restituturum dicat vers. 61. Nam *recordata viarum tuarum, pudore suffunderis, assumendo sorores tuas majores te cum minoribus te.* ET DABO TIBI EAS IN FILIAS, *quamvis non ex fœdere tuo.* Potuitne disertius? At quæ tandem qualisque futura est ea *Sodomæ* & *Gomorræ restitutio?* Quidam de *Ammonitis* & *Moabitis* cogitant, quos ex incestuosa, & Sodomiticis fœditatibus

Et qualis restitutio ista futura sit.

ditatibus ſimili, mixtura Lothi cum filiabus ſuis ortos eſſe conſtat, idque in tractu Sodomitico. Sunt qui ſuſpicari malunt, emblematice alias gentes deſignari, quibus aliqua cum Sodoma ſimilitudo intercedit. Sed quum hæc à contextu Prophetico palam aliena ſint, qui de Sodoma proprie ſic dicta clariſſime agit, probabilior eorum videtur eſſe obſervatio, qui monent hic non tam cogitandum eſſe de urbibus, quam de reliquiis & poſteritate earum urbium. Non enim omnes homines πενταπόλεως interierunt. Servata eſt Tſoar, & fortaſſe quidam ἀποδημοῦντες reliquarum civitatum. Moab vocatur שארית אדמה *reſiduum Adamæ* Jeſ. XV: 6. LXX. Τὸ κατάλοιπον Ἀδαμά. *Qualis autem Hieroſolymæ & Samariæ & Sodomæ reſtitutio futura ſit, ex verſu* 61. *intelligitur. Significatur enim vocatio gentium; quarum inſtar, & quaſi mater eſt Sodoma.* Ita *Coccejus.* Sed aliter *Altingius ad Rom.* IX: 29. *Hæc datio Sodomæ non eſt incolarum;* inquit, *qui in Sodoma omnes perierunt; aut illius generationis quæ interiit: ſed terræ, ut Iſraëlitæ fideles ibi commorentur, uti Zeph.* II: 5. *additur: reſidui populi mei diripient illos, & reliqui ejus poſſidebunt illos.* Cui obſervationi hoc addo: tractum Sodomæ poſteris Abrahami: uti partem hæreditatis ſuæ, promiſſum eſſe. Dixit enim ei Deus: Geneſ. XIII: 15. *Totam hanc regionem quam vides tibi daturus ſum: & ſemini tuo uſque in ſeculum.* Unde infertur, etiam Sodomæ tractum Abrahamo datum eſſe: quippe quem, non minus quam Lothus, ex loco ubi conſiſtebat, oculis tunc ſuis poterat uſurpare. Quid autem profuit illius poſſeſſio Iſraëli, donec terra illa adeo deſerta & maledicta manſit? Unde videtur conſequi, iſtam promiſſionis partem ſuum adhuc complementum exſpectare. Si ne hæc quidem, ob inſuetam auribus noſtris peregrinitatem, omnem animo ſcrupulum eximant; litemus modeſtiæ, & dicamus cum Caſtalione, *cujuſmodi futura ſit ea reſtitutio, ſcietur ſuo tempore.* Sufficiat, aliquam Sodomæ reſtitutionem exſpectandam eſſe non minus quam Samariæ & Hieroſolymæ. Neque tamen male dixit Judas, Sodomam & Gomorram *ignis æterni* pœnam ſuſtinere. Nam & id ex Prophetis eſt. Apud Zephaniam Cap. II: vſ. II. hæc exſtant. *Idcirco ut vivo ego dictum Jehovæ exercituum, Dei Iſraëlis,* Moab *tanquam* Sodoma *erit, & Ammonitæ ut* Gomorra, *locus derelictus urticæ, & fodinæ ſalis,* ושממה עד עולם *&* DESOLATIO IN ÆTERNUM. Attamen hoc ipſum vat[illegible]m, rite expenſum, ſatis evincit, non eſſe hic abſolutam ætern[illegible]m deſolationis intelligendam, quæ nullo unquam tempore in læt[illegible]n ſtatum exeat. Ejuſdem enim generis æternitas vaſtationi Sodomæ a[illegible]omorræ attribuitur, cujus generis eſt æternitas vaſtationis Moabitarum atque Ammonitarum. Atqui eorum vaſtatio aliquando habitura eſt finem. Ita enim Jeremias, qui eodem cum Zephania tempore vixit, breviores hujus prophetias ſuis prolixioribus expoſuit. Jer. XLVIII: 47. *Attamen reducam*

Quomodo tamen ignis æterni pœnam ſuſtineant.

multitudinem captivam Moabi, *ultimis temporibus*, *dictum Jehova*. Et XLIX: 6. *Verum tamen postea reducam captivam multitudinem* Ammonitarum. Designatur igitur vastatio, multis quidem seculis duratura, attamen aliquando finienda. Sed ad Judam nostrum revertamur.

Vers. VIII. XXI. Qui cum justissima indignatione nequissimos istos animarum seductores increpat, ℣s. 8. quod tam tremendis non territi exemplis, ad Sodomæorum instar SOPITI, tam naturali somno, quam vanis lascivarum mentium imaginationibus & delusionibus, CARNEM QUIDEM POLLUANT, DOMINATUM VERO ASPERNENTUR, ET DIGNITATES VITUPERENT. Non lubet spurcitiei isti inhærere: quæ adeo explicationis indiga non est, ut ne quidem nominari apud nos debeat. Paucula duntaxat de eorum ἀταξίᾳ notabimus, qua publicam tranquillitatem nefarie turbabant; indignissime se gerentes, contra eos quos κυριότητας καὶ δόξας Apostolus nuncupat. Sunt qui Angelos hic designari existimant, quod eorum apparitiones soleant vocari δόξα Θεȣ̃ vel Κυρίȣ, quando splendentibus induti nubibus conspiciendos se præbebant. Tum etiam, quia Paulus Col. II: 8. de Angelis loquens, eos iis rebus accenset quas homo μὴ ἑώρακε, innuens esse naturas inconspicuas, ac proinde hominibus parum notas: similiter Judas com. 10. περὶ τῶν δοξῶν pluribus agens, eodem ferme modo eas describit, ὅσα ȣ̓κ οἴδασι. uti & Petrus 2 Epist. II: 21. ἃ ἀγνοȣ̃σι. Sed hæc longe petita sunt. Neque apparet, quantum scio, ullos ejus temporis exstitisse hæreticos, qui, Angelorum ordines agnoscentes, minus iis quam par est attribuerint. Imo vero *Aeones*, qua voce Angelos signabant, in ipsorum Theologia utramque fere fecerunt paginam. Idcirco *Junio*, versum quartum & historiam veterem cum hoc sermone conferenti, videtur nomine κυριότητος designari potentissima illa dominatio atque auctoritas quam Jesus Christus accepit a Patre, Satanas vero hæreticorum istorum opera jam inde ab Evangelii initio labefactare cœpit. Mihi vero probabilius est, utramque vocem ad Politicum in hominibus ordinem spectare. Atque ita distingui posse, ut per κυριότητα intelligatur quivis magistratus, etiam inferioris ordinis; per δόξας, ii qui in summis sunt honoribus. αἱ ἐξȣσίαι αἱ ὑπερέχȣσαι. Rom. XIII: 1. Gradatio est, uti & 2 Pet. II: 10. Sed uti crescit sermo in dignitate honorum; ita & in indignitate criminum. Ἀθετεῖν κυριότητα, idem est quod Petro καταφρονεῖν, *spernere*, *contemnere*. Conf. I Thess. IV. 8. Tertius est, dignitates βλασφημεῖν, *calumniosis sermonibus incessere*. Quod fieri potest bifariam: primo si quis ipsam functionem Magistratus tanquam iniquam, & Christianis hominibus indignam, & libertati Ecclesiæ inimicam, & à diabolo inventam, traducat: dein, si quis homines ea dignitate præditos adspernetur, eorumque mandata, & res gestas quaslibet, in calumniæ ac maledicentiæ materiam rapiat. Quod

Dominatus & Dignitates.

Ἀθετεῖν καὶ βλασφημεῖν.

ſtratus omnes gentiles & Chriſtianis adverſi eſſent; quanto indignius eſt, quum iidem Chriſtianiſmum profitentur, & Eccleſiæ nutritii ſunt: licet cuncta fortaſſis ad nutum quorundam Eccleſiaſticorum facere abnuant. Contemtus magiſtratuum peſſimi exempli res eſt, in noſtri potiſſimum ordinis hominibus: at malevolum de eorum actionibus judicium, maledicus ſermo, quamvis zeli prætextu fucatus, non procul abeſt à blaſphemia.

XXII. Cujus blaſphemiæ indignitatem exaggerat Apoſtolus commate 9. exemplo MICHAELIS ARCHANGELI, qui *quum adverſus diabolum altercans, diſceptaret de corpore Moſis, non auſus eſt illi impingere notam maledicti. Sed dixit, increpet te Dominus.* Ad cujus dicti explanationem tria hæc explicanda veniunt. I. Quis ſit ille *Michael Archangelus.* II. Quid ſibi velit *altercatio* illa *ſuper corpore Moſis.* III. *Quorſum* hujus rei hoc loco commemoratio *ſpectet.* Verſ. ix.

XXIII. *Michaelis* nomine quidam creatum aliquem Angelum intelligunt, ſed qui qualitatum præſtantia præ reliquis eminens proxime ad Divinam accedat, & cui à Creatore præfectura aliqua in cæteros omnes conceſſa ſit. Alii eo nomine deſignatum putant ipſum Dei Filium, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Angelum faciei Dei, Angelum fœderis, Angelum non Jehovæ ſolum, ſed & Angelum Jehovam, in cujus medio nomen Jehovæ eſt, quique omni præeminentiæ jure, & conſtitutione Patris ſui, omnium Angelicorum ordinum princeps & Dominus eſt. Utriuſque interpretationis rationes non ſegniter me excuſſiſſe memini in Diſſertatione quæ huic materiæ elucidandæ unice deſtinata eſt. Ex qua illud nunc mihi ſumere liceat, non contemnendis eos argumentis niti, qui de Domino Jeſu quam de creato aliquo angelo hic cogitare malunt. Michael Archangelus.

XXIV. Michaeli igitur, ſive Filio Dei, attribuitur ALTERCATIO aliqua SUPER CORPORE MOSIS: quod an in propria, an tranſlata notione, capiendum ſit, variant interpretes. Qui propriam præferunt, illud imprimis urgent, quod in ſepultura Moſis aliquid ipſi contigerit, quale ante & poſt eum mortalium nulli. Funerationis enim curam omnem in ſe ſuſcepit Deus; nullius hominis interveniente opera perficiendam. Voluit etiam Deus ſepulturæ locum mortalibus omnibus incognitum atque inacceſſum eſſe. Cujus rei quum ſapientes rationes Deo indubie conſtiterint; non improbabiliter conjicitur potiſſimum fuiſſe duas, partim ne expoſitum Sanctiſſimi viri cadaver Satanæ libidini, & magicis male ſanorum hominum ſuperſtitionibus foret; partim ne Hebræi, ut gentis erat indoles, aut alii quicunque, Prophetæ reliquiis cultum religioſum deferrent. Atque huc pertinere creditur Priſcæ hiſtoriæ fragmentum, Ejus altercatio ſuper corpore Moſis, ex propria verborum notione.

tum, quod Judas Divinæ ſuæ epiſtolæ inſeruit. Nimirum partes altercantes ſunt, hinc *Michael Archangelus*, Moſis Dominus, Doctor, & Ductor ab initio; inde *Diabolus*, Deus & Princeps hujus mundi, Michaelis per omnia adverſarius. Altercationis ſubjectum & cauſſa, fuit *corpus Moſis*; quod Michael volebat abſcondere, conſulens quieti ſervi ſui, & impediturus ſuperſtitionem atque idololatriam: Diabolus autem in apertum proferre, ut illudens Prophetæ reliquiis, populum ad idololatriam alliceret. Porro in illa altercatione credibile eſt, Diabolum plurimas contra Jehovam, & Michaelem evomuiſſe blaſphemias. Michael autem *οὐκ ἐτόλμησε non ſuſtinuit*, non induxit animum, impingere ipſi notam maledicti, id eſt, ultionem maledicendo ſumere. Non quod timuerit Diabolum, ſed quod ex decoro omnia agere voluerit, perſonam Angeli quam ſuſceperat rite tueri, Diabolo ſe diſſimillimum demonſtrare, & hominibus, quibus hæc erant patefacienda, patientiæ exemplar relinquere. Non negant interim conferendum hoc Judæ dictum eſſe cum Zach. III: 1, 2. Ubi repræſentatur Joſua Sacerdos Maximus ſtans coram Angelo Jehovæ, & Satanas ſtans ad dextram ejus, ut adverſaretur ei: *dicebat autem Jehova Satanæ, increpet Jehova te, ô Satan! increpet te Jehova; qui eligit Hieroſolyma.* En Angelum Jehovæ, qui & ipſe Jehova, cum Satana altercantem, & dicentem, *Increpet te Jehova, ô Satan!* Non ſuſtinet ipſe ſententiam convitii proferre aliter quam poſtulando judicium Patris. Nimirum, quia Filius nihil poteſt dicere & facere, niſi quod audiverit Patrem dicere & facere. Joh. v: 29, 30. Ratio eſt, non minoritas, ſed unitas. Creatura poteſt, aliud volendo quam quod creator vult, & aliud dicendo præter id quod vidit & audivit, deficere & abire à Creatore: qui id nullo modo poteſt facere, ejus & voluntas, & bonitas, & φύσις, eſt eadem cum Deo, ut gignente aut ſpirante. Adeo in tota hac re nihil eſt quod infra præſtantiam Filii Dei ſit. Quemadmodum igitur Angelus Jehovæ, qui & ipſe Jehova eſt, alia occaſione judicium Jehovæ poſtulare, quam ſuum proferre maluit: ita Judas colligit, quia idem ſemper eſt φρόνημα ipſius, in illo quoque certamine eum ſimiliter locutum eſſe, neque aliter ſententiam pronunciaſſe, quam poſtulando judicium Patris. Ex hac itaque collatione infertur, primum indignum non eſſe Filio Dei ita agere, ut eum agentem repræſentat Judas; deinde, Michaelem iiſdem verbis utentem, quibus utitur Angelus Jehovæ, Angelum quoque Jehovam eſſe. Vide ſis *Coccej. ad Zach. III.* 3. & *ad hunc Judæ locum.*

Eam unde habuerit Judas.

XXV. Cæterum quum nihil de tali concertatione ſuper corpore Moſis in ſacris noſtris inveniatur; quærunt Interpretes, unde hæc habuerit Judas. *Grotius* hac occaſione laudat librum Hebraice dictum פטירת משה Græce *Ἀνάβασιν* vel *Ἀνάληψιν Μωσέως*, unde Judas iſta deſumſerit, velut

sis; sed insubidam plane, & indignam quæ cum Divina Judæ observatione contendatur. *Lightfootus* ad Luc. III: 36. opinatur Judam non tradidisse historiam hanc pro authentica, neque tamen idcirco falsi postulandum: *quia*, inquit, *non dictat de suo, sed revocat tantum ad dicta ab aliis, atque argumento utitur ad Judæos, ex ipsorum codicibus & traditionibus desumto.* Verum enimvero vix esse arbitror, ut cordatis hominibus satis fieri ista ratione queat. Nam præterquam quod credibile sit, id genus scripta Apostolorum ætate inferiora esse, tam inficetis plerumque conspurcata sunt næniis, ut verisimile non videatur tam Apocrypha auctoritate Apostolos pugnavisse. *Aben Ezra* ad Exod. IV: 20. librum memorat Hebræum, דברי הימים של משה *Chronicum Mosis:* sed & simul asserit, כי הבל כל הכתוב בו *vana esse quæ in eo exstant omnia.* Neque profecto traditionariis Judæis, sed Ecclesiæ Christianæ scripsit Judas, iisque utitur argumentis quæ apud omnis ævi Christianos valere debent.

XXVI. Quæ quum ita sint, de alia sibi interpretatione cogitandum esse viri eruditissimi existimarunt: & *naturali* ac *mortuo* Mosis corpori substituerunt, *mysticum*, *spirituale* & *anagogicum*. Sed & hi in diversa abiere. *Junius* per corpus Mosis intelligi posse putat verum Christi sacerdotium, cujus umbra fuerit in Mosaico. Operæ pretium erit ipsa Magni Theologi verba audire. Sic igitur ille, suis in hunc locum commentariis: *Si cui tamen hac interpretatio non satisfacit, altera mihi in mentem venit; argutior fortasse illa quidem, sed quæ amplius quærendi viam præmonstrare possit. Quid igitur, si figurate accipiamus hæc verba, de corpore Mosis? Corpus Mosis potest intelligi illud ipsum Sacerdotium, non typicum, sed anagogicum, de quo adversus Jehovam disceptabat Satanas, Zachariæ* III: 2. *&c. nam in eo argumento versatur totum illud caput, & sequentia. An ergo licebit intelligere per corpus Mosis sanctissimum illud sacerdotium, cujus umbræ in lege præferebantur populo, & instaurandæ erant populo reduce, & consummandæ adventu Christi? nam in hanc sententiam dicit Paulus, Coloss.* II: 17. *illas res umbram esse rerum futurarum, corpus autem esse Christi. Sic omnino inter se narrationes, re, modo, eventu respondebunt. Mihi certe non displicet. Docti viderint. Hoc enim à nobis* πρόβλημα, non solutio est, neque κατάφρασις.

Junii figurata Interpretatio.

Eadem propemodum, sed aliquanto explanatius, atque asseveratius, habet ad finem Parallelorum. *Quum ad rem*, inquit, attendo diligentissime, *indies magis confirmor in ea interpretatione*, quæ ante problematice in notis *nostris ad Epistolam Judæ adducta est:* nempe [illegible] respicere hunc Locum ad Zach. III. *eum qui Michaël Archangelus appellatur* [illegible] Christum esse; qui Michaël qui- *dem Hebraica origine composite appellatur* [illegible] tanquam si dixeris, eum qui revera *Deus est fortis, ut Pater: Archangelus* [illegible] quia Princeps Angelorum est; qui

Meletem. Leid.

qui idem & Angelus Jehovæ Zach. III: 1. *& Jehova vers.* 2. *appellatur. Eum, qui Diabolus hoc loco dicitur, eundem esse, qui illic appellatur Satan. Corpus Mosis non proprie, sed figurate accipi oportere: puta non de illo corpore, quod in monte Nebone, in vertice collis qui situs est e regione Jerichuntis, a Deo sepultum est; ut narratur Deut.* XXXIV: *sed de veritate & complemento legis a Mose data. Cujus complementi, quod est in Christo, anti-typus alter fuit Josua, sacerdos ille maximus, ad cujus dextram stetit Satan, ut adversaretur ei. Est enim corpus Mosis idem corpus, quod Moses prædixit Lege, & præsignificavit Cerimoniis, idemque corpus, quod postea temporibus Zachariæ Josua, Sacerdos maximus adumbravit.* Hæc *Junius*.

Alia Hammondi.

XXVII. *Hammondus* Judam ad eundem Zachariæ locum respexisse credit, sed corpus Mosis interpretatur de *Populo Israelitico*. Id enim, de quo disceptabant Angelus & Diabolus, erat instauratio Hierosolymæ & publici cultus Divini inter Judæos; quod erat visionis illius argumentum. Unde consequens est, idem a Juda vocari corpus Mosis: quam locutionem desumserit Judas ex usu Apostolorum, qui populum Christianum solebant appellare Corpus Christi.

Tertia Viri doctissimi.

XXVIII. Alius Vir longe doctissimus, multisque mihi nominibus Venerandus, quum in nulla harum interpretationum acquiesceret, pro eximia ingenii sui solertia, quartum excogitavit, quæ huc fere recidit: Per σῶμα τȢ Μωσέως, commode intelligi posse *Legem Mosis*, sive legum, quas in libro suo observandas præscripsit systema. Huic enim σώματος appellationem recte convenire, & ratio & usus docent. Ratio quidem, quia ut corpus variis ex partibus, membris, elementis compositum est, sic etiam vastum illud Mosaicarum legum systema ex varii generis, naturæ, scopi & usus legibus est coagmentatum. Accedit usus, huic expositioni admirabili conspiratione adstipulans; non Græcæ tantum linguæ, sed & Hebrææ, Romanæque. Quod ubi variis singularum linguarum exemplis probatum dedisset, concludit, legum Mosaicarum systema, *non* minus corpus Mosis dici posse, quam apud Romanos usitatissima locutione venit *corpus Theodosii*, *Justiniani*, *Papiniani*. Porro & illud constat ex Zach. III: Michaëli & Satanæ disceptationem super lege Mosaica fuisse; eamque triplicem. I. De legis auctoritate, per publicam Politiæ & Cultus in populo Judaico restitutionem. II. De legis observantia, cujus violatæ reus peragebatur Josua. III. De legis δικαιώματι, & jure, quod habet in peccatorem: quo fretus Satan Josuam in tribunali Dei poscebat ad pœnam. Quæ, more suo, fuse atque eleganter Vir doctissimus exsequitur.

Ἐπίκρισις.

XXIX. In tanta scientiarum varietate, per me quidem suum cuique pulcrum, omnibusque libera eligendi facultas esto. Ego, si liceat, indicem in hac controversia, quam judicem agere mallem. Si vero defugere

penitus ea mihi interpretatio maxime arridet, quæ simplicissima est, & textum Judæ legenti ex naturali dictionis genio sua quasi sponte in mentem venit. Atque illud quidem primo loco observavi, quod quotiescunque de hominis alicujus corpore in Veteri instrumento sermo est, quocunque demum Hebraico nomine vocetur, toties eam hominis partem significet, quæ ab anima distinguitur, sive ea animæ juncta, sive ab ea separata sit: quod & verum est de voce σώματος in Testamento Novo, quando ea de homine aliquo prædicatur. Nusquam autem sive Mosis, sive alterius cujusvis hominis σῶμα, vel typi alicujus complementum, vel populum ab eo dependentem, vel scriptorum ejus syntagma in sacris notat. Unde vix est, ut, qui Judam de Mosis corpore loquentem audit aliter illud, quam proprio significatu intelligat, & de Christi sacerdotio, vel populo Israëlitico, aut lege Mosaica cogitet, nisi aliunde motus atque inductus multis meditationibus simplicem dictionem vexaverit. Et quæ tandem probabilis ratio assignari potest, cur tam obscuro sermone, & a nemine forsan mortalium per quindecim secula intellecto, uti voluerit Apostolus, & vocem σώματος alia mente usurpare, quam in omni sacrarum literarum contextu habet? Magis autem in usitata interpretatione confirmabitur lector, si in animum sibi revocaverit de Mosis corpore singulare aliquid narrari, quod nulli mortalium præter ipsum contigit, nimirum, illud ab ipso Deo, incognito cunctis hominibus loco, conditum esse. Quod mox eam cogitationem injicit, rei tam insolitæ notabiles esse rationes: & quis probabiliorem assignaverit, quam justissimum metum, ne vel Israëlitæ, vel alii, tanti Prophetæ cadavere, si nolis ad idololatriam, certe ad νεκρομαντείαν aliasque magicas superstitiones abuterentur? Id enim ea ætate familiare vicinis gentibus fuisse, ex Deut. XVIII: 11. res est notissima; neque a genio populi Hebraici abhorruisse, Samuelis & Saulis historia evincit. Quæ nunc addit Apostolus de Michaelis Archangeli cum Diabolo super Mosis corpore disceptatione, ea, fateor, in sacra historia non exstant. Sed nihil vetat credere, mansisse ista in memoria Israëlitarum ex κατηχήσει veterum, quæ longinqua traditione ad Apostolorum ætatem devenerit, eam autem traditionem erroneam non esse, Spiritus Sancti instinctu didicisse ac docuisse Judam. Quod eo minus mirum videri debet, quum non aliunde illam Henochi prophetiam habeat, de qua mox nobis erit dicendum. Undecunque habuerit, ex Deo certe habuisse, Christianis omnibus, epistolæ hujus auctoritatem agnoscentibus, in confesso est. Atque ex hac ipsa traditione suam fortassis originem traxere fabulosæ istæ Hebræorum narrationes, a nobis exsibilatæ; uti fictionibus solet involvi veritas. Porro X ... supra non dicta solum Dei, sed & acta ejus, sapienti analogia sibi invicem respondeant, non est absurdum cogitatu,

cogitatu, voluisse Deum in restauratione politiæ Israëlis, post reditum ex captivitate Babylonica, Josuæ sacerdoti visionem aliquam exhibere, in qua replicatio analogica esset rei antiquissimæ circa ejusdem politiæ primordia gestæ: ubi occurrit idem contendentium par, & Michaël eodem contra Diabolum sermone utens: quippe idem semper habens φρόνημα. Neque propterea necesse est, ut idem fuerit contentionis argumentum. Neque enim apud Zachariam de corpore Mosis agitur: neque alibi in sacris verum Christi Sacerdotium, vel populus Hebræus, vel Legum Mosaicarum volumen, corpus Mosis vocatur, vel analogo ei nomine indigitatur. Atque hæc est ratio, cur propriam significationem figuratæ & anagogicæ præferam: quippe quum illi nihil admodum opponi possit præter silentium scripturarum, quod aut hic nihil valet, aut contra Henochi prophetiam pariter valebit; hæc autem novas vocum significationes cudat, nullo exemplo aut analogia scripturarum firmandas.

Historiæ hujus ad Judæ scopum applicatio.

XXX. At quorsum tandem ista Judæ observatio tendit? Nimirum id agit Apostolus, ut doceat, quam abominabile Deo crimen sit dignitates adspernari & convitiis incessere; quandoquidem ne ipse quidem Michaël sustinuit notam maledicti impingere principi dæmonum, quasi reveritus eam imperii, principatus ac potestatis speciem, quam in malis spiritibus agnoscit Paulus. Eph. VI: 12. Neque abludit Petri argumentatio, 2. Petr. II: 10. 11. qui homines audaces & pertinaciter sibi placentes, nec veritos dignitates probris incessere, eadem ratione redarguit, quod *ne ipsi quidem angeli, qui sunt viribus ac potentia majores, maledictionis judicium adversus eos ferant apud Dominum.* Negat Petrus angelos maledicendo ultionem sumere, ubi cum imperiis, quanquam impiis, certandum habent; addit Judas amplius, ne tum quidem id facere Michaëlem, nedum inferioris ordinis angelos, ubi certamen habuit cum Diabolo. Qui & ipse, quantumvis impius, potestatem quandam in mundum a Deo accepit; unde ἄρχων τῦ αἰῶνος τῦτυ, & Κοσμοκράτωρ dicitur.

Vers. x. Ignorantia.

XXXI. Comma 10. ostendit quantum pessimi isti hæretici ab angelorum & potissimum Michaëlis exemplo devient. *At isti, quæcunque non noverunt, vituperant: quæcunque vero naturaliter, ut animantia rationis expertia, sciunt, in iis sese corrumpunt.* Adscribitur iis quarundam rerum *ignorantia*, aliarum φυσικὴ ἐπιστήμη, doceturque quomodo circa utramque animati sint. IGNORANT, quanta sit honestas, jucunditas, utilitas veræ virtutis; ignorant specialius: Deum, supremum rerum omnium Dominum, magistratus tanquam suos in terra vicarios constituisse; ignorant majestatem, quam sua ipsis constitutione conciliavit; ignorant officia ipsis propter Divinam istam constitutionem debita; ignorant arcana imperii, & veras rationes, propter quas multa a magistratibus ita fiant. Ea vero, quum revereri deberent, quatenus a Deo sunt; & in bonam, si pote, partem

tem

[illegible] bestiam, ut è contra, quæ non intelligunt VITUPERENT, & conviciis ac maledictis incessant, in Deum pariter illiusque vicarios injurii. Alia SCIUNT NATURALITER, non tam solida & homine digna ratiocinatione, multo minus per illuminationem Divini spiritus, quam solo sensu corporis: quomodo & bruta animalia cognoscunt, quid conveniens sibi ac jucundum sit; quo etiam magno impetu feruntur. In hisce amplectendis & appetendis SE CORRUMPUNT. Dum ex præjudicio sensuum de rebus judicant, ultra modum ac mensuram indulgent ebrietati & commessationibus; variisque ac vagis libidinibus & corpora fœdant, & animum vitiant, & dignitatem humanæ conditionis dehonestant, seque ipsos æterno exitio mancipant. Conf. 2 Petr. II: 16. *Naturalis scientia.*

XXXII. Commate II. pergit Apostolus & scelera eorum hominum enarrare, & miserabilem, qui ipsis impendet exitum. Facit autem id comparatione instituta cum hominibus palam impiis, & a Deo in justæ severitatis suæ exemplum propositis: quorum dum imitantur crimina, iisdem etiam involventur suppliciis. *Væ ipsis: nam Viam Cain ingressi sunt, & deceptione mercedis, qua deceptus fuit Balaam, effusi sunt, & contradictione Core perierunt.* Incipit ab increpatione: VÆ IIS. At dum ita instituit, nonne dememinisse videtur exempli Michaëlis, quod laudaverat nuper? Enimvero, inquiat aliquis, quamvis pessimi essent hæretici isti, non tamen nequiores erant diabolo. Si itaque ne Diabolo quidem maledicti notam impingere sustinuit Michaël; rectene factum est, quod tot conviciis atque imprecationibus homines incesserit Judas, ejusdem secum naturæ participes? Cæterum distinguendum est inter rancorem animi ac maledicentiam; & inter increpationes veras ac severas, & interminationem justi judicii Divini, profectam ex instinctu Spiritus Sancti. Prius illud improbat & vetat Judas, exemplo Michaëlis; alterum ipse nunc facit, exemplo Prophetarum, & ipsius Michaëlis, id est Christi Domini. vid. Psal. LXIX: 23. & seq. Mat. XXIII: 13. &c. Porro comparat illos cum CAINO, BALAAMO & CORE. CAIN primogenitus Adami & Evæ erat, qui parentum vota & spem insigniter frustratus est. Mater certe in ipso, ut eximia *possessione*, vehementer exsultabat; in eo sibi vel Messiam, vel Messiæ typum pollicita. At contra accidit, ut impium & fratricidam experiretur. Utinam piis parentibus, utinam omnium nostrûm matri Ecclesiæ, non frequenter idem eveniret, ut quos summo dolore enixæ sunt matres, quos maxima sollicitudine sustulerunt, & de quibus præclara quæque ominatæ sunt, ii noxæ pestes, & carcinomata evadant. VIA CAIN erat I. *hypocrisis*, quod so[illegible] frugum oblatione, sine fide ac sanctimonia, placere se postularet Deo. [illegible] ira atque invidia adversus fratrem, quem

Verſ. XI. Væ ipſis.

Via Cain.

quem se acceptiorem Deo deprehendebat. III. *Fratris persecutio* & tandem *cædes*. IV. Denique *desperatio* obtinendæ remissionis, diræ animi male sibi conscii, fuga à Deo, & deditio sui ipsius ad omnem improbitatem. Viam eandem ingrediebantur hæretici isti, iisdem se obstringentes, aut certe consimilibus criminibus; eodem exitu.

Via Balaam. XXXIII. BALAAM, si ætatem spectes, potissimum inter suos floruit, Israëlitis in deserto agentibus; si prosapiam, fuit filius Beor ex Petora Num. XXII: 5. cujus historiam non segniter explicatam dedi, *in Systemate de Prophetis Lib.* I. *Cap.* XVI. *§.* XXIII. *& seq.* VIA autem BALAAMI, de qua etiam 2 Pet. II: 15. erat I. Intolerabilis *vanitas*, atque ambitio, se ipsum magis quam Deum. Deique in se gratiam prædicantis. Huc enim tendunt Thrasonici sermonis cothurni: *Dictum Bileami, filii Beor, & dictum audientis sermones Dei, qui visiones omnipotentis videt. excidens, sed retectus oculis* Num. XXIV: 3, 4, 15, 16. II. Sacra *auri fames*: quidquid enim spernere se jactaret oblatos Moabitici Regis thesauros, omni tamen ratione palam fecit, amari à se mercedem injustitiæ. 2 Pet. II: 15. eoque fuisse deceptum. Judæ *vs.* 11. Hinc repetitæ illæ sacrificiorum præstigiæ, si quo modo impetrare posset facultatem maledicendi populo Dei. III. *Metus* potius *servilis* animi ad Dei flagellum trepidantis, quam reverentia numinis cum amore sanctitatis ejus conjuncta, qualis filios Dei decet. Minis enim subigi debuit, ne loqueretur alia, quam quæ Deo placerent: animo interim ad ea anhelante, quibus devoratam spe prædam revera nancisci posset. IV. *Odium in Israëlitas*. Quamvis enim eorum felicitatem quæsitis elogiis prædicaret, & labentibus seculis continuaturam prædiceret, artisque suæ circa eos vanitatem fateri cogeretur, invido tamen hæc cuncta animo spectabat. Hinc ferale illud consilium, quo plus iis nocuit, quam si omnibus carminibus suis devovisset. V. Projecta animi *profanitas*, ex eodem consilio elucens. Postquam enim incantationibus, & divinationibus nihil se adversus Israëlitas valere deprehendisset, *auctor* fuit Midianitis, ac Moabitis, ut filias nurusque suas exponerent lascivis Israëlitarum amplexibus; quæ à parentibus informatæ meretriciis artibus ad propudiosum Baalis cultum eos pellicerent. Quod Bileami consilium multa sermonis elegantia *Philo*, ac *Josephus* exornarunt. Et sane non caruit funesto suo successu. Dum enim Sittimis morabantur Israëlitæ, missæ in eorum castra Moabiticæ, & Midianiticæ virgines, scitulæ, comptulæ, bellulæ, faciles se juvenibus Hebræorum præbuerunt, accensisque eorum animis, ac stabile conjugium promittentibus, ea se demum lege obsecuturas respondent, si ad eorundem Deorum, in quorum terris consederint, transirent cultum. Parent temerarii Israëlitæ. Invitari se patiuntur ad epulas sacrorum, vescuntur idolothytis, copulant se cum Baal Peor, venerantürque propudium illud. Hinc accensa ira Dei

in

in populum, tam fœdam apostasiam non ferentis: jussitque Mosen primores populi tanti sceleris apertos ad solem, id est, palam suspendere: prius nimirum, uti lex de Idololatris jubebat, lapidatos. Cæteri quoque judices, certo numero constituti, interfecerunt quotquot suarum partium copulati erant cum Baal Peor. Num. XXV. Tanti Israëlitis constitit Diabolica Bileami astutia: quam multis post eam rem seculis in memoriam iis revocat Deus Mich. VI: 5. *Popule mi, recordare jam quid consilii iniverit Balac, rex Moabitarum, & quid responderit ei Bileam filius Beoris, & agnoscas juste facta Jehovæ à Sittimis Gilgalim usque.* Sed & debitas sceleri pœnas luit; una cum Midianitis Israëlitarum gladio trucidatus. Huic similes sunt homines sui pleni, Dei amore vacui, religionem quæstui habentes, spe mercedis omnia ausuri, & voluptatum illecebris incautos decipientes. Quales etiam notantur Ap. II: 17. Hi ERRORE EFFUSI SUNT, abducti in labyrinthos inextricabiles: vel *eversi*, tanquam per lubrica, abrupta, aut cæcas voragines incedentes.

XXXIV. KORE fuit filius Ishar, nepos Caath, fratruelis Mosis & Aaronis, dux præcipuus & concitor seditionis adversus Mosen & Aaronem motæ in deserto. Cui se adjunxerunt Dathan & Abiram, Rubenitæ, & quinquaginta supra ducentos ex principibus cæterarum tribuum. Crimen ipsorum erat ambitio & æmulatio, indeque orta querimonia adversus Mosen & Aaronem. Illum, quod sibi dominatum & Dei alloquia assereret; hunc, quod sacerdotium, a fratre sibi datum, quasi divinitus delatum usurparet. Totam Israëlis congregationem sanctam esse clamabant, Deumque in illius medio incolere. Male Mosen sibi rerum summam vindicare. E populi arbitrio pendere ducis & pontificis electionem, & collationem sacerdotii. Probabile est, Corachum præcipue ob sacerdotium litigasse, Dathanem cum socio ob ducatum: reliquos partem sibi dominationis, quam republica, despondisse. Oppido injuriosum illud in summum numen fuit: Deus enim ipse, ut populi Israëlitici Rex, ordinem istum ita constituerat: quem inviolatum servari voluit. Hinc seditionem istam exemplari pœna ultus est. Tellus magno hiatu scissa, Dathanem & Abiramum, cum tentoriis, hominibus, omnique possessione absorpsit. Ita vivi ad inferos, id est, profundam sub terrarum superficie cavitatem, descenderunt. Dubitatur de Core, an igne cum 250 illis perierit, an hiatu terræ cum suo tentorio. De quibus rebus consuli potest *Dissertatio* nostra *de Seditione & Exitio Coræ*: ubi materiam hanc prolixe exsecuti sumus. Ejusdem cum Core & conjuratis genii Hæretici illi erant, quos hoc loco insectatur Judas; pleni superbiæ & ambitionis, obstrepentes fidis Dei ministris, & dominatum sibi affectantes in populum Dei; quibus similem perditionem ominatur non quidem præcise quoad modum; at certe quoad rem ipsam.

Via Koræ.

XXXV. Com-

Verſ. XII. Agapæ Chriſtianorum.

XXXV. Commate 12. ſic pergit Apoſtolus. *Hi ſunt in Agapis veſtris maculæ, dum vobiſcum conviv antur, ſecure ſemet ipſos paſcentes; nubes aqua carentes, ventis circum acta; arbores emarcidæ, infrugiferæ, bis emortuæ, eradicatæ.* De ſingulis dicamus aliquid. AGAPÆ erant convivia fraterna Chriſtianorum, tam pauperum quam divitum, in publico conventus loco, ad conſervationem atque excitationem mutuæ charitatis celebrata. Origo earum ab Epulis, tam civilibus quam ſacris, uti apud *Ethnicos*, ſic & apud *Judæos*, receptis. Mos vetus erat in *Græcia*, ut divites quædam offerrent diis, quæ deinde in uſum cedebant pauperum; aut ut fieret *πανδαισία*, ubi alius plus, alius minus conferebat, omnes autem de omnibus pari jure epulabantur, vide Grotium ad 1 Cor. x: 17. Habebant etiam convivia quæ *Φιλίνια* & *Φιλητικὰ* dicebantur. Affines erant convictùs *Lacedæmoniorum* publici, *συσσίτια*, à Lycurgo inſtituta, ſic dicta quod quiſque ſymbolam conferret ſecundum capita: poſtea *Φιδίτια*, ut Plutarchus ait, *παρὰ τῆς Φιλίας*, mutata litera λ in δ, quod ad amicitiam & benevolentiam pertinerent. Vide *Cragium de Rep. Lacedæmon. Lib.* I. *Cap.* IX. & imprimis *Stuckium Antiquitatum Convivialium Lib.* I. *Cap.* XXXI. Templis etiam ſuis ad convivia utebantur Græci: *χρῶνται τοῖς ἱερείοις πρὸς εὐωχίαν.* De *Romanis Valerius Maximus Lib.* II. *Cap.* I. *Convivium etiam ſolemne Majores inſtituerunt, idque Chariſtia appellaverunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur; ut ſi qua inter neceſſarios querela eſſet orta, apud ſacra menſæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur.* Feſtus iſte dies celebrabatur 11 Kal. Mart. de quo *Ovidius in vaſtis Lib.* II.

Proxima cognati dixere Chariſtia Patres.
Et venit ad ſocios turba propinqua Deos.

Sed & *Judæis* ſua ſacra epula erant; videlicet quando decimæ edebantur cum Levitis coram Domino, & poſt oblatum ſacrificium. Deut. XII: 18. XXVI: 12. *Σύνδειπνα* vocant Joſephus & Philo: apud *Grotium ad Mat.* XXVI: 26. Acceſſit & Chriſti Paſchalis cum diſcipulis cœna, & præceptum de vocandis ad convivium pauperibus. Luc. XIV: 13. Ad horum imitationem Agapas ſuas habuerunt Chriſtiani, ſive ex Hebræis ii, ſive ex Græcis eſſent, patrium facile morem, ſed in melius reformatum, retinentes. Quæ Agapæ ſtatis temporibus, & præſertim diebus Dominicis, ſub veſperam, ſive ante cœnam Dominicam, ſive poſt eam celebrabantur; divitibus cibos conferentibus, pauperibus vero ab ipſis vocatis, & omnibus ſimul convivantibus. *Chryſoſtomus* & alii tradunt præceſſiſſe myſteria, ſecutum convivium. Quod conveniſſe Græcorum moribus, apud quos præcedebant ſacra, ſequebantur epulæ, obſervat *Grotius.* At in Oriente, congruenter Judaico mori, præcedebat convivium, in fine ejus ſequebatur panis & vini diſtributio. Sed & aliquando ab iis miſteria ſegregata fuiſſe conjectat

conjectat Grotius ad Mat. XXVI: 26. ex eo quod *Juſtinus* τὴν τῆς εὐχαριςίας μετοχὴν extra convivii formam deſcribit: & *Clemens Alexandrinus in Pædagogo*, iſtis quæ ſuo tempore celebrabantur conviviis de nomine ἀγάπης controverſiam movet, quod non ſatis ad memoriam Dominicæ paſſionis referrentur. *Tertullian. in Apol. Cap.* XXXIX. ita agapas deſcribit, ut nullam myſticæ illius cœnæ mentionem faciat. Ut ut ſit, habebantur in ipſo loco Chriſtianorum conventuum, ac ſuper ſepulcris martyrum, adhibitis orationibus, lectione ſcripturarum, & ſermonibus religioſis. Nec diſcumbebant, vel accumbebant, propter permixtas viris fœminas; ſed ſedebant, antiquo more. Hoc eſt de quo *Plinius ad Trajanum* ſcribit, *ſtato die coiviſſe ad capiendum cibum promiſcuum, & innoxium.* Fines erat I. Ut eſſent ſymbolum fraternæ charitatis & communicationis; unde ἀγάπαι. II. Ut pauperes reficerentur, communi his convivio. Hinc *convivium promiſcuum.* III. Ut in iis fierent commemoratio mortis Chriſti, & frangeretur panis Euchariſticus. Nam ordinario conveniebant ad panem, tum ſacrum, tum communem. Verum uti optima quæque facile corrumpuntur, ita & corruptelæ in Agapas irrepſerunt. De quibus jam ſuo tempore conqueſtus eſt Paulus. 1 Cor. XI: 22. & Petrus 2 Epiſt, II: 13. & noſter Judas hoc loco. Nam ſane tales epulæ inſigniter dehoneſtabantur luxuria hominum diſſolute ſemet ipſos paſcentium. Erat enim apud vere Chriſtianos ſumma frugalitas. Tertullianus l. c. *Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit, non prius diſcumbitur quam oratio ad Deum præguſtetur. editur quantum eſurientes capiunt. bibitur quantum pudicis eſt utile. ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe. ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem & lumina, ut quiſque de ſcripturis ſanctis vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere: hinc probatur, quomodo biberit. Æque oratio convivium dirimit.* Hinc facile colligitur, fas non fuiſſe gurgites illuc admitti, qui intemperanter abdomen ſuum replerent. Docet Hiſtoricus *Socrates*, in Ægypto introductam in illas ἀγάπας ἀκρασίαν, cujus origo hic oſtenditur fuiſſe à *Carpocratianis.* Quibus applicari poſſet, quod *Tertullianus Pſuchicis* exprobrat. *de Jejun. Cap.* XVII. *Apud te Agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis jacet: Sed major his eſt agape, quia per hanc adoleſcentes tui cum ſororibus dormiunt*, &c. Gnoſtici ſaturi, uxores ſuas aliis de ſua ſecta ſubjicientes, dicebant *ſurge ſoror, & fac agapen cum fratre. Epiphan. Hæreſi* XXVI. Propter illos ſimileſque abuſus, agapæ poſtea è templis remotæ ſunt, à *Concilio Laodiceno Can.* XXVIII. Et *Synodo Truſana Can.* LXXIV. & *Concilio Carthaginenſi ſub Aurelio. Can.* XLII. *Ut nulli Epiſcopi vel Clerici in Eccleſia conviventur, niſi forte tranſeuntes hoſpitiorum neceſſitate ibi reficiant. Populi etiam ab ejuſmodi conviviis quantum fieri poteſt prohibeantur.* At Concilia iſta topica fuerunt, non œcumenica; unde

Maculæ in Agapis.

eorum hac de re decretum non fuit ubique obſervatum. Certe *Chryſoſtomi* & *Auguſtini* tempore, agapæ adhuc in templis fiebant. Et de hiſce Judæ heic ſermonem eſſe interpretes fere omnes crediderunt.

Lightfooti de Agapis ſententia.

XXXVI. At aliam longe viam inſtituit *Lightfootus* ad 1 Cor. XI: 21. qui non diffitetur, quod res ipſa loquitur, convivia illiuſmodi charitativa, Euchariſtiæ in V. Eccleſia conjuncta fuiſſe; ſed negat ea *Agaparum* voce fuiſſe deſignata. Agapas autem fuiſſe arbitratur, quum exciperentur peregrini hoſpitio in ſingulis Eccleſiis, idque ſumtibus Eccleſiæ; tralatamque laudabilem iſtam conſuetudinem è Synagogis Judæorum. Hac fini allegat dicta quædam Talmudica, ex quibus conficit, propinquum vel contiguum Synagogæ Xenodochium quoddam fuiſſe, quo communibus Synagogæ ſumtibus hoſpitio excipiebantur viatores & peregrinantes. Et conferri jubet Act. XVIII: 7. Porro quum Eccleſiæ Apoſtolicæ pleraque ex moribus majorum tranſſumſerint, conjectat credibile non eſſe eas omiſiſſe morem tam pium, tamque neceſſarium. Rom. XVI: 23. Gajus *hoſpes totius Eccleſiæ* dicitur, quod vix alio ſenſu accipi poſſe credit, quam quod deputatus fuerit ab Eccleſia ut publico Xenodochio præeſſet. Et 1 Tim. V: 10. ubi mentio fit *viduarum lavantium pedes ſanctorum*. Rom. XVI: 1. ubi Phœbe dicitur διάκονος τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κεγχρεῖαις, ut alias omittamus, quæ dicuntur *multum laboraſſe in Domino*, vix meliorem ſenſum hiſce characteribus aptaveris, quam quod miniſtraverint in publico Xenodochio. Maxime autem hunc ſenſum congruere exiſtimat huic Judæ loco. Loquitur enim Judas de apoſtatis, hæreticis, ſeductoribus, bipedum nequiſſimis, quos ait eſſe σπιλάδας ἐν ἀγάπαις. Quiſquamne putet eos ex eadem eſſe Eccleſia, ubi ſic convivabantur? Num hi ad Agapas, ſi appendices cœnæ Dominicæ fuerint, ita ſine ſcrupulo admiſſi? Quanto probabilius eſt exiſtimare hos fuiſſe peregrinos, ignotos, ſub forma fidelium circumvagantes, & communi Eccleſiæ hoſpitio exceptos, atque illic errores ſuos diſſeminantes; eo audacius ipſimet ignotiores.

Ad examen revocata.

XXXVII. Non nego erudite hæc à Viro Doctiſſimo digeſta eſſe, ut pleraque ejus omnia: ſed dubito an ſatis ſint ſolida. Nam, ut demus publica ejuſmodi Xenodochia apud Judæos in uſu fuiſſe, de Chriſtianis ætate Apoſtolorum, & qui iis vicini fuere, nihil tale docetur, neque ex S. literis, neque ex veteri Hiſtoria. Proſpectum utique pauperibus & itinerantibus fuit, eique rei quidam ab Apoſtolis præfecti ex utroque ſexu; de quibus, locis a *Lightfooto* allegatis, agitur. Sed ex re ipſa ad hunc ſpecialem rei modum non procedit argumentatio. Tum ſi vel fuerint Chriſtianis ſua ejuſmodi Xenodochia, nulla probabili ratione conficitur ea *Agaparum* nomine fuiſſe inſignita: quum Agapas ſuas longe aliter diſcripſerint Veteres ad unum omnes, qui res ſuis temporibus uſitatas, & vera rerum iſtarum nomina ignorare non potuerunt. Denique peregrini

&

& viatores, qui publicis Eccleſiæ ſumtibus excipiebantur, plerique ſaltem, pauperes erant; & excipiebantur ſobrie, neque convivabantur cum cæteris illius Eccleſiæ membris, ſic ut diurnum luxum pro voluptate haberent. Talia non in Xenodochiis, ſed in divitum menſis quærenda ſunt: quales in Chriſtianorum cœtibus quandoque inſtructas fuiſſe colligere licet ex 1 Cor. XI: 21. Nimirum opulentiores edulia domi præparata in Eccleſiam afferebant, quæ vel ſibi ſolis vindicabant, vel cum paucis ſibi familiaribus ſuique ſimilibus abſumebant, liberaliter admodum & prolixe ſe invicem invitantes, excluſis & contemtis pauperioribus, quibus per ipſos licebat eſurire. Vide *Grotium ad eum locum.* Tales potius menſas impuri hi canes, Chriſtianiſmi prætextu, ſectabantur; quam Xenodochia, ubi gulæ illectamenta fruſtra quæſiveris. Hæc de *Agapis* & earum *maculis*.

XXXVII. Quas alia metaphora vocat NUBES SINE PLUVIA, A VENTIS CIRCUMACTAS. Uti & Petrus 2 Epiſt. II: 17. phraſi deſumta ex Prov. XXV: 14. & Hoſ. VI: 4. qua & *vitium* horum hominum & *exitium* notari videtur. Vitium, quod externa ſpecie multa utilia promittant & præclara minentur, nihil tamen quod ſalutare ſit præſtent. Exitium, quod à ventis & turbine, præ levitate facile disjectæ, & circumactæ diſſipentur, & in tenues auras evaneſcant. Niſi malis, aliud hic vitium notari; nempe inconſtantis animi temerariam levitatem. Nubes ſine pluvia.

XXXVIII. Sed & tertiam metaphoram addit, qua comparantur ARBORIBUS EMARCIDIS &c. In Græco eſt δένδρα φθινοπωρινά. Quod bifariam exponi poſſe, erudite obſervavit *Hammondus*. Nimirum φθινόπωρον eſt ea anni tempeſtas quæ æſtatem ſequitur; incipitque ſecundum quoſdam, à die XV, ſecundum alios à XXII menſis Auguſti, & producitur ad XXII Decembris. Quia vero ea tempeſtate decerptis jam fructibus, folia quoque decidunt, & arbores omnem ſuam amœnitatem ac pulcritudinem amittunt; hinc per δένδρα φθινοπωρινὰ ſignificantur arbores in eo ſtatu in quo ſunt φθινούσης ἤδη τῆς ὥρας, *deſinente jam tempeſtata*, exeunte autumno: neque fructuum utilitate gratæ, neque frondium amœnitate ridentes, ſed mortuis ſimiles. Verum φθινόπωρον Græcis etiam eſt νόσος φθίνουσα ὀπώρας, interprete *Phavorino*, *morbus corrumpens fructus;* quo fit ut ad maturitatem non perveniant, ſed areſcant, aceſcant, putreſcant, & intempeſtive decidant. Priorem interpretationem præfert *Hammondus*; poſteriorem *Clericus*. Ego cicum non interduim, quum utraque ſit percommoda. Sed gradatione utitur Apoſtolus, quando addit ἄκαρπα, INFRUGIFERÆ. Non externo aliquo caſu, ſed natura tales. Imo quod magis eſt BIS EMORTUÆ. Sunt qui hyperbolen hic ſtatuant, quaſi dicas, omnino mortuæ, ut, *bis terque beatus*. Sed hoc non videtur ſufficere. Optime *Coccejus* monet, cogitandum hic primo eſſe de parabola, tum Δένδρα φθινοπωρινά. Arbores bis emortuæ.

de re: id eſt, quomodo arbor aliqua dici poſſit bis mortua; deinde quomodo impii iſti arboribus bis mortuis aſſimilentur. In natura arbor bis mortua dici poteſt, quæ in ſolo arido & arenoſo nata, & ad aliquam ſublimitatem evecta, dein ſucco ob æſtum conſumto emoritur, foliis decidentibus & virore omni exareſcente, ut paululum tamen ſucci, at quod deprehendi vix poteſt, in radice remaneat. Fac eam arborem transferri in ſolum melius, & humore irrigatam, & accurate paſtinatam, reviteſcere; ut eſt Job. VIII: 17, 18, 19, & XIV: 8, 9. deinde vero æſtum fieri, eamque redire ad priſtinam ariditatem. Omnino hic tale quidquam in parabola eſt. Omnes qui in mundo ſunt, mortui ſunt: quamvis enim vitam vivant animalem, & ſuo quodam modo rationalem; vita tamen illa, quæ ex communione Dei & vivificante Spiritu Sancto fluit, proſus deſtituti ſunt. Eph. II: I. Hæc eſt prima mors. Interim contingit, ut nonnulli iſtorum mortuorum transferantur in paradiſum Dei, id eſt, per prædicationem Evangelii vocentur ad communionem externam Eccleſiæ, edantque fidei profeſſionem, & folia quædam ac fructus exercitiorum ad cultum Dei pertinentium, & Chriſtianarum virtutum ſpeciem præ ſe ferentium, proferant; & tunc ſibi atque aliis videntur vivere, obtinentque viventium nomen. Ap. III: 2. Iidem vero, poſtquam cognitionem veritatis acceperunt, ſi redeant ac peccata priora, ad diſſolutionem, ad luxum, ad hypocriſin, ad idololatriam, ad ſuperſtitionem, ſi non eandem, ſaltem priori ſimilem, & porro indurentur, ut verbum Dei ipſis prorſus fiat inutile; tum ſecundo moriuntur: & poſteriora ipſorum fiunt deteriora prioribus. Mat. XII: 43—. Tandemque juſto Dei judicio ERADICANTUR, ad combuſtionem.

Verſ. XIII. XXXIX. Com. 13. *Undæ maris efferatæ, deſpumantes ſua ipſorum dedecora: ſtellæ erraticæ, quibus caligo tenebrarum in æternum ſervata eſt.* Quod de Ezechiele ſcoptice olim dicebant profani irriſores: *nonne artifex parabolarum eſt?* Ezech. XX: 49. id ſerio de Juda affirmaveris; qui poſt Petrum elegantiſſimis ſimilitudinibus indolem ac mores ſui temporis ſeductorum depinxit. Quaſdam earum præcedens comma, alias hoc exhibet. Ubi duæ occurrunt parabolæ, altera ab *undis maris*, altera à *ſtellis ætheris* deſumta. UNDÆ EFFERATÆ &c. Petitum hoc emblema eſt ex Jeſ. LVII: 20. Comparantur *undis efferis*, id eſt atrocibus, ſævis, latrantibus. I. Sicut undæ in altum ſe extollunt, ita & hi inflati ſuperbia, magniloquoque ſermone turgidi, verborum ampullas efflant, nihil interea ſpirituale adferentes. Sic veteres faciebant Gnoſtici, ſublimem ſibi vindicantes arcanarum rerum cognitionem, & portenta loquentes, nec ſibi intellecta, nec aliis intelligibilia. His vero quam ſimillimi ſunt hodierni quidam Libertini. Dicas mera eos tonitrua ſonare: nam communi ſermone ſpreto, exoticum quoddam idioma ſibi fingunt. Poſtquam

Undæ maris efferatæ.

autem

fœdissimorum errorum, teterrimarumque libidinum præcipitant. II. Sicut undæ efferæ totum mare turbant, navesque vehementer concutiunt, & in præsentissimum quandoque discrimen adducunt; ita & hi turbones sunt orbis terrarum; præcipue vero in Ecclesiam, quæ Jesu Christi navicula est, desæviunt; operam quantum possunt dantes, ut illa misere mergatur. III. Sicut efferæ maris undæ lutum ex profundo movent, suaque collisione spumam efficiunt; ita & hi PROPRIA SUA DEDECORA DESPUMANT, ac palam faciunt. Superbia magnifici sermonis brevi detumescit, abitque in spumam pudendæ libidinis. Venus Græcis Ἀφροδίτη à *spuma* denominatur, quod è maris spuma orta esse crederetur. Cujus fabulæ physicæ fortassis dari possent rationes. At certe moralis ratio hæc est. quod omnes carnis libidines nihil solidi, nihil puri habeant, sed ex acrium humorum vehementi motu ortæ, cito in tenues auras evanescant, nil nisi spurcitiem relinquentes. Sed præterea STELLIS ERRATICIS iidem comparantur. Tralatitium in sacris est doctores qualescunque stellis conferre. Veri doctores sunt *stellæ in manu Christi*, salutarem lucis influxum præbentes, & constanti sibique semper simillimo motu omnibus in solo ac salo hujus mundi viatoribus viam ad salutem præmonstrantes; prorsus sicut stella illa, quæ magos deducebat ad Christum. Mat. II. Hi vero seductores *stellæ erraticæ* dicuntur: sive ad cœlestia sidera alludatur, sive ad ignes quosdam vagos, in sublimi aëre accensos. Noti sunt septem planetæ, qui semper tramitem mutant, ut nunquam eodem loco oriantur & occidant; sed alio semper & alio, & nunc tardius nunc celerius rotantur. Modo enim ad infima Zonæ brumalis descendunt, modo ad alta Zonæ solstitialis adscendunt, modo mediam Zonæ æquinoctialis lineam repetunt. Ita & hæretici instabiles in omnibus viis suis erant: errantes continuo & errorum caussæ aliis. Cæterum quia cœlestes illi planetæ, in motu suo, qui erraticus vocatur, sibi semper similes ac constantes, non minus quam fixissimæ stellarum, sunt: ideo alii Judam de meteoris & exhalationibus igneis, quas stellas in aëre discurrentes Aristoteles vocat, locutum esse arbitrantur. Tales enim fatui ignes, & si quæ similia iis meteora sint, viatores in avia flumina, paludes, aut præcipitia ducere creduntur. Cœlestes autem stellæ, quamvis erraticæ, majorem fortassis ipsis stellis fixis utilitatem generi humano adferunt. At falsi doctores videntur quidem stellæ, jactantque se mundi lumina esse: sed quia sibi non constant, neque constantem sequuntur veritatem, suis autem semper velificant affectibus, imprudentes conjiciunt in naufragium. Pœna eorum [illegible] est, quod caligo tenebrarum in seculum iis asservetur. Hoc dicit I. [illegible] profecturum in pejus. 2 Tim. III: 13. Quandoquidem enim tenebras præ[illegible] amant, easque ἐκουσίως amplectuntur,

Despumantes propria sua dedecora.

Stellæ erraticæ.

Quibus caligo tenebrarum in secul[illegible] servatur.

ctuntur, non convertentur ab istis tenebris, sed magis magisque excæcati in turpiores prolabentur errores. II. Totalem omnis lucis erudientis, sanctificantis, lætificantis exstinctionem, in consortio malorum dæmonum, & communione ejusdem miseriæ. Conf. ℣f. 6.

Verf. XIV. XV. XL. Versibus 14 & 15. adducitur insignis Enochi prophetia. *Prophetavit autem etiam de istis septimus ab Adamo Enochus, dicens, Ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis: Ut ferat judicium adversus omnes, & redarguat quicunque ex ipsis sunt impii, de factis omnibus quæ impie patrarint, deque omnibus duris quæ locuti fuerint adversus ipsum peccatores impii.* Ad pericopæ hujus intellectionem attende I. Prophetiæ laudatæ *Auctorem.* II.

Henoch. *Modum* quo *ad Judæ cognitionem pervenit.* III. *Argumentum.* Auctor describitur I. *A nomine* חנוך. *Henoch* significat initiatum, devotum, qui Deo sacer, & à prima juventute pietatis doctrina imbutus est. Conf. Prov. XXII: 6. חנוך לנער על פי דרכו *initia puerum pro ratione viæ ipsius*, id est, imbue eum primis cœlestis sapientiæ rudimentis. Fuit in hoc nomine omen: sicut enim parentes ipsius omne studium adhibuerunt ut virtutis ac religionis præceptis ipsum à teneris imbuerent; ita tam insignem Dei benedictionem in suo isthoc labore experti sunt, ut grandior factus in vera pietate neminem sibi parem isthoc seculo habuerit. Gen. V. 24. Heb. XI: 5. Injuriam sanctissimi viri memoriæ faciunt cæci & fatui quidam Hebræorum magistri, Henochum hypocritam fuisse dictantes, nunc justum, nunc improbum. Ideo Deum in tempore justitiæ suæ, quando virtuti studebat, eum sustulisse; ne rursus deficeret. Quum ex adverso incomparabilem devotissimi viri pietatem eo Deus præmio remuneratus sit, cujus ante id tempus nullum, post id non nisi duo exempla exstiterint;

Septimus ab Adamo. Alterum in Elia, alterum in Messia. II. A *Genealogia.* SEPTIMUS AB ADAMO. Hic enim Patriarcharum ordo est: Adam, Seth, Enos, Kainan, Malaleel, Jared, Henoch. Gen. V. Videtur id addi ad commendandam viri constantem pietatem. Jam tum enim incipiebant filii Dei à majorum pietate deficere, seque mundo in malo cubanti conformare. Facit item ea observatio ad prophetiæ huic auctoritatem

Prophetavit. ab antiquitate conciliandam. III. *Ab officio.* PROPHETAVIT. Prophetam fuisse omnes fere Orientales agnoverunt. Hebræorum Magistri non dubitant affirmare, שהוא במדרגה יותר גדולה ממשה ואליהו, *fuisse eum Prophetam in gradu excellentiori quam Moses & Elias. Muhammed* in *Alcorano* vocat eum *Edris Prophetam.* Vide sis *Hottingerum in Historia Orientali Lib.* I. *Cap.* III. ubi docet vocem Arabicam *Edris* significare doctum, literatum, disputatorem sagacem, & accuratum rerum investigatorem; quod non multum abludit à nomine *Henoch.* Notabile est, & hic quoque appingi meretur, quod *Beidavi*, Arabs Alcorani commentator, ad *Suratam de Maria* scripsit: *Enoch dictus Edris, propter multiplex studium.*

studium. Demisit enim ei Altissimus triginta volumina. Fertur etiam primus fuisse calamographus, & Astronomiæ studiosus. Plurimi quoque Antiquorum Christianorum, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Tertullianus*, *Irenæus*, *Cyprianus*, *Lactantius*, aliique Henocho scriptarum prophetiarum volumen attribuunt. Quæ quamvis incerta & falso propiora sint; certum tamen manet, Henochum magnum sui temporis fuisse Prophetam: cui insigne illud oraculum debemus, quod Judas noster hic laudat,

XLI. Sed unde illud habuit? Trinum hic potissimum est sententiarum divortium. Sunt qui ad scriptum aliquem librum confugiunt. Versatus in antiquorum manibus liber est, qui inscribitur *Testamentum duodecim Patriarcharum*, Origeni & Procopio citatus, & nuper Oxoniæ editus, opera *Johannis Ernesti Grabii*, in *spicilegio Patrum Primi seculi*. Ei multa inseruntur Henochi vaticinia, videlicet de his quæ eventura erant filiis ac nepotibus XII Patriarcharum, de futuris Hebræorum sceleribus ab pœnis, de mundi Servatore ab Hebræis occidendo, de Hebræorum conversione, aliisque. In *Testamento Simeonis* §. v. Ἑώρακα γὰρ ἐν χαρακτῆρι γραφῆς ΕΝΩΧ, ὅτι οἱ υἱοὶ ὑμῶν μεθ' ὑμῶν ἐν πορνείᾳ φθαρήσονται, καὶ ἐν Λευῒ ἀδικήσουσιν ἐν ῥομφαίᾳ, ἀλλ' οὐ δυνήσονται πρὸς Λευῒ. *Vidi enim in charactere scripturæ Enoch, quoniam filii vestri vobiscum in fornicatione corrumpentur, & contra Levi injustitiam facient in gladio. Sed non prævalebunt ad Levi.* &c. In *Testamento Levi* §. XIV. Καὶ νῦν, τέκνα, ἔγνων ἀπὸ γραφῆς ΕΝΩΧ, ὅτι ἐπὶ τέλει ἀσεβήσετε, ἐπὶ κύριον χεῖρας ἐπιβάλλοντες ἐν πάσῃ κακίᾳ, καὶ αἰσχυνθήσονται ἐφ' ὑμᾶς ἀδελφοὶ ὑμῶν, καὶ πᾶσι τοῖς ἔθνεσι γενήσεσθε χλευασμός. *Et nunc filii cognovi ex Scriptura Enoch, quoniam in fine impie agetis, in Dominum manus imponentes in omni malitia; & confundentur in vobis fratres vestri, & omnibus gentibus fietis illusio.* Rursus §. XVI: Καὶ νῦν ἔγνων ἐν βιβλίῳ ΕΝΩΧ ὅτι ἑβδομήκοντα ἑβδομάδας πλανηθήσεσθε, καὶ τὴν ἱερωσύνην βεβηλώσετε, καὶ τὰς θυσίας μιανεῖτε, καὶ τὸν νόμον ἀφανίσετε, καὶ λόγους προφητῶν ἐξουδενώσετε, ἐν διαστροφῇ διώξετε ἄνδρας δικαίους, καὶ εὐσεβεῖς μισήσετε, ἀληθινῶν λόγους βδελύξεσθε, καὶ ἄνδρα ἀνακαινοποιοῦντα τὸν νόμον ἐν δυνάμει ὑψίστου πλάνον προσαγορεύσετε, καὶ τέλος, ὡς νομίζετε, ἀποκτενεῖτε αὐτὸν, οὐκ εἰδότες αὐτοῦ τὸ ἀνάστημα, καὶ τὸ ἀθῷον αἷμα ἐν κακίᾳ ἐπὶ κεφαλῆς ὑμῶν ἀναδεχόμενοι. Καὶ δι' αὐτὸν ἔσονται τὰ ἅγια ὑμῶν ἔρημα, ἕως ἐδάφους μεμιαμένα. Καὶ οὐκ ἔσται τόπος ὑμῶν καθαρὸς, ἀλλ' ἐν τοῖς ἔθνεσιν ἔσεσθε εἰς κατάραν, καὶ εἰς διασκορπισμὸν, ἕως αὐτὸς πάλιν ἐπισκέψεται, καὶ οἰκτειρήσας προσδέξεται ὑμᾶς ἐν πίστει καὶ ὕδατι. *Et nunc cognovi in libro Enoch, quoniam septuaginta hebdomadas errabitis, & Sacerdotium inquinabitis, & sacrificia polluetis, & legem exterminabitis, & sermones prophetarum contemnetis, in perversitate persequemini viros justos, & pios odio habebitis, veracium sermones abominabimini,*

Unde istam prophetiam Judas habeat. Testamentum XII Patriarcharum.

nabimini, & virum renovantem Legem in virtute Altissimi erroneum appellabitis. Et in fine, ut æstimabitis, occidetis eum, nescientes ipsius resurrectionem, innocentem sanguinem in malitia super capita vestra recepturi. Propter ipsum erunt sancta vestra deserta, usque ad pavimentum profanata, & non erit locus vester mundus, & in gentibus eritis in maledictionem & dispersionem, donec ipse rursus visitabit, & miserens recipiet vos in fide & aqua. Quæ, quamvis prolixiora, adscribere tamen non piguit, quia revera magnam affinitatem habent cum prophetia Enochi de qua nunc agimus. Prædicuntur enim eadem propemodum crimina circa Messiam Dominum perpetranda, cum denunciatione gravissimi judicii. Animum tamen inducere non possum, ut credam, Judam ex hoc libro sua desumsisse. Cujus auctorem fuisse Judæum quendam, Christianæ fidei elementis tinctum, non sine ratione Viri Clarissimi *Cavius* & *Dodwellus* opinantur. Scriptionem libri ad Christianismi seculum secundum referentes. Judæis

Liber Henochi.

etiam in pretio fuit liber *Henochi* titulum præferens. Eum laudat *Menachem Racanatensis*, Drusio citatus. Nescio an idem sit cujus editionem Græcam nactus est *Josephus Scaliger*: certe is fragmentum quoddam ex libro Henochi exhibet in suis *Eusebianis p.* 404. unde hanc Judæ pericopam, eamque quæ de Angelis prævaricatoribus agit, contendit esse petitam. Scaligeri Græca Latine reddidit *Athanasius Kircherus* in *Oedipo Ægyptiaco*. Indeque descripsit Clarissimus *Heideggerus* in *Historia Patriarcharum*. Mihi non videntur tanti, ut eorum repetitione Lectoris patientia abutar. Scaliger ipse negat statuere se posse, *plusne otii superfuerit Judæis ut hæc confingerent; an sibi patientiæ ut describeret. Tot enim*, inquit, *sunt in illis quorum piget, tædet pudetque, ut nisi scirem Judæorum esse mentiri, neque nunc eos illas nugas desinere posse, ne digna quidem censuissem quæ legerentur.* Et tamen, quod mirum, ex tam futili, nugatorio, atque omni ratione Apocrypho scripto, Beatum Judam prophetiam hanc Henochi arcessivisse vult. Quod mihi nullo modo fit verisimile. Non enim certe id egit Apostolus, ut sanctissimis & sapientissimis literis suis, in materia momentosissima, absurdi scripti allegatione fidem & reverentiam detraheret. At neque dicit Judas Henochum ita scripsisse; neque in libro qui Henochi dicitur prophetiæ hujus vel vola vel vestigium reperitur. Imo credibile est Judæ ætate supposititium hunc librum ne quidem in rerum natura fuisse, sed vel à putido & portentoso nescio quo Cabbalista Græcanico, vel ab hæretico, & sciolo aliquo Christum professo, sub Henochi nomine procusum esse. Quod multis rationibus erudite ostendit laudatus modo nobis *Heideggerus*. Celeberrimus *Coccejus* conjectat Judam ex historia Mosaica collegisse. *Nam*, inquit, *prophetasse Henochum, satis constat ex sacris literis. Ambulavit enim cum Deo; ergo cum Deo fecit, defectoribus se opposuit, verbis,*

sine

ſine dubio, in Spiritu Sancto dictis, & opere. Nemo eſt qui credat in Deum, qui non prophetet. . . . Nullus patrum credens promiſſioni in Paradiſo auditæ non prophetavit de Chriſti adventu & regno. Porro Judas talia Henochum prophetaſſe teſtatur, quæ optime & pathetice ei attribuuntur in proſopopœia. Quæ quidem non male mihi animadverſa videntur: attamen non validum ſatis fundamentum continere, cui Judæ allegatio commode inædificetur. Nam Judas formulam prophetiæ Henocho adſcribit, quæ ex Moſe diſci non poteſt. Alii denique veriſimilius arbitrantur, habuiſſe Judam ex nota & confeſſa eo tempore traditione: quam veram eſſe Spiritu Magiſtro cognovit, dignamque judicavit, quam ſua hac epiſtola conſecraret æternitati. Cui ſententiæ ego quoque hactenus acquieſco.

XLII. Argumentum prophetiæ huc redit. DOMINUS ille, de quo Enoch loquitur, Meſſias eſt, in unitate eſſentiæ idem cum Patre & ſpiritu Sancto Jehova, cui etiam omnis poteſtas data eſt in cœlo & in terra, & cujus peculium ſingulari ratione electi ſunt. Illius ADVENTUM prædicit, verbo præteriti temporis, ad exprimendum indubitatam rei certitudinem, & fidei ſuæ πληροφορίαν. In adventu iſto MYRIADIBUS ANGELORUM comitatum Meſſiam fore vaticinatur. Quod factum eſt, quando veniebat in *Sinai* daturus legem, Deut. XXXIII: 2. item quando veniebat *in carnem*, ad viſitandos ſuos: nam tum quoque multitudo exercituum cœleſtium, nativitatem ejus nuntiantium, in tractu Bethlehemitico videbatur, atque audiebatur. Luc. II: 13. Sed illuſtri imprimis modo futurum eſt, quando *veniet cum nubibus cœli, & omnes Angeli Sancti cum illo. Mat.* XXV: 31. Finis hujus adventus erit, AD FACIENDUM JUDICIUM DE OMNIBUS: nam *Pater omne judicium Filio dedit. Joh.* V: 22. & REDARGUENDUM OMNES IMPIOS, de IMPIIS FACTIS & DURIS DICTIS. Ἔργα ἀσεβείας ſunt ea omnia quæ cum contemtu numinis patrantur, præcipue adverſus lucem ſupernaturalis revelationis: ex quibus maximum eſt infidelitas & obduratio cordis adverſus fulgidum Evangelii jubar. Dicta σκληρὰ ſunt verba profana, blaſphema, ſcoptica, omneſque diſputationes acerbæ contra Deum, Chriſtum, Evangelium, illiusque doctores & profeſſores. De his REDARGUET convincet & damnabit eos Dominus; non increpando ſolum; ſed & debitas de iis ſumendo pœnas. Continentur itaque hac prophetia inſignia iſta Theologiæ Sethitarum capita. I. Semen benedictum; cui demandata ſerpentini capitis contritio eſt, certo eſſe venturum. II. Semen illud futurum eſſe Dominum Jehovam, cui itaque credendum atque obediendum ſit. III. Eundem à Deo deſtinatum eſſe univerſi judicem. IV. Eum indubie venturum eſſe ad judicii exercitium; quod partim in promulgatione legis, quæ judicii norma eſt, partim in ſententia ſecundum iſtam

Prophetiæ argumentum.

legem dicenda & exſequenda conſiſtit. V. Exſtare multas ſanctorum ſpirituum myriadas, quæ judici huic à miniſteriis ſint. VI. Formam judicii illuſtrem admodum & glorioſam futuram eſſe. VII. In judicio illo comparituros eſſe improbos, etiam pridem defunctos: quo innuitur immortalitas animorum, reſurrectio corporum, & ſtatus totus hominis æternus. VIII. Judicium illud fore accuratiſſimum; ubi non factorum modo ſed & dictorum, neque aliquorum, ſed omnium, reddenda erit ratio. IX. Addi poſſet, quod *Coccejus* ſubtiliter obſervavit, glorioſum iſtum judicem primo in humili ſpecie venturum eſſe, ut poſſent homines ſcandaliſari in ipſo, & ipſi contradicere: at non niſi per impietatem. Hæc quidem Henochus ſeculi ſui hominibus prædicavit, qui, cupiditatibus ſuis indulgentes, adventum Domini futurum eſſe improbe negabant. Verum quum prophetia iſta univerſalem veritatem contineat, in omnes eos quadrat qui ſecundum concupiſcentias ſuas ambulant. Ideoque fas Judæ noſtro fuit ea ſui temporis ſeductoribus applicare; non minus ac ſi in eos nominatim dicta forent.

Verſ. XVI. Murmuratores.

XLIII. Pergit autem eos deſcribere com. 16. Hi ſunt γογγυσαὶ, MURMURATORES, ſuſurrores, qui tacite muſſitant. I. *Adverſus Deum*; dum verbo ejus non acquieſcunt & ſuis ratiocinationibus indulgent, nolentes credere quod Deus teſtatur, quia in rebus naturalibus non vident ſimilia: & ex Philoſophia myſterium Dei non poſſunt explicare. Quia vero aperte illud profiteri rebus ſuis nondum conducibile eſſe plerique exiſtimant, muſſitando id innuunt potius, quam ut ſine ulla circuitione prodant. Hoc eſt vere γογγύζειν. Quod vitium noſtri quoque ævi hominibus, qui præ cæteris ſe ſapere poſtulant, valde familiare, à Juda hic taxari, merito autumat *Coccejus*. Maxime autem ſolebant *Gnoſtici* murmurare adverſus præcepta Evangelii, quod eſſent arcta nimis, & inimica voluptatibus, nimiſque abludentia à moribus ſeculi; *quorum* denique gratia Chriſtiani tam Judæis quam Gentibus ludibrio, contemtui, atque odio eſſent. II. *Adverſus Magiſtratus*, & eos ex hominibus qui in eminentiori poteſtatis gradu erant. Libenter enim obtrectabant ſuperioribus. Conf. 1 Cor. x: 10. Num. xi: 6. III. *Adverſus homines quoſcunque*, in omnibus fere aliquid carpentes ac ſugillantes, ac ſuſurris ſuis, ubicunque poterant, ſerentes diſcordias.

De ſorte ſua queruli.

Μεμψίμοιροι. DE SORTE SUA QUERULI. I. *Contra Deum*, tam generalius, quam ſpecialius. Quia enim vitæ hujus beatitudinem corporis felicitate metiuntur, non verentur obmurmurare Deo ſuis querimoniis, quod ſic condiderit hominem ut brevis eſſet ævi, & morbis obnoxius, optantes hanc vitam quam maxime longam felicemque; videlicet de futura diffidentes. At ſpecialius cum propria ſua ſorte litigandum ſibi ſemper exiſtimant, credentes omnia quæ

dignatio atque invidia circa eos quos in florentiori fortuna cernunt aut cernere se putant; quos tamen superbo fastu longe præ se despiciunt. Concurrunt in hoc vitio, stultus sui amor, insatiabilis cupiditas, Divinæ providentiæ obtrectatio, & aliorum invidia. II. Nam II. *Contra proximum* quoque hoc vitio peccatur. Sunt enim queruli isti homines difficiles simul ac morosi, ut satisfieri iis à nemine propemodum possit. Semper obmurmurant, quantumcumque te iis impendas. Quidquid præstiteris, plura sibi autumant deberi. Quod additur, IN CUPIDITATIBUS SUIS INCEDENTES, explicationis non eget. Os EORUM LOQUITUR *ὑπέρογκα*, PRÆTUMIDA, fustuosa, omnem modum fidemque superantia. Perstringere videtur fastum *Montani* & *Gnosticorum*, de quibus *Irenæus Lib.* I. *Cap.* IX. *Perfectos se ipsos vocant, quasi nemo possit exæquari magnitudini agnitionis ipsorum, nec si Paulum ac Petrum dicas, vel alterum quendam Apostolum; sed plus omnibus se cognovisse, & magnitudinem agnitionis illius, quæ est inenarrabilis virtutis, solos ebibisse: esse autem se in altitudine supra omnem virtutem. Quapropter & libere omnia agere, nullum in ullo timorem habentes: propter enim redemptionem, & incomprehensibiles & invisibiles fieri judici.* Similiter *Tertull. de Anima: Dicebant suas animas de sublimi virtute conceptas, despectrice mundi-potentium principatuum.* Phrasis similis est. Dan. XI: 36. ידבר נפלאות. Ubi Græci *λαλήσει ὑπέρογκα*. Conf. 2 Petr. II: 18. *Θαυμάζοντες πρόσωπα* &c. ADMIRANTES PERSONAS UTILITATIS GRATIA. *πρόσωπον* notat qualitatem externam quæ ad momentum caussæ de qua agitur non pertinet. Jac. II: 1, 2. *Θαυμάζειν πρόσωπον*, est eam qualitatem tanti facere ut præter fas judicium illi gratificeris. Conf. Levit. XIX: 15. Ubi in Hebræo est ולא תהדר פני גדול. pro quo LXX. habent, *οὐδὲ μὴ θαυμάσης πρόσωπον δυνάστου*. Aliter *θαυμάζοντες πρόσωπα* Hebræis sunt נושאי פנים. Sic Deut. X: 17. אשר לא ישא פנים. Græce, *ὅστις οὐ θαυμάζει πρόσωπον*. Prov. XVIII: 5. שאת פני רשע לא טוב *θαυμάσαι πρόσωπον ἀσεβοῦς οὐ καλόν*. Job. XXII: 8. ונשוא פנים ישב בה. *ἐθαύμασας δέ τινων πρόσωπον, ᾤκισας δὲ τοὺς ἐπὶ τῆς γῆς*. Sic agebant illi: divitibus in Ecclesia adulabantur, vitiis eorum favendo, idque ut ex largitionibus eorum quæstum facerent. Conf. 2 Petr. II: 14. Illiberalis profecto ingenii argumentum est, ita se demittere lucri caussa. Quod tamen frequenter videas in seductoribus istis animorum. Aliquando superbe se jactant prætumida loquendo; ubi nemo est qui insolentiam eorum reprimat, intolerabilis est eorum superbia; adeo imperiose quidvis sibi arrogant. Quos autem metuunt, vel a quibus sperant aliquid commodi, iis sordide blandiuntur: palpones & adulatores turpissimi.

Quorum os loquitur ὑπέρογκα.

Admirantes personas utilitatis gratia.

XLIV. Ver-

Analysis versuum 17--23.

XLIV. Versu 17. & sequentibus continetur insignis fidelium exhortatio ad duum generum officia; quorum aliqua *sibi* debebant, alia *proximis*, etiam *seductoribus*, aut *seductis*. Quæ *sibi* debebant officia, hoc ordine memorantur. I. Ut meminerint prædictionum Apostolicarum ad præcautionem. ℣s. 17, 18, 19. II. Ut superstruant se fidei, per precationem. ℣s. 20. III. Ut conservent se in charitate Dei. ℣s. 21. IV. Ut illibatam custodiant spem misericordiæ Christi. ibid. Porro si misericordiam Christi erga se exspectant, æquum est ut & ipsi misericordiam exerceant erga alios, etiam in perditione jacentes; quos servare conentur, habito prudentiæ delectu. ℣s. 22, 23.

Vers. XVII. Memoria Apostolicarum prædictionum.

XLV. Primum officium quod commendatur exstat com. 17. *Vos autem, dilecti, memores estote verborum illorum quæ prædicta fuerunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi.* Quanta severitate utitur contra impios seductores, tantam charitatis comitatem demonstrat erga electos fideles, quos DILECTOS vocat; ut blanda ista compellatione & suum ipsis testaretur, & eorum permoveret animum; qui, sicuti Evangelii dulcedine dignum est, nulla re vehementius incitatur quam charitate. Sed & deinde observa insignem *Judæ modestiam*, qui quum cæteris Apostolis auctoritate minor non esset, ad eos tamen provocavit. Quod in pudorem dare debet arrogantia ista ingenia, qui aliorum benedictis nolunt uti: nihilque rectum existimant, quod à se profectum non sit. In animæ humanæ admirandis, si non principem, eximium certe locum meretur ea facultas quam Memoriam vocamus. Quæ veluti sanctius mentis nostræ ærarium est, in quo thesauri, infatigabili diligentia collecti, reconduntur? ubi usus erit depromendi. Verum quo admirabilior, utilior, magisque necessaria nobis ista facultas est, eo sollicitius operam dare oportet, ne minutulis nulliusque pretii rebus, quas servare nihil attinet, magnam partem oppleatur. Sed ea potissimum asserventur, quorum recordatio & sapientiores, & prudentiores, & sanctiores efficere queat. In his quum sint Apostolorum dicta; eorum MEMINISSE Judas jubet.

Vers. XVIII.

XLVI. Testimonia Apostolorum ad quæ hic respicitur exstant. 1 Tim. IV: 1. 2 Tim. III: 1. IV: 3; 4. 2 Pet. III: 3. Verum quidem est, ipsum quoque Dominum expressissimis verbis eadem prædixisse. Mat. XXIV: 24. Cæterum, quoniam prædictiones Christi non aliunde nisi ex Apostolorum relatu cognoscimus, hinc & illæ Apostolorum prædictionibus accensendæ sunt. Quibus agitur de iis quæ futura sunt, ἐν ἐσχάτῳ χρόνῳ, IN EXTREMO TEMPORE. Id Hebraice dicitur באחרית הימים. Ea phrasis notat. I. *Tandem*, aliquando, diu posthac. Gen. XLIX: 1. Num. XXIV: 14. Deut. XXXI: 29. II. *Postrema veteris Testamenti tempora*, quibus venire Messias debuit, ad finem τῆς προτεσμίας.

Extremum tempus.

Respondet

… urbis & templi vocabant τὸν αἰῶνα ἴδιον. dies Novi Testamenti post excidium templi, τὸν αἰῶνα τὸν μέλλοντα. I Cor. II: 6. Eph. II: 7. Sic suos dies quibus adhuc offerebantur sacrificia, τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα. Heb. IX: 9. Tempus plenæ libertatis, τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν Heb. II: 5. III. *Totam Oeconomiam T. N.* quippe post quam nulla nova fœderis gratiæ œconomia in terris spectanda sit. Quoniam autem ista œconomia varias habet periodos, hinc notantur II. *Oeconomiæ istius novissima tempora*, consummationem seculorum proxime antecessura. Nulla harum significationum est, quæ huic loco non quadrat. Confer 2 Pet. III: 3, 4. I Thes. V: 3. Tunc futuri sunt IRRISORES, verbum Dei, & imprimis adventum Domini ad judicium, ludibrio habentes; ideoque IN IMPIIS SUIS CUPIDITATIBUS INCEDENTES.

XLVII. De quibus porro testatur ℣s. 19. quod SE IPSOS SEGREGENT. Ἀποδιορίζοντες. Bifariam. I. Præsumptione insignis sapientiæ & perfectionis, præ qua reliquos tanquam inscitos & servili præditos ingenio contemnunt. Jes. LXV: 5. II. Licentia. Quoniam disciplinæ jugum ferre nequeunt, carni addicti, à spirituali vita abhorrentes, secessionem faciunt ab Ecclesia: ut exleges vivant. ANIMALES, SPIRITUM NON HABENTES, ψυχικοὶ, πνεῦμα μὴ ἔχοντες. Qui non nisi animam vitæ suæ principium habent, & ratione sua naturali omnia metiuntur, nobilioris principii, & consequenter nobilioris vitæ exsortes. Corpus ψυχικὸν & πνευματικὸν distinguuntur I Cor. XV: 44. Illud est quod animam vivificantem habet, ministerio cibi & potus, quibus conservatur fluxus sanguinis & spirituum. Hoc, cujus vita est à spiritu, omni naturali vita præstantior, neque cibo neque potu indigens. Similiter I Cor. II: 14, 15. opponuntur homo ψυχικὸς, in quo summum ad sapientiam sua ipsius anima est: cujus sapientia est ψυχικὴ. Jac. III: 15. & homo πνευματικὸς, qui sapit per Spiritum Dei illuminantem oculos & convertentem corda.

Vers. XIX. Ἀποδιορίζοντες.

Animales Spiritum non habentes.

XLVIII. Alterum quod commendatur ℣s. 20. est, ut orando se fidei suæ superstruant. *Vos autem, dilecti, sanctissimæ vestræ fidei superstruentes vos ipsos, per Spiritum Sanctum orantes.* FIDES hic, uti com. 3. notat doctrinam cœlestium veritatum, comprehensam Evangelio, olim ab ipsis pleno animi assensu approbatam, & salutari fiducia applicatam. Ea SANCTA dicitur. I. Quia doctrina fidei pura est ab omni falsitate & deceptione; & tota ad id comparata ut Deum imitemur, non ipsos puros servemus, & proximum ad Dei communionem ac similitudinem sermone & exemplo adducamus. Ps. XIX: 9. Rom. VII: 12. Tit. II: 12. II. Quia insignem habet pollentiam ad sanctitatem animis credentium ingenerandam. Eâ enim est veritatis evangelicæ efficacia, ut recte cognosci ab

Vers. XX.

Fides.

Sancta.

ab homine nequeat, quin mox eum à peccati ſervitute in libertatem aſſerat, transformetque ad Divinæ imaginem puritatis. Nuſquam enim virtus pulcriori nobis facie arridet quam in Evangelio: quæ in lege quidem picta, nativiſque expreſſa coloribus, ſed picta tantum eſt, ſine ſanguine & ſucco, ſine vita & motu; hic autem in Jeſu Chriſto viva ſpiranſque cernitur; ita quidem, ut ſæpius mentis oculis uſurpata contemplantem in eandem imaginem transformet ex gloria ad gloriam, ſicuti à Domini Spiritu. Ita ſanctificantur animi in Veritate; & quæ eam tradunt ſcripta Evangelica merito ob id à Veteribus dicta ſunt *τὰ ἱεροποιοῦντα καὶ θεοποιοῦντα γράμματα*. III. Quia fides ipſa qua recipitur & agnoſcitur doctrinæ veritas ſanctitatis mater eſt. Quâ enim luce intellectus illuſtratur ad veritatis cognitionem, eadem & voluntas inflammatur ad veritatis amorem, qui eſt *ὁσιότης τῆς ἀληθείας*, eadem denique fæcundus redditur animus ad quoſvis juſtitiæ fructus abunde proferendos. Col. I: 6. Merito igitur Judas fidem ſanctam dixit. Neque id modo, ſed & SANCTISSIMAM. Quippe quæ principio, norma, exemplari, fine, *gradibus*, cæteram omnem ſanctitatem humanam immenſum quantum antecellat. Sanctiſſimam eam fidem ut fundamentum ſubſternit Apoſtolus *ſuperſtruendo* ædificio. Conf. Eph. II: 20, 21. Ædificium ipſi fideles ſunt. ibid. 22. vivi lapides, domus ſpiritualis I Pet. II: 5. SUPERSTRUI FIDEI, eſt de die in diem proficere in cognitione Domini Jeſu Chriſti, ut plura de ipſo ſciamus, & quæ ſcimus ſciamus accuratius, tam ſingula ſeorſim, quam junctim omnia in concatenatione iſta pulcherrima veritatum cœleſtium. Neque hoc modo, ſed & proficere in ſenſu ac guſtu iſtarum veritatum; ut non verba ſolum veritatis intelligamus, ſed rem ipſam, תושיה, in cordibus noſtris poſſideamus, Deo ipſo, qui eſt *αὐτοαλήθεια*, & ſummum fidei objectum, in Filio ſuo Jeſu Chriſti fruentes, ad inexplicabilem conſolationem atque lætitiam. Denique eniti ad fidei perſeverantis conſummationem, quæ eſt ſalus animarum. Structuræ hujus auctor indubie Deus eſt. Heb. III: 4. Fideles paſſive ſe habent, *οἰκοδομεῖσθε ædificemini* I Pet. II: 5. Attamen & ipſis aliquid agendum. *ἐποικοδομοῦντες ἑαυτοὺς*. conf. 2 Pet. I: 5. Cæterum *niſi Jehova ædificet domum, fruſtra laborent ædificatores ejus de ea* Pſ. CXXVII: I. ideo commendat Judas ORATIONEM quâ imploretur Dei auxilium & benedictio. Quod vero additur, PER SPIRITUM SANCTUM, tam ad antecedens referri poteſt, ſuperſtruite per Spiritum, quam ad ſequens, per S. S. orantes. Huc tamen proxime ſpectare videtur. Et ſane Spiritus Sanctus eſt, qui omnia quæ & quomodo petenda ſint ſuggerit; qui mentis oculos aperit, ut & indigentiam noſtram, & ſpiritualium ac cœleſtium rerum præſtantiam rite æſtimemus; qui ardens earum rerum deſiderium excitat; iiſque affectibus imbuit, qui Dei Majeſtate, noſtra vilitate, & rerum deſideratarum præſtan-

Imo Sanctiſſima.

Cui ſuperſtruendum.

Oratione per Spiritum Sanctum.

præſtantia digni ſint; qui denique ſanctam largitur παῤῥησίαν. Ideoque & Spiritus precum dicitur Zach. XII: 10. & pro fidelibus ὑπερεντυγχάνειν. Rom. VIII: 26.

XLIX. Tertium officium præſcribitur initio com. 21. *Vos ipſos in charitate Dei conſervate*. Per CHARITATEM Dei commode hic intelligi poſſe arbitror amicitiam, quæ intercedit inter Deum & animam fidelem; ſic ut cor Dei ad hominem fidelem, cor item hominis fidelis ad Deum, mutua jucundiſſimi amoris inclinatione feratur. Nimirum Deus dicit animæ ſibi per Chriſtum reconciliatæ, *Tu vocaberis deliciæ meæ, quia Jehova delectabitur te*. Jeſ. LXII: 4. Anima reſpondet Deo, & ego viciſſim *ex intimis viſceribus diligam te, Jehova*. Pſ. XVIII: 2. Dubitari non poteſt quin talis amicitiæ ſtatus animæ amanti jucundiſſimus, utiliſſimus, beatiſſimus ſit: nihilque magis eſſe exoptandum, quam ut ſit perpetuus. In ſe quidem recepit Deus electos ſuos in illo ſtatu conſervare. 1 Th. III: 3. Jeſ. LIV: 10. Atque hactenus ſecuris licet eſſe fidelibus, quod *virtutis Dei præſidio cuſtodiantur per fidem ad ſalutem, paratam revelari tempore ultimo* 1 Pet. I: 5. Attamen hoc quoque iis incumbit officii, ut à Deo excitati & adjuti CONSERVENT SEMET IPSOS. 1 Joh. V: 18. omnemque adhibeant operam ad familiaritatem Divinæ amicitiæ non ſervandam modo, ſed & indies augendam. Ad quod requiritur I. Amoris ſui erga Deum quotidiana excitatio, per devotam meditationem tum perfectionum Divinarum, propter quas in ſe ipſo ſumme amabilis eſt, tum incredibilis illius charitatis, qua nos prior eſt proſecutus, & beneficiorum inæſtimabilium ex illa charitate profluentium. Fieri enim non poteſt, ut Deus ſe amore ſuperari ab homine patiatur. Joh. XIV: 21. II. Frequens cum Deo converſatio, ſic ut ſecluſa tantiſper ſeculi ſollicitudine, & quæſita placida ſolitudine, repetitis crebro legendi, meditandi, orandi exercitiis, in familiaritatem Dei modeſta te παῤῥησίᾳ ingeras. Hoc eſt *aſſueſcere Deo*. Job. XXII: 22. III. Inoffenſæ & accuratæ pietatis praxis, attentaque adverſus ἁμαρτίας εὐπεριςάτȣς vigilia. Quibuſcumque datum eſt incredibilem eam Divinæ charitatis dulcedinem guſtare, eos ſollicite cavere oportet, ne quid admittant, quod indignum tanta ſit amicitia, aut quod tam prolixum numinis favorem frigore aliquo corrumpat. Id demum eſt, quod Judas noſter vult, CONSERVARE SE IN CHARITATE DEI.

Verſ. XXI. Charitas Dei.

In ea ſe quemque ſervare oportet.

L. Cui quartum officium jungit, *Exſpectantes miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti in vitam æternam*. MISERICORDIA eſt benevolus affectus erga miſeros. Is, ſi uſpiam, in JESU CHRISTO ſane locum habet eminentiſſime. Ejuſque ſuaviſſimos ac pretioſiſſimos fructus plurimis experimentis perſpectos jam habent fideles. Unius enim Domini ſui miſericor-

Miſericordia Jeſu Chriſti

dia

diæ debent, quod erepti ſint exitio, redemti Deoque reconciliati ipſius ſanguine, regenerati per Spiritum, adoptati in jura omnia filiorum Dei, ſanctificati ad Dei imaginem, admiſſi ad ipſius familiaritatem; quodque etiamnum omnipotenti ejus virtute in ſtatu gratiæ conſerventur; animuſque ipſorum, ſuo plerumque vitio languens, gratiſſimis ineffabilium conſolationum viciſſitudinibus tempeſtive demulceatur ac refocilletur. Hæc ſunt effecta τῦ ἐλέυ, καὶ χρηςότητ☉, καὶ φιλανθρωπίας τῦ σωτῆρ☉ ἡμῶν Θεῦ, quibus frui in hac quoque vita fidelibus datur, in arrham futurorum. Conſummatio enim miſericordiæ Domini in eo erit, quod ſuos olim ad VITAM ÆTERNAM ſuſcitaturus ſit. Vitam quæ vere vita eſt, in perfectiſſima Dei cognitione, agnitione, dilectione, & fruitione conſiſtens. Vitam, nulla morte finiendam, ſed in communione Dei beatiſſima perpetim degendam in cœlis. Hanc EXSPECTARE fidelibus fas eſt, ea nimirum ſpe, quæ non pudefacit. Quæ in ſe tres inſignes animi actus comprehendit. Horum I. eſt תקוה exſpectatio, certum judicium, & ſancta animi ſecuritas, quod promiſſum bonum ſuo tempore eventurum ſit. Hoc enim ex fide habet Heb. XI: 1. Hæc eſt ἡ παῤῥησία καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδ☉. Heb. III: 6. & πληροφορία τῆς ἐλπίδ☉ ἄχρι τέλυς. Hebr. VI: 11. II. Ἑτοιμασία, promtitudo ad illud bonum recipiendum: ſic ut anima veluti in ſpecula ſtet, cum alacritate obſervans, ecquid ſe oſtendat Dominus. Jeſ. XXI: 7. Habac. II: 1. Phil. I: 20. κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαν καὶ ἐλπίδα μυ. III. Ὑπομονὴ, patientia incommodorum moræ. δι' ὑπομονῆς ἀπεκδεχόμεθα. Rom. VIII: 25. *Fundamentum* hujuſce ſpei eſt Dei noſtri potentia, bonitas, & veritas, & Chriſti Domini juſtitia. *Argumentum* autem quod nobis, nobis, inquam, exſpectare liceat, hoc erit, ſi ſuperſtruamus nos ſanctiſſimæ fidei, & cuſtodiamus nosmet ipſos in charitate Dei. Ita enim hæc junguntur ab Apoſtolo.

[margin: in vitam æternam; exſpectanda]

Verſ. XXII. Qui ſalvi facti ſunt, alios etiam ſervare tenentur.

LI. Quicunque miſericordiam Dei expertus eſt, & jus habet conſummationem ipſius exſpectandi ad vitam æternam, eum etiam miſericordiam exercere oportet erga alios; & non ſolum votis expetere, ſed & re ipſa operam dare, ut & illi eximantur exitio & ejuſdem gratiæ participes evadant. Idcirco pergit Apoſtolus com. 22, 23. dilectos fratres ſuos hortari, ut ipſi jam ſalutis compotes alios etiam ſervare conentur; idque ſub cautela geminæ prudentiæ; exercendæ tam erga eos quorum ſaluti promovendæ incumbunt, quam erga ſemetipſos ne ullo vitiorum contagio polluantur. ALIOS, inquit, SERVATE. Nimirum *Deus ſervat* omnes qui ſervantur. I. Deſtinatione Patris, qui Chriſtum dedit electis. Joh. III: 16. & electos Chriſto. Joh. VI: 37. XVII: 6. II. Meritis & interceſſione Filii. Heb. V: 9. VII: 25. III. Applicatione Spiritus Sancti. 1 Cor. VI: 11. Tit. III: 5, 6. *Fideles ſemet ipſos* quoque *ſervant*. Phil. II: 12. Reſipiſcen-

Reſipiſcentia ac fide in Chriſtum. Act. II: 38, 40. & conſtanti ſtudio charitatis Dei: qua de re modo diximus. Denique ad officium Chriſtianorum pertinet, ut *alii alios* quoque *ſervare nitantur*. I Cor. VII: 16. I Tim. IV: 16. Jac. V: 19. Quod fit I. Monitis & exhortationibus. Luc. XXII: 32. col. cum Act. II: 40. II. Precibus & votis. Rom. X: 1. III. Exemplo. I Petr. III: 1, 2. Phil. III: 17. Nemo nobis pro tam deſperato haberi debet, quem hoc charitatis officio excludamus. Quis ſcit, quem gratia ſua dignaturus ſit Dominus?

LII. At in agendi modo DELECTUM ſuadet Apoſtolus. Sic ut uniuſcujuſque nos accommodemus ingenio: clementia utentes erga dociles, rigore erga contumaces ac ſeductores, ſervandos METU. ἐν φόβῳ. quod non notat hic circumſpecte; ne quid imprudenter aut temere agatur, dum aliorum ſaluti nos impendimus: ſed potius, incuſſo metu Divinæ iracundiæ, graviorumque pœnarum, imo æternæ damnationis. 2 Cor. V: 11. Eſt aliqua *perſonarum acceptio mala:* quando quis alium majoris minorisve facit, propter qualitates ad rem de qua agitur nihil facientes. ℣ſ. 16. Jac. II: 1. Eſt alia *bona:* quando cum unoquoque homine agimus ſicuti indoli ipſius eſt conveniens. Quæ eximia prudentiæ Chriſtianæ pars eſt. I Cor. IX: 19, 20. Evangelium non niſi unum eſt. Anathema illi, qui introducere conatur aliud. Gal. I: 8. Scelus eſt inflectere ſermonem Dei ad placitum hominum. ib. ℣ſ. 10. I Reg. XXII: 14. Ezech. III: 17. Interim prudentis Oeconomi eſt ſuam cuique tribuere portionem. Luc. XII: 42. Nam & ſua cuique homini indoles eſt. Sunt quos non niſi bonitate flectas. Alios non niſi minis à malo abſterreas. Hic providus Chriſti miniſter omnia fiat omnibus. ERIPIENTES EX FLAMMA. Non eſt hic ſubtiliter diſputandum de igne pravorum affectuum, ut calamitatum hujus ſeculi, aut gehennæ; ſed eſt locutio proverbialis. Conf. Zach. III: 2. I Cor. III: 15. qua ſignificatur præſentaneum imminentis exitii periculum; tum & eripientium alacritas, celeritas, & intrepidus animus, nullam moleſtiam, nullum diſcrimen ſubterfugientium, modo voti & conaminis evadant compotes; denique eorum qui eripiuntur patientia, nequaquam de contrectantium duritie & creato ſibi dolore quiritantium, ſed liberatoribus ſuis gratias agentium, quamvis non niſi ſaucii exitium evaſerint.

Verſ. XXIII. Sed cum delectu.

Sic ut quidam velut ex flamma eripiantur.

LIII. Cæterum uti in aliorum ſalute procuranda inſignis eſt prudentiæ uſus, ita imprimis ſtudendum eſt, ne dum aliis prodeſſe cupimus nobis ipſis obſimus. Ideo addit Apoſtolus: ODIO HABENTES VEL EAM TUNICAM QUÆ A CARNIS CONTACTU SIT MACULATA. Alluditur ad ritum priſcum T. V. vel recentiorem T. N. In T. V. tunica maculabatur carne, vel in caſu lepræ. Lev. XIII: 45, 47, 48. vel in caſu Gonorrheæ. Lev. XV: 4, 17. Huc credibile eſt reſpexiſſe Apoſtolum, propter horrendam

Odio habenda eſt tunica carnis contractu maculata.

Carpocratianorum & Gnosticorum spurcitiem. Ut moneret non solum à fœda istorum nebulonum impudicitia procul recedendum esse Christianis; sed & ab omnibus iis quæ vel minimam affinitatem & propinquitatem cum sceleribus istis habent. *Erasmus* alludi putat ad candidam illam innocentiæ vestem, quam Christiani recens baptizati induebant, in signum suæ puritatis. Eam gestare solebant septem integris diebus, usque ad Octavam à Paschate vel Pentecoste, solemnis baptismi die. Quæ ideo *Dominica in Albis* dicebatur; ut baptizati, *canditati*, *albati*. Sub cujus cerimoniæ corticæ ingenia latere mysteria veteres crediderunt. Et primo quidem significatam volebant eo vestis candore indutionem justitiæ Christi, secundum Gal. III: 27. *Ambrosius*, *de iis qui initiantur mysteriis Cap. VII. Accepisti vestimenta candida, ut essent indicium quod exueris involucrum peccatorum, & indueris innocentiæ casta velamina.* Nec abludit *Fortunatus* ita de hac veste canens:

Vestis candida recens baptizatorum.

Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atque vetus, vitium purgat in amne novo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat:
Et grege de niveo gaudia Pastor habet.

Præterea candidam hanc vestem symbolum esse credebant veræ libertatis quam in Christo nacti essent baptizati. Id *Tertullianus* innuit, *de Resurrectione carnis*, ubi manumissionis recensens insignia, albam iis vestem adnumerat. *Si famulum*, inquit, *libertate mutaveris, & vestis albæ nitore, & annuli aurei honore, & Patroni nomine ac tribu, mensaque honoratur.* Deposita vestis aliquando à baptizatis privatim, nonnunquam etiam in Ecclesia publice, asservabatur, in memoriale: ut ejus intuitu vel convincerentur criminis, si quod contra sanctissimæ fidei professionem commisissent, vel ad constantem servandæ puritatis sollicitudinem animarentur. Atque huc alluserit Apostolus; in memoriam revocans fidelibus, ut quanta olim curæ anxietate vesti suæ baptismali ab omnibus maculis caverunt, ne nunc quidem minorem adhibeant ἀκρίβειαν: ne dum impuris hominibus servandis suam impendunt industriam, ipsi sibi ex eorum contagio labem aliquam allini patiantur. Sed non putem eam cerimoniam viventibus Apostolis in Ecclesia Christiana obtinuisse. Phrases quidem aliquot exstant, quæ eo referri posse videntur. Gal. III: 27. Ap. III: 4. & VII: 13, 14. At credibilius est ex istis phrasibus derivatam esse eam Christianorum cerimoniam; quam ex ista cerimonia has phrases.

Vers. XXIV XXV. Doxologia.

LIV. Sicuti in Dei gloria omnium rerum terminus, ita & Apostolus noster solita sacris scriptoribus doxologia epistolam suam concludit vs. 24, 25. *Cæterum ei qui potest vos custodire à lapsu immunes, & constituere in conspectu*

ſpectu gloriæ ſuæ inculpatos, cum exſultatione, Soli ſapienti Deo ſervatori noſtro, gloria eſto, & magnificentia, robur & auctoritas, & nunc, & in omnia ſecula. Amen. Ubi primo conſideranda venit deſcriptio illius ad quem glorificatio hæc pertinet, dein gloria quæ ipſi attribuitur. Dubitari nequit quin DEUS ſit, & quidem ſolus, qui dignus eſt accipere omnem gloriam. Cæterum an vox Dei hic intelligenda ſit οὐσιωδῶς ſine Divinarum perſonarum diſtincta cogitatione, an diſtinctius referenda ad Patrem, an potius ad Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, non admodum in liquido eſt. Quumque nulla id reſtrictione Judas limitaverit, liberam quoque hic nobis eſſe puto cogitandi facultatem. Neque enim additum SERVATORIS elogium neceſſariam limitationem facit. Quoniam illud Deo, ut Jehovæ, cum excluſione omnium non-Deorum, convenit: cujus eſt dicere, *Ego, Ego ſum Jehova, & nullus eſt præter me ſervator.* Jeſ. XLIII: 11. Etiam Patri manifeſte adſcribitur (ut alia omittam loca, magis controverſa) Tit. III: 4, 6. ὅτε δὲ ἡ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία ἐπεφάνη τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ -- κατὰ τὸν αὐτοῦ ἔλεον ἔσωσεν ἡμᾶς -- διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν. Ubi evidens eſſe videtur, quod Deus ille Servator, qui ſervat nos per Jeſum Chriſtum Servatorem noſtrum, Deus Pater ſit. Conf. 2 Cor. v: 29. Eph. I: 3. & ſeq. Et ſi admittenda ſit additio quæ in quibuſdam Græcis exemplaribus invenitur, & quam Latina quoque verſio habet in textu noſtro, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, confecta res eſt, & omnino de Patre hic cogitandum. Verum ea additio dubiæ auctoritatis eſt. Sed & Jeſus Chriſtus eſt *Magnus ille Deus & Servator noſter.* Tit. II: 13. cui cætera quoque elogia competunt. Adeo ut in repræſentando nobis doxologiæ hujus objecto aberrare non poſſimus; modo verum atque unicum Deum, Salutis noſtræ auctorem, ob oculos nobis ponamus. Hic eſt SOLUS ILLE SAPIENS Rom. XVI: 27. I Tim. I: 17. Solus ex ſe ſapiens, & infinite ſapiens, ſapientiæ omnis auctor, doctor, dator: qui ſapientiam ſuam in omnibus operibus ſuis oſtendit. Pſ. CIV: 24. ſed imprimis in opere ſalutis noſtræ Eph. III: 10. ad ſtuporem hominum angelorum. Rom. XI: 33. Is eſt, inquit, Judas, QUI POTEST VOS CUSTODIRE ἀπταίστους A LAPSU IMMUNES, ne ſcilicet impingatis, offendatis, graviter peccetis, & à Deo declinetis, eumve deſeratis. Significatur donum perſeverantiæ. Neque fruſtra dixit, qui POTEST vos cuſtodire. Potentia enim in animos hominum immediate agendi, eoſque hyperphyſica virtute flectendi quocunque vult, imprimis cohibendi à malo, ad quod cæteroqui pleno impetu feruntur, prorſus Divina eſt. Conf. Eph. I: 19. Potentia iſta Dei opponitur impotentiæ humanæ. Nihil enim poſſunt omnes exhortationes noſtræ, nec ſtudia, niſi ex Dei virtute effectus proveniat. Perinde fere eſt ſive legamus, qui poteſt cuſtodire αὐτοὺς EOS, ut quædam exemplaria habent, ſive ὑμᾶς VOS, ut pleraque. Illam lectionem ſi ſequaris, ſenſus

Deus Servator noſter an οὐσιωδῶς hic dicatur, an ὑποστατικῶς, an de Patre, an de Filio.

erit: vestrum quidem est conari ut alii salvi fiant; Dei autem est præstare. Sin alteram præferamus, uti præferenda esse videtur, referri debere credo ad ẏ. 21. *conservate vos met ipsos in charitate Dei.* Atque ita officio fidelium, quod ipsis commendat, jungitur beneficium Dei, quod ipsis exoptat. Porro, quicunque conservantur immunes à lapsu; iidem statuentur aliquando ἄμωμοι INCULPATI, perfecti sanctificati, *sine macula & ruga*, Eph. v: 27. IN CONSPECTU GLORIÆ IPSIUS, quum *veniet ut glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in credentibus omnibus, die illo.* 2 Th. 1: 10. IN EXSULTATIONE, in plenitudine ac consummatione gaudii istius ineffabilis & gloriosi, cujus primitias prælibarunt, quum non videntes crederent. 2 Pet. 1: 8. Huic Deo omnia ista efficere valenti ac volenti adscribit δόξαν GLORIAM, in omnium Divinarum perfectionum eminentia resplendescentem; & μεγαλοσύνην, גדולה, MAGNIFICENTIAM, majestatem θεοπρεπῆ quæ Deo digna sit; & κράτος, ROBUR, quo quidquid vult effectum dare potest; denique ἐξουσίαν, JUS IMPERANDI. ET NUNC ET IN OMNIA SECULA, in interminabilem æternitatem. Cuncta ista, uti revera penes Deum sunt, ita digna sunt quæ ab omnibus creaturis rationalibus, imprimis à sanctis angelis & hominibus cognoscantur, agnoscantur, celebrentur, sine fine ac modo.

AMEN.



Vocum rerumque præcipuarum.

Nec non

LOCORUM S. SCRIPTURÆ,

Quæ vel ex professo tractantur, vel quibus aliqua lux fit.

B.

C.

Chre-

D.

K.

Q.

R.

Thes-

V.

Y.

Z.

FINIS.

